

COLONIÆ AGRIPPINÆ
APUD VIDUAM IOANNIS WIDENFELT. MDC.LXX.

EXPLANATIO RHETORICÆ,

accommodata

CANDIDATIS RHETORICÆ:

cui adjicitur

ANALYSIS RHETORICA OMNIUM ORATIONUM M. T. CICERONIS,

Quâ ars ejusdem, & methodus dicendi eruitur, & cuivis etiam docto Oratori ad imitandum proponitur.

à

R. P. MARTINO DU CYGNE, Societatis JESU.

Editio nova, ornatior & correctior.

Anno 1670.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Impensis Viduæ JOANNIS WIDENFELT.
Cum Privilegio Sac. Cæs. Majest.

DE APPARATU,

Seu de iis,

Quæ universim ad artem

RHETORICÆ

pertinent.

CAPUT UNICUM.

Quæ universim quæri possunt de arte Rhetoricæ? R. Quatuor: 1. quæ sit natura & finis Rhetoricæ. 2. Quæ sit materia. 3. Quibus rebus comparetur Rhetorica. 4. Quæ sint illius partes.

ARTICULUS I.

Natura, & finis Rhetoricæ.

Quid est ars in genere? R. Est facultas, quæ constat quibusdam præceptis cognitis, quæ non fallunt. *Cicero de Claris Orat.*

Quomodo speciatim definitur ars Rhetoricæ? R. Definitur ars vel doctrina bene dicendi; hoc est, ornatè, graviter, & copiosè loquendi. *Quintil. l. 2. c. 15.*

Quomodo differt Rhetorica à Grammaticâ, Historiâ, Poesi, Philosophiâ? R. Differt in eo, quòd Grammatica emendatè

ſuaſio, ut partes; utilitas & detrimentum ut finis; ſpes & timor, ut motus.

Quid ſpectatur in genere demonſtrativo? R. Laus & vituperatio, ut partes: honeſtas & turpitudo, ut finis; delectatio & indignatio, ut motus.

ARTICULUS III.

Subſidia Rhetoricæ.

QUibus, & quot rebus comparatur Rhetorica? R. Quatuor: naturâ, arte, exercitatione, imitatione. *Cicero de Orat. Quintil. lib. 3. c. 5.*

Quid confert natura ad eloquentiam? R. Confert ex parte animi, ingenium, judicium, aliaque dona ad inveniendum, diſponendum, & eloquendum: ex parte verò corporis, formam, valetudinem, vocem, geſtum. *Cicero de Orat. 1. Quintil. lib. 2. c. 19.*

Quid confert ars ad Eloquentiam? R. Præcepta certa, & longâ doctorum animadverſione uſuque comprobata. Ars enim certior eſt dux quàm natura, hancque maximè perficit: quare pauci, etſi magnis ingeniis præditi, ſine arte eloquentiam ſunt conſecuti. *Quintil. ibid Cicero de Orat. lib. 2.*

Cæterùm utra plus conferat eloquentiæ, ars, an natura, conſule Quintilianum inſtit. lib. 2. c. 19.

Quid confert exercitatio ad eloquentiam? R. Auget & conſervat, quæ ars expolivit in natura. *Quintil. lib.* 10. c 3 4. 5. 6. 7.

Verùm exercitatio quatuor complectitur; 1. Lectionem cùm omnium pro materia, tum unius probatiſſimi authoris pro ſtylo ac forma. 2. Meditationem, ut ſumatur ſpatium ad cogitandum, ne perversè, & extemplò dicatur. 3. ſcriptionem; nam cùm Stylus ſit optimus dicendi effector, magni intereſt ſæpe ſcribere. 4. Emendationem eorum, quæ primùm ſcripta ſunt. Emendationis autem tres ſunt partes, adjicere, detrahere, mutare; eaque tria optimè præſtare poſſumus, ſi quæ primo calore effudimus, in aliquod tempus repoſita, per intervallum ſæpe reguſtemus & tanquam aliena legamus, damnando quæ placuerant, & inveniendo quæ fugerant. Hæc & plura de exercitatione, præcipit Fabius lib. 10. c. 3. 4. 5. 6. 7.

Quid confert imitatio ad eloquentiam. R. Imitatio confert ut optimo cuique Authori similes in dicendo evadamus, & quæ sunt in eo summa diligenter persequamur. *Quintil. l.10.c.2.*

Quotuplex est imitatio? R. Duplex: alia verborum, quæ in verbis & sententiis, vel iisdem vel paululùm immutatis sita est. Sic Catilinariæ 1. exordium facile est vel pueris imitari: *Quousque tandem abutère peccator, patientiâ divinâ? quamdiu hanc etiam vita ista tua eludet? quem ad finem sese inveterata jactabit impietas? nihilne te impendentia mortis pericula, nihil infernorum pœnæ, nihil terror conscientiæ, nihil incursus Dæmonum, nihil severissimum Judicis tribunal, nihil hujus os, vultusque moverunt? patere tua scelera non sentis? &c.*

Alia imitatio est rerum, *apud Quintil. ibid.* cùm ejus, quem imitamur, inventionem, aut dispositionem, aut elocutionem, in re simili, vel dispari exprimimus: Ita Cicero Græcos, Virgilius Homerum sæpe imitatus est cum laude. Ac Virgilius quidem perpetuò Æneam suum laudat ad modum Homeri Ulyssem prædicantis, Ulyssem hic primò jactatum procellis in medio mari fingit, & ille Æneam. Hic Palladem de Ulysse sollicitam inducit; ille de suo Ænea Venerem. Hic in Cotyram delatum Ulyssem narrantem discrimina comminiscitur; ille Carthaginem Æneam defert, ejusque sermonem de Trojano bello, suoque itinere refert. Nihil non effingit peritus imitandi artifex.

Quanquam cavendum est, ne studio imitandi usque eò ducamur, ut nostra repudiemus, & omnia ex alterius ore loqui velimus: quæ magna servitus est, atque ingenii contractio. Imò monet Quinctilianus citato lib. 10. c. 2. conandum esse aliquid supra eos quos imiteris. Adde quod plerumque faciliùs est plus facere quàm idem. Denique optima est imitatio, si in eâ non appareat quod imitati sumus, vel certè si appareat, aliud ab illo videatur esse.

ARTICULUS IV.

Partes Rhetoricæ.

QUæ & quot sunt partes Rhetoricæ? R. Quinque: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio: oportet enim primò invenire quid dicas, deinde inventa

ta disponere, tum ornare verbis, post memoriæ mandare, ad extremum agere. *Cicero de Orat. l. 2. de inven. lib. 1 o. Quintil. lib: 3. c. 3.*

Quid est inventio? R. est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ quæstionem probabilem reddant.

Quid est Dispositio? R. Est rerum inventarum in ordinem distributio.

Quid est elocutio? R. Est idoneorum verborum ac sententiarum ad inventionem accommodatio.

Quid est memoria? R. Est orationis firma perceptio.

Quid est pronunciatio? R. Est ex rerum & verborum dignitate corporis, & vocis moderatio.

LIBER PRIMVS
DE
Prima parte Rhetoricæ,
Seu de
INVENTIONE.

QUONIAM finis Oratoris est persuadere dictione, persuasio autem conficitur fide & motu; hinc quatuor invenienda sunt Oratori, Argumenta, & Argumentatio; Amplificatio, & Affectus, Duo valent ad fidem faciendam, convincendamque intelligentiam, Argumenta, & Argumentatio : Ad motum seu voluntatem pertrahendam duo, Amplificatio, & Affectus, *Cicero in partit.*

CAPVT PRIMVM
De Argumentis.

QUid est Argumentum? R. est inventum ad faciendam fidem: ut si velis fidem facere, Rhetoricam esse expetendam, invenies quod sit ars benè dicendi. *Cicero ibid.*

Quotuplicia sunt argumenta? R. Triplicia; alia certa, alia probabilia, alia dubia. *Quintil. lib. 5. c.* 10.

Quænam argumenta sunt certa? R. 1. Quæ sensibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus. 2. Quæ communi hominum opinione sunt comprobata, ut afficiendos esse hono-

re parentes. 3. Quæ legibus cauta sunt, aut in mores recepta. 4. Quæ ita probata sunt, ut his ipse adversarius non contradicat.

Quænam argumenta sunt probabilia. R. 1. Ea quæ ferè semper accidunt (& dicuntur firmissima.) ut liberos à parentibus amari. 2. Ea quæ communi æstimatione propè certa sunt (& dicuntur propensiora) ut eum qui rectè valet, in crastinum perventurum. 3. Ea quæ simplicem aliquam speciem habent veritatis (& dicuntur non repugnantia.) ut in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. *Quintil. ibid.*

Quænam argumenta sunt dubia? R. Quæ ambiguam faciunt fidem. Verum ad probandum id quod est dubium, id quod probabile est, potest adhiberi v.g. Sit dubium an omnes Catilinæ socii conjurarint, sumetur illud quod probabile est, homines æris alieni magnitudine oppressos, eos denique egentes & sumptuosos, facilè adduci, ut conjurent. *Quintil. ibid.*

Unde sumuntur argumenta? R. Ex locis oratoriis, quos *Cicero in partit.* Top. appellat argumentorum sedes, in quibus latent, & ex quibus sunt petenda.

Quare si vis in dicendo excellere, habe hos locos in promptu: Deinde ubi res ad dicendum proponetur, inspice diligenter, & cum judicio selige: neque enim semper, nec in omnibus causis, nec ex iisdem locis, eadem argumentorum momenta sunt. *Aristot. l. 2. c. 24. Quintil. loco citato.*

Quotuplex est locus? R. Duplex: intrinsecus seu cum re conjunctus, & extrinsecus seu remotus forisque assumptus.

Quot sunt loci intrinseci? R. Sedecim; Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjungata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Comparatio, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Causæ, Effecta. *Idem ibid.*

Quot sunt loci Extrinseci? R. Sex: Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusiurandum, Tormenta, Testes.

ARTICULUS I.

Definitio.

Quid est Definitio? R. Est oratio, quâ quid sit res explicatur. *Cicero in Topic.*

Quis est modus aliquid definiendi? R. Sumendum est aliquid definito commune cum aliis rebus: deinde aliquid ipsi particulare. v. G. Jurisprudentia, est cognitio æquitatis. Cognitio enim est quid commune juris prudentiæ cum aliis artibus; æquitatis verò in particulari cognitio, solius est jurisprudentiæ. Sic Cicero definit gloriam esse claram cum laude notitiam. Legem, esse rectam, & à numine Deorum tractam rationem, imperantem honesta, prohibentem contraria. *Agric. l.1.c.5.*

Amicitiam, esse voluntatem erga aliquem, bonarum rerum illius ipsius causâ, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Civitatem, multitudinem collectam, quæ consensu sit legum vitæque conjuncta. *Agricola ibid.*

Quotuplex est definitio? R. Duplex: alia essentialis, daturque per ea, ex quibus rei essentia seu natura componitur. Ea sunt vel genus, & differentia; Logicis. v. G. Homo est animal rationale. Vel materia ex quâ, & forma; Physicis. v. G. Homo constat corpore & anima. Alia non est essentialis, oratoribus familiarior, quæ & descriptio appellatur, daturque 1. per causas: Nobilis est enim & perfecta definitio, si quadruplici causa constet. Sic definies hominem, animal à Deo conditum, ex mortali corpore, ratione præditum, factum ad beatitudinem.

2. Datur per effecta; ut, sol efficit diem, luce diffusa, tempora moderatur, & calore suo terræ frugibus maturitatem adfert.

3. Per proprietates & accidentia; ut, Canis est animal, cujus est fida custodia, amans dominorum adulatio, odium in externos, incredibilis ad investigandum sagacitas narium, alacritas in venando.

4. Datur definitio elegans, & Ciceroni familiaris, per negationem & affirmationem, ut primùm dicamus id quod non est res, ac per ironiam vel exclamationem, vel interrogationem rejiciamus; veram tandem rei naturam afferamus. *Palatium eloquentiæ de invent. sect. 2. puncto 3.* Hoc modo Cicero pro domo suâ definit populum Rom. (ac primò docet quid non sit?) *An tu populum Rom. illum esse putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant Magistratibus? ut obsideant Senatum? optent quotidie cædem, incendia, rapinas?* (deinde per ironiam) *O speciem dignitatemque populi Rom. quam Reges, quam nationes exteræ,*

quam

quam gentes ultimæ pertimescant, multitudinem hominum ex servis conductis, ex facinorosis ex egentibus conflatam! (tandem subiicit quid sit populus Rom.) *Ille, ille populus est Dominus Regum, victor atque imperator omnium gentium.* Ita 2. in Rull. definit popularem, & consulem contra Pisonem. *Ego Consulem esse putem, qui senatum in Rep. esse non putavit? & sine eo consilio consulem numerem, sine quo Roma ne Reges quidem esse potuerunt? qui prædones igitur, siquidem vos Consules qui latrones, qui hostes, qui proditores nominabuntur? Magnum nomen est, magna dignitas, magna majestas Consulis: non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum, tantam personam, tam gravem, tam severam* (omitto prolixiorem ironiam) *animo Consulem esse oportet*, consilio, fide, gravitate, vigilãtia, toto deniq; munere Consulatûs

Nos Christianum, amicum, Regem, & quidlibet definire possumus ad normam horum exemplorum.

ARTICULUS II.

Notatio, Conjugata.

QUid est Notatio seu Etymologia? R. Est locus, qui verborum originem, aut vim explicat; ut senatus à senibus dicitur. Consul est, qui consulit patriæ; non igitur Piso Consul, qui eam evertit. *Cicero in Topic. Quintil. lib. 5. c. 10. Agricola lib. 1. c 22.*

Quãdo orator hoc præsertim loco utitur? R. Cùm in nomine aliquo laudem, aut dedecus quærit. Ita in nómen Verris sæpe jocatus est Cicero, quãsi sic dictus esset, quod omnia verreret, hoc est, nihil reliqui faceret homo furax. Et pro Rosc Amer: Chrysogonum in suspicionem avaritiæ vocavit ab ipsius nomine, quod aureum significat, aut quasi auro genitum. Item Catilinaria 3 insultat Lentulo, qui eò pronius conjurarat, quòd libris Sibyllinis, Aruspicumq; responsis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, seq; eum tertium esse credebat post Syllam Cinnamq;, quia & ipse Cornelius esset.

Quid sunt Conjugata? R. sunt ea, quæ orta ab uno variè commutantur seu terminantur: ut sapiens, sapienter, sapientia. *Quintil ibid. Agricola lib 1. c. 19.* Cicero pro lege Manilia: *hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut Regum afflictæ fortunæ facilè multorum opes alliciant ad misericordiam, maximè eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno, aut regale iis*

nomen

nomen magnum & sanctum esse videatur. In paradoxis: *Sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi & abjecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos.* Terentius: *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.*

Quando majorem vim habent conjugata? Resp. Quando conglobantur. Exemplum esto: *Quid tu militem eum appellas, cui nondum licet per ætatem militare? equitem vocas, qui nunquam nisi in arundine longa equitavit? Imperatorem nominas, qui sibi non imperat? Det primò militiæ nomen, militaris disciplinæ laboribus exerceatur, armis & equis aptè uti discat, petulantes animi motus coerceat: tum militem fortissimum, equitem expeditissimum, Imperatorem egregium appellabis.*

ARTICULUS III.

Enumeratio Partium.

QUid est Enumeratio Partium? Resp. Est oratio, qua totum distribuitur in suas partes; vel subjectivas, ut virtus in justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam; vel integrantes, ut corpus in caput, manus, &c. Populus in senes, viros, fœminas, pueros; vel essentiales, ut animal in corpus & animam. Cic. *in Topic. Agricola lib. 1. c. 9.*

Quotupliciter fit argumentum ab Enumeratione partium? Resp. Dupliciter: 1. Si affirmatis omnibus partibus, affirmatur totum. Ut ejus pueritia innocens fuit, casta adolescentia, virilis ætas constans, senectus liberalis, & placida; igitur tota eius vita præclarè traducta. D. Hieronymus Epist. ad Paulum Concordiensem: *Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur, & vales, oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum & succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt. Non memoria tenacitatem (ut in plerisque cernimus) antiquior senecta dissolvit. Non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons asperat, non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit.* 2. Si negatis omnibus partibus negatur totum, ut: Calliditas non est justitia, nec prudentia, nec fortitudo, nec temperantia; calliditas igitur non est virtus. Romæ cùm pulsus est Tullius, non erat in Republ. Consul, non senatus, non consensus populi

puli liberi, non mos patrius, non juris & æquitatis ratio; igitur non erat tum illa civitas.

Animadverte argumento à partium enumeratione sic esse utendum, nullam ut partem relinquamus.

Ad quid præsertim est hujus loci usus? Resp. Ad descriptiones atque amplificationes. Sic Quintilianus lib.8. c.3. urbem captam describit ab Enumeratione partium: *Apparent fusa per domos ac templa flamma, & ruentium tectorum fragor, & ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes, & infantum fœminarumque ploratus, & male usque in illum diem servati fato senes: tum sacrorum profanorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque discursus, & acti ante suum quique prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater, & sicubi majus lucrum est pugna inter victores.*

ARTICULUS IV.

Genus, Forma.

Quid est Genus? Resp. Genus est, quod sub se duas, aut plures partes seu formas sui ipsius communione similes complectitur: ut virtus prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Cicero *de Orat.*

Fac argumentum à genere? Resp. Virtutis laus omnis in actione consistit; prudentiæ igitur laus omnis in actione consistit. Omnibus artibus instructus est; igitur & Rhetoricâ arte.

Quis est frequens hujus loci apud Rhetores usus? Resp. Quando hypothesis, hoc est, species seu forma, ad thesim seu ad genus transfertur. Quintil. *lib.1. c.5.* Cicero *in partit. in Topic. de Orat.* Vt si pietatem laudaturus, virtutis laudem præmittas. Nam Orator excellens à propriis personis, locis, temporibus, & circumstantiis semper, si potest, avocat controversiam, & ad universi generis vim explicandam traducit: fit enim ut de singulis rebus statui melius possit, si universi generis natura sit cognita. Ita Cicero, laudaturus Archiam Poetam, amplissimè laudat studia humanitatis, artesque liberales, & defensurus Ros. Amerinum, multa de gravitate parricidii affert, absolvens orationem à persona Roscii. Item pro Milone fusè hanc thesim tractat, insidiato-

rem

rem jure occidi, & vim naturaliter arceri. Et pro Marcel. in genere clementiam prædicat. Denique Philip. 7. antequam pacem cum Antonio nullam esse posse disputet, probat pacem populo Rom. cum nullo mortalium esse turpem oportere.

Quid est Forma? Resp. Est pars generi subjecta, ut patet ex dictis. Quintil. *lib. 5. c. 10.*

Fac argumentum à forma. Resp. In subeundo martyrio summa est fortitudo; est igitur virtus. Cic. pro Rabirio: *multas C. Cæsaris virtutes, & magnas esse oportet, si sunt hæ quasi theatris proposita, & populares.*

Castri locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, acies hostium profligare; hanc vim frigorum hyememque, quam nos vix hujus urbis tectis sustinemus excipere, &c.

Quis est hujus loci elegans usus? Resp. 1. Quando plures formæ congeruntur. Ut sceleratus est, quia homicida, quia fur, quia ebrius, quia sordidus, quia mendax, &c. Hæ sunt enim species seu formæ vitiorum. 2. Quando ex pluribus particularibus (estque inductio) simul congestis genus infertur seu aliquod universale. Vt Romulus fratrem suum secum regnantem ferre non potuit, neque Pompejum Cæsar, nec Augustus Antonium; ergò nullus æquo animo fert consortem imperii.

ARTICULUS V.

Similitudo, Dissimilitudo.

Quid est similitudo? R. Cum Cicerone est ea, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile: sive est oratio rerum distinctarum, quæ tamen in aliquo conveniunt. Similitudo enim instituitur inter plura, quæ in aliquo sunt similia, licèt aliunde sint disparia. v. g. est similitudo inter avarum & hydropicum, quia in eo conveniunt, quòd satiari non possint, licèt sint inter se dispares. *Auctor. ad Heren. lib. 4.* Quintil. *lib. 5. c. 10. Agricola l. 1. c. 25.*

Quomodo sumit Cicero argumentum ab hoc loco? Resp. hoc modo: *Sed nimirùm ut quidam morbo vel sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt: Sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent.* Idem 8. Philip. *In corpore si eju-*

ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat: Sic in Reip. corpore ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputatur. Lib. Epist. 9. *Non facilè dijudicatur amor verus & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.* Terentius Hecyra: *Pueri inter se quam pro levibus noxis iras gerunt: quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt. Itidem illa mulieres, sunt fermè ut pueri, levi sententia, fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.*

Quanquam interdum non tam probat similitudo, quàm ornat, eâque, quòd rem oculis subjiciat, mirificè capitur imperita multitudo.

Præclarè Agricola lib. 1. c. 25. omnium locorum, è quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minus est virium contra renitentem auditorem, quàm similitudini: ad eum verò, qui sponte sequitur, docendumque se præbet, accommodatior nullus est. Aperit enim rem (si rectè adhibeatur) & quandam ejus imaginem subjicit animo: ut cùm assentiendi necessitatem non afferat, afferat tacitum dissentiendi pudorem. Quapropter ad probandum non ita crebrò, ad explanandum illustrandumque sæpè ab Oratoribus, à Poetis sæpiùs adhibetur. Habet tamen persæpe probantis speciem similitudo, eo ipso, quòd rem, qualis sit indicat.

Quid ad investiganda similia proderit? Resp. 1. Proderit quærere, quid sit similis naturæ cum eo, quod explicandum sumis. Ita si velis constantiam animi ostendere, quæres quid resistat, eritque in promptu, rupes, adamas, &c. *Agric. ibid.*

2. Proderit metaphoricas locutiones cognoscere: nam ex eo quòd ardere amorem dicimus, hunc igni similem invenimus.

Quid est Dissimilitudo? Resp. Est rerum multarum, quæ inter se diversæ sunt, dissimilis affectio; vel est oratio, quæ ex re dissimili dissimile colligit. Cic. *de Orat. lib. 2. argum.* Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Cic. Philip. 3. *Certus autem dies, non ut sacrificii, sic consilii expectari solet.* Pro Cn. Plancio: *Quanquam dissimilis est pecunia debitio, & gratia. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit: qui au-*

tem debet, as retinet alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet, & qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Idem pro Muræna num. 22. jurisconsultum Sulpitium Imperatori dissimilem venustè probat: *Vigilas tu de nocte, ut tuis Consultoribus respondeas; ille, ut quò intendit maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves ne tui Consultores, ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet & scit, ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.*

ARTICULUS VI.

Comparatio.

QUid est Comparatio? Resp. Est oratio, quâ duo, vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune sit eis. Cic. *in Topic.* ut Catoni licuit sequi bellum civile; ergo & Ciceroni licebit: commune est ambobus sequi bellum civile.

Comparatio differt à similitudine, quod similitudo versetur in qualitate, Comparatio in quantitate. Huc referri potest Exemplum, species quædam comparationis, Est enim vel aliquid majus, vel par, vel minus, quod ad imitandum, vitandumve sumitur. Vide Agricolam lib. 1. c. 24. Comparatio, & exemplum, vim habent ad rudiores animos permovendos.

Quotupliciter tractatur hic locus? Resp. Tripliciter: à Comparatione majorum, vel minorum, vel parium. Agricola *lib* 1, *c*. 24. Quintil. *lib*. 5. *c*, 10.

Quomodo ducitur argumentum à Comparatione majorum ad minora? Resp. Cùm contendimus, ut id, quod in re, majori valet, valeat in minori. Vt: gigantem vicit; igitur & pigmæum superabit: vel, ô passi graviora! dabit Deus his quoque finem. Terent. *Quem feret, si parentem non feret suum?* Cic. in Antonium: *Quid faceres domi tuæ, cùm aliena tam sis insolens.*

Quomodo ducitur argumentum à comparatione minorum ad majora? Resp. Cùm contendimus, ut id, quod in re minori valet, valeat etiam in majori. Vt Cicero pro lege Manilia: *Majores nostri sæpè mercatoribus ac naviculatoribus*

inju.

injuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot Civium Rom. millibus uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Idem pro Archia: *Saxa & solitudines voce respondent, bestiæ sæpè immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis, non Poetarum carminibus moveamur?*

Quomodo ducitur argumentum à comparatione parium? Resp. Cùm contendimus parium par esse judicium, & quod in uno valet, admitti in alio. Vt: Lex est, qui occiderit patrem insutus in culeum dejiciatur in profluentem: ergo, & qui matrem occiderit. Cicero pro Sex. Ros. *Vt illud incredibile est, mortem oblatam esse patri à filio, sine plurimis & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium, sine causis multis, & magnis, & necessariis.*

Pro domo sua: *Neque enim ratio afferri potest, cur si cuiquam novo civi poterit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit.*

Sunt, qui paulò aliter hunc locum explicant. Nam Rhetores per majus intelligunt, quod est magis probabile; per minus, quod est minus probabile; per par, quod est pariter probabile.

Itaque tunc est argumentum à majori ad minus, quando minus probabile concluditur ex magis probabili. Vt: si quinque legiones hostilem exercitum vincere non potuerunt, multò minùs duæ poterunt: vel Hector summâ licèt virtute, animique & corporis fortitudine vir, Trojam à Græcorum armis non defendit, mollis & effœminatus Paris tuebitur?

A minore ad majus est argumentum, quando magis probabile concluditur ex minus probabili. Vt: Iuno indignans apud Virgilium lib 1. Æneid. *Pallasne exurere classem Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto, unius ob noxam & furias Ajacis oilei? Ast ego, quæ Divum incedo Regina, Iovisque & soror, & conjux, unà cum gente tot annos bella gero, & quisquam numen Iunonis adoret præterea?*

A pari est argum. quando pariter probabile concluditur ex pariter probabili. Vt: frater tuus pietate & doctrinâ excellit, cur tu quoque non excelleres?

ARTICULUS VII.

Repugnantia.

Quid sunt repugnantia? Resp. Sunt quæ de eodem simul verè affirmari non possunt. Aristoteles *in Topic. Cicero.*

Quotuplicia sunt repugnantia? Resp. Duplicia: alia disparata, quæ non præcisè repugnant. Vt: amare & lædere: unde argumentum sic ducitur à disparatis repugnantibus. *An at illum, igitur non convitiis insectatus est, Hortensius non erat adversarius Ciceronis aut obtrectator; semper est enim alter ab altero adjutus & communicando, & monendo, & favendo*; Repugnantia sunt, esse adversarios, & se invicem juvare, & communicare, &c. Alia sunt opposita, quæ præcisè repugnant. Vt: virtus & vitium, amare & odisse.

Quotuplicia sunt opposita? Resp. Quadruplicia: adversa seu contraria, privantia, relata, negantia. Agricola *lib. 1. cap. 26.*

Quid sunt adversa seu contraria? Resp. Sunt quæ in eodem genere plurimum differunt. Vt: virtus & vitium, bellum pax, sapientia stultitia.

Quid sunt privantia? Resp. Sunt habitus seu forma, & ejus privatio. Vt: vita & mors, lux & tenebræ, scientia & inscitia.

Quid sunt relata? Resp. Sunt quorum natura in hoc posita est, ut ad aliud referantur. Vt: pater & filius, Dux & miles, docere & discere; neque enim potest intelligi pater ut pater, sine filio: nec filius, ut filius sine patre.

Quid sunt negantia? Resp. Sunt quorum unum negat alterum, ut probus, non probus.

Quomodo argumentamur ab adversis? Resp. Bellum est nobis perniciosum, pax igitur utilis. Amplectenda frugalitas, fugienda igitur luxuria. (Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Addo etiam exornativa, ita ignaviæ turpitudo ex oppositæ diligentiæ descriptione & dignitate elucessit) Cic. in Topicis: *Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; & bonitatem, si malitiam.* Quintil. lib. 5. c. 10. *Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax.*

Quomodo argumentamur à privantibus? Resp. Ultus est mortem

mortem patris; reddidisset igitur vitam si potuisset. Si insipientis est propositum suum mordicus citra rationem tueri, sapientis erit consilium ratione interdum permutare. Cic. lib. 4. de Finibus. *Bonum liberi, misera orbitas: bonum patria, miser morbus: bonum integritas corporis, misera debilitas. bonum incolumis acies, misera cacitas.*

Quomodo argumentamur à relatis? Resp. Dux adit pericula, cur miles non adiret? honestum est litteras docere; ergo & discere. Si Imperatoris est præcipere, militis est obtemperare. Cic. pro Rabir. *Non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitæ, & in ipso genere mortis imitatus est P. Decium filius.*

Quomodo argumentamur à negantibus? R. Quem græcè & latinè doctum vides, istum esse indoctum dicis? Author ad Heren. *Quæro igitur, unde iste tam pecuniosus factus sit? amplum patrimonium relictum est? at patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obvenit? non potest dici? nam à necessariis omnibus exhæredatus est.* (ubi vides pugnantia seu negantia, quorum alterum necessariò falsum est, alterum verum) Pro Muræna, num. 65. elegans est academici Ciceronis & Catonis Stoici dialogismus, in quo sunt plura negantia: *nihil ignoveris, imò aliquid, non omnia. Nihil gratiæ causa feceris: imò ne resistito gratiæ, cùm officium & fides postulabit. Misericordia commotus ne sis, etiam in dissolvenda severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis. In sententia permaneto: Enimverò nisi sententia alia vicerit melior.*

ARTICULUS VIII.

Adjuncta.

QUid sunt adjuncta personarum & rerum? Resp. Sunt ea quæ rem circumstant & concomitantur, aut sunt in hominis, sive animo, sive corpore. Cic *in Topic.*

A Quintiliano *lib. 5 c. 19.* enumerantur hæc: Genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, studia, affectus, locus, tempus, occasio, casus, facultas, instrumentum, modus, signum. Igitur amplissimè patent adjuncta, & quòd Orator persæpè in iis versatur, necessaria est, omninò, ac utilis, hujus loci cognitio. Quare hic nobis licet esse prolixis.

Quomodo sumi potest argumentum à genere? Resp. similes parentibus ac majoribus suis filii plerumque creduntur: hinc nonnunquam ad laudandum vel vituperandum oratori causæ fluunt. *Quintil. ibid.* Cicero pro Sextio: *Parente Pub. Sextius est natus, judices, homine (ut plerique meministis) & sapiente, & sancto, & severo.* Verrina 7. num. 31. *Inter ejusmodi viros ac mulieres, adulta ætate filius versabatur: ut eum etiamsi natura à parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen, ac disciplina patri similem esse cogeret.*

Ibidem prosopopeia redargui à parente Verrem fingit. num. 135. Claudianus 4 Conf. *Honorii vestigia magna indolis agnosco. Fertur Pellæus Eoum qui domuit Porum, cum prospera sæpè Philippi audiret, lætos inter flevisse Sodales, nil sibi vincendum patris virtute relinqui. Hoc video motus, fas si promittere patri, tantus eris.* Denique Horat. lib. 4. *fortes creantur fortibus, & bonis est in juvencis, est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.*

Quomodo sumi potest argumentum à natione & patria? Resp. Singulis gentibus proprii mores sunt: nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile est. *Quintil ibid.* Similiter etiam civitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam. Quare sic argumentum variè sumi potest à natione & patria. Romanus est? igitur bellicosus. Græcus? levis. Barbarus? immanis. Atheniensis? fidus. Pœnus? perfidia nobilis. Creta? mendax. Lacædemonius? fur. Cicero: *Natus est Archias Antiochia, loco nobili, celebri quondam urbe & copiosa, atque eruditissimis hominibus, liberalissimis studiis affluenti; ubi ingenii ac doctrina primas tulit: igitur Archias est bonus Poeta.* Verrina 7. num. 165. *Si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerère, quid aliud clamitares? nisi te civem esse Romanum. &c.* Ibi multa orator amplificat de jure, ac dignitate, ac fiducia civis Romani. Quàm lepidè idem Cic. in testes Asiaticos, ac nationem Græcorum, etiam Judæorum, cavillator Orat. pro L. Flacco num 9. *At quos testes? primùm dicam (id quod est commune) Græcos; non quo nationi huic ego unus maximè fidem derogem, &c.*

Et pro Ligario: *Hæc egit civis Romanus ante te nemo, externi isti mores usque ad sanguinem incitare solent odium, aut levium Græcorum, aut immanium Barbarorum.*

Quomodo sumi potest argumentum à sexu? Resp. Non idem

idem in viro æquè ac muliere, aut probabile, aut laudabile est, & contra latrocinium faciliùs in viro, veneficium in fœmina reperies, & alia, unde argumenteris. *Quintil. ibid.* Titus Livius lib. 4. de bello Macedonico & Asiat. *Virorum hoc animos vulnerare posset, quid muliercularum censetis, quas etiam parva movent?* Cic. pro Sextio. *Mortem quam etiam virgines, Atheniensis Regis opinor, Erychthæi filia, pro patria contempsisse dicuntur: ego vir consularis timerem?* Juvenalis Satyra 13. *Vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina.* Ennius: *Vos etenim, juvenes, animos geritis muliebres.*

Quomodo sumi potest argumentum ab ætate? Resp. aliud aliis annis convenit, ut Horatius ostendit in arte: puer an adolescens, natu grandior, an senex, quæritur. *Quintil. ibid.* Cic. pro lege Manilia, num 61. *Quid tam novum, quàm adolescentulum, privatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit Pompejus. Huic præesse? præfuit. Rem optimè ductu suo gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quàm homini peradolescenti, cujus à senatorio gradu ætas longè abesset, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum? fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.* In Philip. *Etenim si abhinc annos propè viginti, hoc ipso in templo negavi, posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni?* Pro Rof. parricidii crimen ab ætate refellit: *Patrem occidit Sext. Roscius, qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta, vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpè in cæde versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis.* Pro Quinctio, num. 91. *Per hujus senectutem, judices, obtestatur, ut sua natura, bonitatique obsequantur.*

Pro Sylla, num. 46. *Fert adolescentem Torquatum, dat aliquid iracundiæ, ignoscit ætati, modò sibi aliquem modum vitæ constituerit.*

Quomodo sumi potest argumentum ab educatione, & disciplina? R. Quoniam multum refert à quibus, & quo quisque modo sit institutus, ex educatione disciplinaque, ex sodalitio multæ trahuntur suspiciones & argumenta. Cicero pro Quintio, num. 55. *Quid ad hæc Nevius? ridet scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, & instituta bonorum virorum requiramus. Quid*

 mihi,

mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia. Videant, inquit, ista officia viri boni: de me autem ita considerent; non, quid habeam, sed quibus rebus invenerim, quarant, quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim, memini. Vetus est de scurra multò faciliùs divitem, quàm patremfamilias fieri posse. Hac ille si verbis non audet, re quidèm vera palàm loquitur. Etenim si vult virorum bonorum instituto vivere, multa oportet discat, atque dediscat: quorum illi atati, utrumque difficilè est. 2. Philip. *Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi etiam accessisset disciplina? Puer quidam apud Platonem educatus, cùm ad patrem ex intervallo redisset, eumque vidisset effusiùs ridentem, admiratus dixit se tale nihil unquam apud Platonem vidisse. Tanta res est jam indè à teneris virtuti assuescere.*

Quomodo sumi potest argumentum ab habitu corporis? Resp. Habitus corporis, qui sermo quidam totius mentis est, frequenter in argumentum probitatis aut improbitatis adducitur. *Quintil. ibid.* Cicero pro Sexto Roscio. *Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitùs abrasa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? qui idcirco est capite, & superciliis semper rasis, ne ullum pilum boni viri habere dicatur.* Idem in Pisonem. *Iamne vides bellua? jamne sentis, qua sit hominum querela frontis tua? nemo queritur, Syrum nescio quem, de grege noviciorum factum esse consulem; non enim nos color iste servilis, non pilosa gena, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus, denique totus in errorem homines impulit.*

D. Ambrosius, lib. de Virgine. *Nihil*, inquit, *in oculis Maria torvum, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, ut ipsa corporis species, simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Mopsus apud Virgilium in Eclog. *Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi, cùm placidum ventis staret mare.* In Galbam Oratorem, eloquentiâ çlarum, sed gibbo deformem, ita lusit M. Lælius, ut diceret ingenium Galbæ malè habitare. Nam animi domicilium est corpus.

Martialis: *Crine ruber, niger ore, brevi pede, lumine læso, rem magnam præstas, Zoile si bonus es.*

Quo-

Quomodo sumi potest argumentum à fortunâ, & conditione? R cum Quintiliano non idem credibile est in divite, ac paupere: claro, ac obscuro: rustico ac urbano, propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus destituto. *Quintil ibid.*

Præterea est laus tulisse casus sapienter adversos, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, genus suum nobilitasse, &c. Sic Cicero Pro Quinctio statim in exordio conqueritur de gratia Nævii apud Principes civitatis, qua ille abutitur contra solitudinem atque inopiam P. Quinctii. *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia, &c.* Et postea in peroratione. num. 93. *non comparat se tecum gratiâ P. Quintius Sex. Nævi; non opibus, non facultate contendit, omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur se non bellè dicere, non ad voluntatem loqui posse: non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare: non profusis sumptibus vivere, non habere domum clausam pudori, & sanctimoniæ; patentem atque adeo expositam voluptatibus: contrà sibi officium fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam, atque aridam cordi fuisse.*

Sic pro Sex. Roscio num. 133. eleganter insectatur insolentis Chrysogoni Syllæ liberti potentiam, à prædiis, domo, suppellectile, familia, servis, luxuria, sumptibus, habitu, superbia & avaritia, quâ turpiter vir nobilis in fortunas boni rustici involat. Sic pro Milone num. 93. in gravi ac difficili tempore, vultum semper eundem, & infractum animum ipsius commendat: *Nolite, judices, si in nostro omnium fletu nullam lacrymam adspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere; atque haud scio, an multò etiam sit adjuvandus magis.*

Sic pro lege Manil. Cn. Pompeii moderationem in prosperis rebus: Sic pro Marcello C. Cæsaris clementiam in victoria extollit. Sic idem Cicero in Salust. (si est ipsius oratio) *ego*, inquit. *Majoribus meis virtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis vita, quàm turpiter egisti, magnas effudisti tenebras, ut, etiamsi fuerint egregii cives, certè venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objectare; satiùs est enim me meis rebus gestis florere, quàm majorum opinione niti, & ita vivere, ut*

ego sum posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.

Quando sumi potest argumentum ab animi natura? R. Avaritia, iracundia, misericordia, crudelitas, severitas, aliaque his similia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt. *Quintil ibid.* Huc refer acutus sit quis an hebetior, memor an obliviosus, comis, facetus, pudens, officiosus, patiens, prudens, an contrà. Cicero pro lege Manil. *Quare etiamsi quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen nisi erit idem, qui se à pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus ac liberis, qui ab auro gazaque Regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum Regiumque mittatur.* Pro Milone: *adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis, qui cùm à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit.* Pro Balbo: *habetis hominem singulari pudore, virtute cognita, & spectata fide*: In Verrem: *iste sacrorum omnium hostis, religionum prædo.*

In Pisonem: *ille gurges atque helluo natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ.* Pro Dejotaro: *Dii te perdant fugitive, ita non modò nequam & improbus, sed & fatuus, & amens es.* Rursus in Verrem: *hominem sine re, sine spe, sine fide, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum ire patiamini absolutum?* Denique præclarè idem Cicero pro Cælio num. 12. Catilinæ naturam multiplicem ac versatilem describit: *Habuit ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum, &c.*

Quomodo sumi potest argumentum à victu & studiis? R. sicuti de victu, luxurioso, an frugi, an sordido quæritur, sic de studiis. *Quintil. ibid.* Nam rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus, aliud atque aliud efficiunt. Cicero. Pro Rosc. *qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam esse poterat, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita maleficia gigni non solere.* Salust. in Catil. *Quod si quis etiam à culpa vacuus in amicitiam ejus liber inciderat, quotidiano usu atque illecebris facilè par, similisque cæteris efficiebatur, quibus libido, atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.* Pro Muræna Cic. num. 62. facetissimè jocatur in asperiorem Stoici Catonis doctrinam. Pro Archia: *nam ut primùm ex pueris excessit Archias, atque*

ab

ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Pro Cælio: *Atque scitote, judices, eas cupiditates quæ objiciuntur Cælio, atque hæc studia de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse.*

Tuscul. 5. de Dionysio Tyranno: *musicorum verò*, inquit, *perstudiosum accepimus, poetam etiam tragicum, quam bonum, nihil ad rem, in hoc enim genere nescio quo pacto, magis quàm in aliis suum cuique pulchrum.*

Quomodo sumi potest argumentum ab affectibus. R. affectus sunt amor, ira, gaudium, tristitia, &c, *Quintil. ibid.* quæ suo loco explicabimus. Virgil. Eclog *Credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.* Cicero pro Muræna. *Videsne tu illum tristem, demissum, jacet, diffidit, abjecit hastam.* De Arusp. responsis: *nihil feci iratus; nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum &c.* Pro Cluentio: *vestram, judices, æquitatem & mansuetudinem una mater oppugnat: at quæ mater? quam cœca crudelitate & scelere ferri videtis, cujus cupiditatem nulla unquam turpitudo retardavit. quæ vitiis animi in deterrimas partes jura hominum convertit omnia, cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem: ea vis, ut nemo fœminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. Eò jam denique adducta est, ut sibi præter formam, nihil ad similitudinem hominis reservarit. Quare, judices, si scelus odistis, prohibete aditum matris à sanguine filii.*

Quomodo sumi potest argumentum à loco. R. Spectandæ sunt omnes loci differentiæ, publici, sacri, profani, opportuni, remoti, &c. ut si furtum factum sit in templo, si in foro interremptus quispiam, si in sua domo. *Quintil. ibid.*

Virgil. 2. Æneidos *Fatale aggressi sacrato à vellere templo Palladium: cæsis summæ custodibus arcis; corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis virgineas ausi divæ contingere vittas.* Cic. in 5. Philip. *illud verò deterrimum auditu, non modò aspectu, in cella concordiæ collocari armatos è templo carcerem fieri.* Objectum est Miloni, quòd Clodium in monumentis majorum suorum occidisset: sed Cicero hunc locum pulchre excutit in Miloniana num. 54, *Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior &c.* Rursus Virgil. *O felix una ante alias Priameia virgo hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus*

altius justa mori Est apud Livium Annibalis in Italiam transgressi exhortatio militum, ut acriter pugnarent, quippe qui à tergo Alpibus, à latere duobus maribus clausi, nulla sperarent effugia: at contrà Romanis timidis esse licere, qui in tuto fugam suam conferre possent.

Quomodo sumi potest argumentum à tempore? Resp. valet hora, dies, hebdomada, mensis, annus, an hyeme, die festo, olim, nuper, diu, noctu aliquid gestum sit. *Quintil. ibid. Cic. pro Cælio: si quis forte nunc, judices, adsit ignarus legum, judiciorum, consuetudinis vestra, miretur profectò, quæ sit tanta atrocitas hujus causæ, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotiis, forensibus intermissis, unum hoc judicium exerceatur.* Pro Quinctio: *Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo? dic. negas? ante igitur misisti malo. Si enim illud diceres, improbè mentiri viderere.* Pro Milone: *cujus jam pridem testimonio Clodius eadem hora interamna fuerit & Romæ.* Ibid. *videte nunc illum egredientem è villâ subitò cur vesperi? quid necesse est tardè? qui convenit, præsertim id temporis?* Pro lege Manil. *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.*

Quomodo sumi pôtest argumentum ab occasione? Resp. occasio est pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem *Quintil. ibid.* Cic. pro lege Manil. *Quod si Romæ. Cn. Prompejus privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus, nunc cùm ad cæteras summas utilitates hæc quoque oportunitas adjungatur, ut in his ipsis locis habeat exercitum, quid expectamus, aut cur non ducibus Diis immortalibus eidem, cui cætera summa cum salute Reip. commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus!*

Idem pro Milone: *Quem igitur cum omni gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela! quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus: hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Quomodo sumi potest argumentum à casu? Resp. casus etiam præstat argumentis locum, ut si dicam, melior dux Scipio quàm Annibal, vicit enim Annibalem. Bonus gubernator nunquam fecit naufragium. Bonus Agricola ma-

gno,

gnos sustulit fructus. *Quintil. ibid.* Cic. pro lege Manilia: *Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à majoribus acceperat, & ipso bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnes reliquit. Hac dum nostri colligunt omnia diligentiùs, Rex ipse è manibus effugit. Ita illum in persequendi studio mœror, hos lætitia retardavit.*

Quomodo sumi potest argumentum à facultate? Resp. facultates sunt aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest *Quintil. ibid.*

Credibilius est, accisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes, quorum contraria in diversum valent. Hinc illa apud Ciceronem conjectura. *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio; ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille in equo, hic in rheda, &c.* num. 55. *cùm alter veheretur in rheda penulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè constrictus esset?* Pro Rosc. Amer. num. 74. negat Cicero fuisse facultatem Roscio occidendi suum patrem; vel enim occidisset, per se, vel per alios sive liberos sive servos: Neutrum, ergo. Contra num. 92. *quinque indiciis facultas & cædes Sex. Roscii in adversarios conjicitur: videamus nunc ecqua facultas, &c.*

Quomodo sumi potest argumentum ab instrumento? Resp. facultati licet instrumentum conjungere, & ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur: ut speculum in corpore inventum. *Quintil. ibid.* Cic. pro Milone: *quamobrem si cruentum gladium tenens clamaret Titius Annius: adeste quæso atque audite cives, P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frænare poteramus, hoc ferro, & hac dextra à cervicibus repuli, &c.*

Ibid. *cùm facibus ad curiam cucurrerunt, cum facibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt.* Poeta. *Obvius Æneas clypeoque insurgit & hasta.*

Quomodo sumi potest argumentum à modo? Resp. modus est in quo, quemadmodum, & quo animo factum sit quæritur: si graviter, si contumeliosè, clam, palam, vi persuasione, inscitia, casu, necessitate *Quintil. ibid.* Cic. pro Milone: *tu P. Clodii cruentū cadaver ejecisti, domo, tu in publicū ejecisti,*

ejecisti, tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.

Virgil. *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, componens manibusque manus, atque oribus ora. Tormenti genus, & sanie taboque fluenti, complexu in misero, longa sic morte necabat.* Idem: *altaria ad ipsa trementem traxit, & in multo lapsantem sanguine nati, implicuitque comam lava, dextraque coruscum extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.* Sunt hæ hypotyposes quibus abundant Poetæ, & passim Cicero. Pro domo sua Tullius contendit legem Clodiam de exilio suo esse irritam, quia per vim lata fuit; nam lapidatio, & hominum conscriptio, & comportatio armorum in ædem Castoris, & provinciarum venditio duobus improbis consulibus vim probant num. 53. *quid si per vim tulisti? tamenne lex est! aut quidquam jure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? an, si in ipsa latione tua: captâ jam urbe, lapides lati. &c.* Idem Catil. ex necessitate, & majore bono Reip. tantisper est clemens, nec interfici jubet Catilinam num. 4. *cupio, P. Conscripti, me esse clementem; cupio in tantu Reip. periculis, non dissolutum videri, &c.* Denique Catil. 3 fusè modum describit, quo conjurationem totam detexit, atque ipsos conjuratores comprehendit.

Quomodo sumi potest argumentum à signo? Resp. in partitionibus Cic. vocat consequentia quædam signa præteriti & quasi impressa facti vestigia, quæ quidem vel maximè suspicionem movent, & sunt quasi tacita criminum testimonia: ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, ut cum aliquo, & eo ipso in loco visus in quo facinus peractum sit, ut pallor, ut tremor, aut scriptum, aut obsignatum, aut dispositum quidpiam. *Quintil. ibid.* Pro Milone: *comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat, extorta est confitenti sica de manibus.*

Catil. 3. *ac mihi quidem, Quirites, cùm illa certissima sunt visa argumenta, atque indicia sceleris, tabella, signa, manus, denique uniuscujusque confessio, tùm multò illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas: sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonunquam inter se aspiciebant, ut non jam ab aliis indicari, sed ipsi à se viderentur.* Paulò ante: *tum*

Cethegus

Cathegus recitatis litteris debilitatus atque abjectus, conscientia convictus, reticuit. Introductus Statilius cognovit manum, & signum suum. Ostendi tabellas Lentulo, & quaesivi cognosceretne signum. Annuit. est vero, inquam, signum quidem notum, imago aut tui, clarissimi viri, qui amavit unicè patriam, & cives suos : qua quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit.

ARTICULUS IX.

Antecedentia, Consequentia.

QUid sunt antecedentia, & consequentia? Resp. dicuntur à Cicerone *Topic. c. 2. & Aristot. de Rhet. 5.* quæ, cum re necessariò sunt conjuncta, ut illa antecedant, hæc consequantur. Sic vulnus cordis mortem antecedit, arma bellum, culpa pœnam: pœna verò culpam sequitur, bellum arma, mors vulnus cordis.

Quanquam adverte quædam dici etiam antecedentia, quæ probabiliter tantùm, & non necessariò cum re conjunguntur; tuncque pariter consecutio est tantùm probabilis. v.G. flores edidit hæc arbor; igitur probabile est fructus habituram.

Fac argumentum ab antecedentibus: Resp. tu natus es homo; igitur moriere. Ille magni sceleris est reus; graviter igitur à justo judice plectetur.

Nemo ferè saltat sobrius, nisi forte insanit: sed ille saltat. ergo vel non est sobrius, vel insanit. Ita Cic. Pro Muræna num. 13, *nemo ferè saltat sobrius: nisi forte insanit : neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque honesto. Intempestivi convivii amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, Cato, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest. Nullum turpe convivium, non amor, non commessatio, non libido, non sumptus ostenditur. Et, cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas?*

Idem pro Milone num. 24. callida narratione ostendit probabiles Clodii insidias ab antecedentibus; 1. transtulit Clodius præturam, quam petebat, in sequentem annum: 2. juvit

juvit competitores, Milonis, ne hic isto anno, se prætore esset Consul. 3. quando istud impedire non potuit, Milonem statuit occidere, id palam sæpius professus est. 4. Cœpit occasionem itineris, cum multo comitatu servorum: 5. Locum pugnæ elegit aptum, ante fundum suum: atque à tergo Milonem adortus est.

Fac argumentum à consequentibus? Resp. dies est? ergo ortus est sol. Est fructuum copia, igitur & florum fuit. Cic. pro Flacco num. 99. *cum tabella vobis dabitur, judices, non de Flacco dabitur solùm: dabitur de ducibus, auctoribusque conservandæ civitatis; dabitur de omnibus bonis civibus; dabitur de vobismetipsis; dabitur de liberis vestris, de vita, de patria, de salute communi. Non judicatis in hac causa de exteris nationibus, non de sociis: de vobis, ac vestra Rep. judicatis.* Idem pro domo sua probans adoptionem patricii Clodii esse contra jus sacrorum, affert mala quæ sequerentur, si quivis è patricio plebeius fieret, num. 37. *Probate, Pontifices, genus adoptionis: jam omnium sacra interierunt, quorum custodes vos esse debetis: jam patricius nemo relinquetur: cur enim quisquam vellet tribunum plebis se fieri non licere? angustiorem sibi esse petitionem cõsulatûs, in sacerdotium cùm possit venire, quia patricio non sit locus, non venire? ut cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium, simili ratione adoptabitur. Itaque populus Romanus brevi tempore, neque regem sacrorum, neque flamines, nec salios habebit, &c.*

ARTICULUS X.

Causa.

QUid est causa? Resp. causa est id, cujus vi aliquid fit. Quot sunt causæ? Resp. Aristoteles, *Lib 2. Physic. c.* 3. quique secuti sunt eum, quatuor fecerunt: materiam ex quâ res est: formam per quam est: efficientem, à qua fit: finem propter quem fit. Tametsi finis in deliberando præcedat, primoque invenitur: Deinde forma, tum efficiens sequuntur; attamen in effectione operisque actione, materia prima est: tum efficiens & forma consequuntur; Itaque finis extremus est.

Quid est materia? Resp. jam dixi, est id, ex quo aliquid fit aut componitur: ut marmor est materia statuæ, argentum pateræ, corpus hominis, Quo-

Quomodo argumentamur à materia? Resp. corpus mortale est; igitur ipsi mens immortalis dominetur. Multa signa gemmis & auro cælata sustulit Verres; ergo gravia furta commisit. Vide hæc passim in Verrinis.

Menalias Ecloga 3. Virgilii: *pocula ponam fagina, cælatum divini opus Alcidemontis.* Contra similiter Damœtas: *& nobis idem Alcidemon duo pocula fecit.*

Ovidius 2. Metamorphoseos: *Regia solis erat sublimibus alta columnis, clara micante auro, flammasque imitante pyropo: cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat; argenti bifores radiabant lumine valvæ.*

Quid est forma? Resp. est causa, per quam res est id, quod est, & à cæteris rebus distinguitur. Ut animus est forma hominis, est enim causa, cur homo sit homo, & à cæteris rebus differat. Sic Domus, sic navis, sic terræ, sic ignis, cæterarumque rerum sua forma est, vel naturalis, quæ à natura; vel artificialis, quæ ab arte proficiscitur: hæcque posita est in certa quadam figura externa.

Quomodo argumentamur à forma? Resp. mors non est timenda, quia animus noster est immortalis. Ita Cic. pro Sext. num. 47. *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid tum? mortemne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui; alii autem tum maximè mentes sapientum, ac fortium virorum, cùm è corpore excessissent, sentire ac vigere? quorum alterum fugiendum non est carere sensu; alterum etiam optandum meliore esse sensu.* Et 1. offic. *si considerare velimus, quæ sit in hominis natura excellentia, & dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere mollitie, & delicatè, ac molliter vivere, quamque honestum sit parcè, continenter, severè, sobriè.* Argum. pro forma artificiali vide apud Ciceronem Verrina 6 num. ubi describitur Dianæ statua apud Segestanos posita ab Africano, quam Sacrilegus Verres abstulit.

Quid est efficiens? Resp. efficiens causa est, à qua res fit.

Quomodo argumentamur ab efficiente? Resp. sicuti multiplex est causa efficiens, ita multiplex argumentum. Alia est procreans, ut Deus, parentes. Argum: mundus à Deo parente rerum creatus est; igitur omnibus numeris absolu-

tum est opus. Virgil. lib. 4 Æneid. *Non tibi diva parens generis, nec Dardanus Author, perfide, sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanaque admôrunt ubera tigres.*

Alia est conservans, quæ rem tuetur, ut lex civitatem. Et in officiis Cicero docet gloriam comparari amore, gratiâ, favore civium, & opinione virtutis: eandemque rebus iisdem conservari. Pro Cluentio : *leges sunt vinculum hujus dignitatis, qua fruimur in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis: mens & animus & consilium & sententia civitatis posita est in legibus: ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine uti non potest: legum ministri, magistratus: legum interpretes, judices: legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.*

Alia est interimens, ut febris, intemperantia, propinatio veneni &c. Cicero pro Flacco respondet Lælio, Phrygem ex intemperanti esu ficorum esse mortuum: *facis injustè, Lali, si putas periculo nostro vivere tuos contubernales: præsertim quod tua negligentia factum arbitremur. Homini enim Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset fiscinam ficorum objecisti, cujus mors te ex aliqua parte relevavit; edacem enim hospitem amisisti.* Pro Cluentio : *Oppianicus uxori suæ Cluentiæ cùm ipse poculum dedisset, subitò illa in media potione exclamavit, se maximo cum dolore mori: nec diutius vixit, quàm locuta est; nam in ipso sermone hoc, & vociferatione mortua est.*

Alia est efficiens, vel sola, vel cum aliis. Efficiens cum aliis est princeps aut ministra, aut adjuvans: ut in navi gubernator gubernationis est princeps, nautæ & remiges sunt ministri, & adjuvant. Hos efficientis modos & solius, & principis, & adjuvantis Cicero pro M. Marcello expressit, cùm militares Cæsaris laudes, cum multis communicat, quia sit à multis adjutus: eique soli totam clementiæ gloriam attribuit, quia solus ejus author sit & effector. *Nam bellicas laudes solent quidem extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propria sint imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam verò partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat: & quidquid est prosperè gestum id pœnè omne ducit suum. At verò hujus gloria, C. Cæsar, quam es paulò ante adeptus, socium habes neminem. Totum*

tum hoc, quantumcumque est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna, in istius se societatem gloria non offert: tibi cedit: tuam esse totam & propriam fatetur.

Alia est quæ efficit aliquid suo motu, consilio, naturâ, ut confessio est Ciceronis pro Ligario: *Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.* Sic Phædria incontinentiam suam confitetur in Eunucho Terentii: *O indignum facinus! nunc ego & illam scelestam esse, & me miserum sciens, & tædet, & amore ardeo, & prudens, sentio, vivus videnſque pereo, nec quid agam, scio.*

Alia est, quæ efficit impulsu alterius, vel ex necessitate, vel ex casu fortuito.

Ad impulsum pertinet causa moralis, quæ rem quidem non efficit, sed movet ad rem faciendam, ipsique tribuitur effectus: sic ille censetur causa moralis homicidii, qui homicidium persuasit. Ille dux causa victoriæ, qui licet non pugnavit, tamen milites animavit, & instruxit ad pugnam.

Necessitatis causa hoc modo sumitur, in defensione Ligarii ad eos excusandum, qui Pompejum secuti essent: *At mihi quidem* (ait Cicero) *si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata.* Pro causa autem hæc est deprecatio pro eodem Ligario: *Ignosce pater, erravit, lapsus est, non putavit: si unquam posthac.* Et paulò post: *erravi, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro.*

Quis est finis? Resp. finis est, cujus gratia aliquid fit. Ut domus finis est usus, belli pax, hominis beata vita.

Quomodo argumentamur à fine? Resp. homo est factus ad beatam vitam: non ergo ut gulam satiet, aut sese ad res humiles abjiciat. Cic. Philip. 7. *si pace volumus frui, bellum gerendum est: si bellum omittimus, pace nunquam fruemur.* Rursus Philip. 8. *quæ causa justior est bella gerendi, quam servitutis depulsio? in qua etiamsi non sit molestus dominus, tamẽ est posse si velit.* Pro Ligario Tuberonem urget à fine armorum, contra Cæsarem susceptorum: *Quid enim, Tubero, tuus*

tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Quis sensus erat armorum tuorum, quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas.

Causæ autem finalis pronuntiata sunt tria. *Palatium Eloquent. de invent. lect.* 13. *Punct.* 15. 1. qualis est finis sive bonus, sive malus, talis est res, quæ per se ad illum ordinatur; ut si honesta est scientia, honestum erit & illius studium. 2. Qui finem expetit, ea debet amplecti, vel removere media, quæ ad illum conducunt vel obsunt: ut vis Rhetoricæ præcepta assequi? tibi studendum est, vitandumque iners otium. 3. Ex negatione Causæ finalis negatio Effectus colligitur, hoc est, si possit ostendi nullum fuisse homini propositum finem aliquid faciendi, probabile est non fecisse. Contrà ex fine & spe concluditur effectus: Ita Cic. probat Miloni insidias fecisse Clodium, qui sperabat illo interfecto multa bona se habiturum. num. 32. *Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci tam nefaria bellua, docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte positam, magnas utilitates fuisse. Itaque &c.*

ARTICULUS IX.

Effecta.

QUid sunt Effecta? Resp. sunt ea, quæ sunt orta de causis. *Cicero in Top.*

Quot sunt Effectorum genera? Resp. totidem ut causarum, quatuor: est enim suus effectus finis, & efficientis, & formæ & materiæ. Effectus finis est opus vel actio ad finem consequendum suscepta. Effectus formæ est ipsa actio, quæ procedit à formâ, vel est opus consequens formam. v. G. intelligere, ratiocinari, est effectus animæ rationalis, seu formæ hominis.

Effectus materiæ est quod ex materiâ fit, ut gladius est effectus ferri, si fit ex ferro.

Efficientis denique effectus est id quod ab illa fit: v. G. domùs est effectus Architecti.

Quomodo fieri potest argumentum à singulis effectis causarum? Resp. colligendo ex effectis causas, earumque vim, aut præstantiam: Nam effecta, ipsis causis notiora sunt,

ac propterea hic locus effectorum sæpiùs usurpatur ab oratoribus, quàm locus à causis.

Ergo argumentum ab effectis causæ finalis est: Rex delectum habet militum, legiones conscribit, Duces convocat; Rex igitur bellum meditatur. Socrates ad vesperam contentiùs ambulat; igitur quò meliùs cœnet, obsonat ambulando famem.

Ab effectis causæ efficientis Cic. lib. de senectute: *accipite optimi Adolescentes, veterem orationem Architæ Tarenti, magni imprimis, & præclari viri: quæ mihi tradita est, cùm essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam, cujus voluptatis avidæ libidines temerè, & effrenatè adpotiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpub. eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat, nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; adulteria verò, & omne flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate, cumque homini sive natura sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri, ac dono nihil tam esse inimicum quàm voluptatem, nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse omnino, nec in voluptate virtutem posse consistere.*

Ab Effectis causæ materialis: Corruptioni sumus obnoxii, ergo componimur ex corpore.

Hinc Virgil. Georg. 3. infert nihil nobis esse à corpore, nisi diuturnam mutationem, & miseriam. *Optima quaque dies miseris mortalibus ævi prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,*

Ab Effectis causæ formalis. Cic. lib. 1. Tuscul. *mentem hominis quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus: sic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis, vim divinæ mentis agnoscito.*

Et postea lib. 5. *sic enim Princeps ille Philosophiæ disserebat: qualis cujusque animi affectus esset, talem ejus esse hominem: qualis autem homo ipse esset, talem ejus esse orationem, orationi autem facta simillima, factis vitam,*

ARTICULUS XII.

Loci Extrinseci.

LOci extrinseci variè à variis appellantur. Cicero *in Top. & partit.* testimonia vocavit, Aristoteles & itidem quandoque Cicero & Quintilianus probationes inartificiales dixerunt. Agricola *l.* 1. *c.* 2. mavult esse pronuntiata. Quia scilicet hi loci ratione inventionis sunt extra oratoris artem; & probationes ab illis desumptæ non ex visceribus causæ, seu ex rebus ipsis, sed remotè & foris eruuntur: Quare authoritate niti debent.

Quid sunt præjudicia? Resp. sunt cùm in simili vel eadem causa aliquid aliquando judicatum est, *Quintil. Lib.* 5. *c.* 2. ut pro Milone; *Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum fateatur: in qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in eâ, qua primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri.*

Et pro Cluent. *Quis tum erat omnium, qui Scamnandro condemnato non judicium de Oppianico factum esse arbitraretur? quid est illa damnatione judicatum, nisi venenum, id quod Habito daretur, esse quæsitum, &c.*

Ibid. pulcherrimè commendat auctoritatem ac sententiam eorum, qui prius decreverunt. num. 197. *Ac ne ex facto solùm sapientes illos judicetis, sed etiam ex omnibus ipsis quod ii fecerint rectissimè ac sapientissimè factum probetis. Quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, jure peritior, fide, religione, officio diligentior, aut sanctior commemorari potest? is Oppianicum non absolvit. Quis P. Considio constantior? ne is quidem absolvit. Qualis vir Iuventius Pedo? qualis L. Caulius? qualis M. Basilus? quorum nullius sententiâ est Oppianicus absolutus. &c.*

Intellige ex Quintiliano præjudicia duobus confirmari, similitudine rerum de quibus quæritur, & judicum auctoritate. Refelli verò dissimilitudine, aut actorum incusando negligentiam, aut de infirmitate personarum querendo, contra quas erit judicatum; aut de gratia, quæ testes, judicesve corruperit, aut de invidia, aut de ignorantia; aut inveniendo quod causæ postea accesserit. Quorum ex Cicerone exempla non subiicio, ne fusior fiam.

Quid est fama seu rumores? Resp. est testimonium multitudinis, quæ habet auctoritatem, nisi malitia irrepserit, vel nimia credulitas: alioquin his duobus capitibus infirmatur. Est enim, inquit Quintilianus *Lib. 5, c. 3.* sæpe sermo sine ullo certo authore dispersus, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas: quod nulli non etiam innocentissimo, possit accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium. Cic. pro Cælio: *At fuit fama quotusquisque istam effugere potest in tam maledica civitate? vicinum ejus mulieris miraris malè audisse, cujus frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? 3. de fin. Est hominis ingenui, & liberaliter educati, velle benè audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris; & futura post mortem fama, etiam detracto usu, consulendum est.*

Quid sunt tabulæ? Resp. sunt scripturæ; vel publicæ, ut leges; vel privatæ, ut testamenta, Chyrographa, *Quintil. l. 5. c. 5. Argum.* testamento legitimo institutus est hæres, hæreditatem igitur adire potest. Cic. pro Cluent. *tabulis Verris fidem abrogat, propter lituras* nu 92. Et Verr. 7. Negat eundem Verr. quidquam è suo expendisse ad Cybeam navem ædificandam, quia id nusquam publicis tabulis proditur. num. 46. Jam à legibus valida argumenta sumuntur, ut pro Milone: *Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diuturnum autem si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?* Et ibid. paulò post: *Est enim, judices, non scripta sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.*

Quid sunt tormenta? Resp. sunt quæstiones quibus veritas extorquetur. *Arist. Rhet lib. 1. c. 15. Quintil. lib. 5. c. 4.* Cic. pro Milone num. 60. quæstiones, servorum, refellit à persona Appii, qui deridetur, & à modo quærendi non legitimo: *Age verò, quæ erat aut qualis quæstio; heus ubi, Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux, nullas fecit: sperata libertas.* Et pro Cluent. num. 176. Sassiam crudelitatis insimulat, quod iterata quæstione Nicostratū servum diu torserit:

ſerit: Item inferiùs multa de quæſtione habet, num. 182. Cæterū periculoſa eſt & ſæpè fallax, quæ tormentis exprimitur confeſſio vi enim doloris, aut cruciatuum metu quis adactus falſa dicet Idcirco hoc genus argumenti non ſatis firmum, niſi poſt quæſtionem rurſus interrogatus reus ſibi conſtet in rebus dictis.

Quid eſt jusjurandum? Reſp. eſt affirmatio religioſa, quâ aliquid, quaſi Deo teſte, aſſeritur; proinde ſervari debet, vel hoſti. *Ariſtot. Rhet. lib.* 1. *Quintil. Lib.* 5 *c.*6.

Sic. Cic. de fide & conſtantia Reguli locutus 3. offic. ***Nullum vinculum ad ſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt, id indicant leges in duodecim tabulis, indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant rationes, animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentiùs, quam de jurejurando judicabant.*** In argumentis ab hoc loco maximè ſpectanda eit perſonæ jurantis vel probitas, vel impietas: veriſimile namque eſt eum, qui in aliqua re ſemel ſit improbus & mendax, etiam in aliis ſceleratum & perjurum ſæpiùs futurum. Deinde huc pertinent promiſſa, & pacta, quæ inter aliquos conveniunt. Cic. 5. Philip. ***Audebo etiam obligare fidem meam, P. C. vobis populoque. Rom. quod profectò cum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimeſceremque in re maximè periculosâ opinionem temeritatis: promitto, recipio, ſpondeo Cæſarem talem ſemper fore civem, qualis hodie ſit, qualemque eum maximè velle, & optare debemus.***

Pactum autem eſt apud Virgil. Eclog. 3. ***Vis ergo inter nos quid poſſit uterque, viciſſim experiamur? ego hanc vitulam, ne forte recuſes, bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus, depono: tu dic mecum quo pignore certes.***

Quid ſunt teſtes? Reſp. ſunt qui de re, quæ in controverſiam vocatur, voce vel ſcripto teſtimonium ferunt. ***Ariſt. Lib.* 1. *c.* 15. *Quintil. Lib* 5. *c.* 7.** Porrò iis teſtibus fidem negamus, in quos cadit perturbatio, ira, odium, vindicta, pecuniæ ſpes, audacia, vita, & mores impii: præterea non auditur teſtis in ſua cauſa, nec abſens in aliena, nec in domini cauſa ſervus, nec in amici amicus. Fidem verò adhibemus iis, qui ſunt probæ vitæ, vel teſtes oculati, vel auriti, vel jurati. Pro Roſc. Comœdo. num. 42. ***Quo teſte igitur hoc planum faciam? venerat, ut opinor, hæc res in judicium, certè***

certè: quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flavius. Quis judex? Cluvius. Ex his unus mihi est testis producendus; qui pecuniam datam dicat: quis ex his gravissimus? sine controversia, qui omnium judicio comprobatus est judex, &c. Quem tu si ex sensu spectas, eques Romanus est; si ex vita, homo clarissimus; si ex re, judicem sumpsisti; si ex veritate, id quod scire potuit, & debuit, dixit. Ibid. num. 44. *Manilio & Luscio negas esse credendum? dic, aude, est tua contumacia, arrogantia, vitaque universa vox quid expectas? quam mox ego Luscium & Manilium dicam ordine esse senatores, ætate grandes, natu, natura sanctos & religiosos.* Pro Archia, num. 8. *Quid horum infirmari potest? Heracliane esse eum adscriptum negabis? adest vir summa auctoritate & religione & fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, &c.* Pro Flacco lepidissimè tota contentione Cicero rejicit, eluditque testes Asiaticos, & Judæos, & Romanos, à levitate sententiæ, & morum improbitate, & vilitate personarum: ubi abundè expressa cernes exemplis quæ supra diximus.

Denique est & aliud testimonium (præter divinum, ut oracula, auspicia, vaticinationes, responsa Sacerdotum, Aruspicum, Conjectorum) à quo trahitur fides & argumentum sanè firmissimum, nimirùm ab oratione seu à verbis cujusque. Sic Cic. pro Milon. adversus Clodium. *Res erat minimè obscura: etenim palàm dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc sæpè in Senatu, dixit in Concione: qui etiam Fannio fortissimo viro quærenti ex eo, qua spe fureret Milone vivo, respondit triduo illum, ad summum quatriduò periturum.*

ARTICULUS XIII.

Usus locorum.

Quis est usus locorum? Resp. Definitionis usus est, non tantùm, ut obscuræ rei adferatur notitia, aut involuta aliqua quæstio explicetur; sed etiam ad amplificationes, & descriptiones: præsertim illius definitionis, quæ datur per causas, & effecta, per negationem & affirmationem. Agricola *lib. 2. c. 28.*

Notatio ad vim & originem verborum, aut ad allusiones & jocos adhibetur.

Enumeratio partium ad œconomiam orationis, vel totum (explicatis partibus) clarè oculis subjiciendum, & amplificandum servit.

Genus valet ad excusandum crimen alicujus personæ, avocando orationem ab Hypothesi ad Thesin: Item ad docendum, laudandum, & vituperandum.

Similitudo & Dissimilitudo lucem affert rebus, ornatum argumentis, animis voluptatem.

Usus comparationis assurgit per exempla ad magnos motus.

Repugnantium verò ac oppositorum usus est in amplificationibus, ad refellendum ac probandum; item per antitheta ad ornatum orationis, & gratiam, & varietatem; tum ut res una per contrarium meliùs elucescat.

Latè ac eleganter patent Adjuncta: Nam illa animi, & corporis, & fortunæ, ad laudandum vel vituperandum; illa temporis, & loci & facultatis, & signorum; vel ad narrandum, vel probandum, vel confutandum, vel amplificandum, vel describendum, vim habent ac splendorem.

Idem est ferè usus de antecedentibus & consequentibus; præsertim ad suadendum, aut dissuadendum.

Per causas & effecta amplificamus: ac genus quidem demonstrativum ex rerum benè vel malè gestarum causis constat: In deliberativo & judiciali per effecta & causas copiosè probamus, confutamus, describimus.

Locis extrinsecis, ut præjudiciis, utimur ad confirmandum & refellendum, si accedit auctoritas: in aliis verò, ut fama, ut tormentis, ut tabulis, ut jurejurando, ut testibus, personarum probitas, & improbitas spectari debet, & rerum circumstantiæ expendi.

ARTICULUS XIV.

Modus variandi Argumenti.

QUotuplex est modus variandæ orationis? Resp. Quintuplex. 1. Per locos. 2. Per figuras. 3. Per argumentationes. 4. Per amplificationes. 5. Per affectus.

Varia idem argumentum per locos & figuras. Resp. Sit hujus

hujus propositionis. v.g. *Rhetorica est adolescenti expetenda, simplex argumentum à definitione, quia est ars benè dicendi.*

Sic variabis ab enumeratione partium per Apostropham, Interrogationem, subjectionem. *Ecquid tandem cogitas, adolescens, aut quanam tuo animo insidet de Rhetorica opinio? num invenire, qua quæstionem probabilem reddant, expetendum putas? est hæc prima laus Rhetoricæ, res inventas in ordinem distribuere. Quid ornatè eloqui? id non summo studio quærendum videatur? hæc quoque docet Rhetorica. Nisi fortè memoriam non laudas, qua inventis, cogitatisque rebus, & verbis adhibetur, aut actionem non æstimas, quæ summis oratoribus & infimis magnam affert dignitatem? at eadem ipsa Rhetorica memoriæ, & pronuntiationis præceptrix est, & quædam magistra. Quis igitur illam non expetat? quis, &c.*

Sic variabis à genere per Hypotiposim seu Ethopæiam. *Hæc quæ sæpè audistis, ponite vobis ante oculos, quanto studio artes expetit optimus quisque adolescens; ut hic ne verberibus quidem à contemplandis rebus, perquirendisque deterreatur, ut pulsus requirat, ut aliquid se scire gaudeat, ut aliis narrare gestiat; cernite ut nec valetudinis, nec rei familiaris habeat rationem, omniaque perpeti ardeat ipsa artis cognitione captus, & cum maximis curis, & cum laboribus compensare eam quam ex discendo capit voluptatem. Quod si tanta est innata adolescenti omnium artium cupiditas, quanto ille desiderio tenebitur Rhetoricæ?*

Sic variabis à Comparatione, & exemplo per sustentationem, & prosopopæiam. *Rhetorica scientia nulla res est præstantior? Nam quid antiqui maximè appetierunt? an divitiarum amplitudinem? an illecebras voluptatum? an honoris umbram? quid Demosthenes, quid Cicero, quid Hortensius, quid innumerabiles alii sibi proposuerunt? otium fortasse & quietem? nolite si: Ten ere. Quid igitur? loquantur ipsi & reviviscant. Audi adolescens horum orationem, tametsi scripta legeris. Opes, voluptas, honor caduca sunt & fluxa, Rhetorica scientia sempiterna: hanc tu sectare, in hac una excellere pulchrum puta, nescire autem turpe ducito, nullus nos labor ab illa terruit, nullus somnus, &c.*

Sic variabis ab effectis per exclamationem & repetitionem. *O magna vis & dignitas Rhetoricæ! ô præstantissima omnium scientia? quid est aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine existere unum, qui id, quod omnibus naturæ sit datum,*

datum, vel solus, vel cum paucis possit facere? aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Iterum, ô suavis vitæ dux & comes Rhetorica! tu adolescentiam alis, tu senectutem oblectas, tu secundas res ornas, tu adversis perfugium ac solatium præbes, tu delectas domi, non impedis foris, pernoctas nobiscum, &c.

Sic variabis ab adjunctis & consequentibus per prolepsim, licentiam, concessionem: *Dices fortasse quispiam: Quid hoc? omnis adolescens trahitur & ducitur ingenuis studiis atque artibus Rhetoricæ? Difficile sit hoc affirmare; dicam tamen liberè quod sentio, & magna vocis contentione dicam, ut plures audiant, non ex optimis adolescentem esse illum, qui Rhetoricam non attigit è limine: præsertim si neque ætas ipsi, neque ingenium, neque valetudo, locus, tempus, occasio, modus, facultas studendi desit. I tu, quando ita sentis, istam artem respue, & ejus cognitionem aspernare: verùm, quæ tibi laus erit viro minimè perito? quæ dignitas obveniet, qui honores? quæ præclarè facta dictaque, seni autem quæ gravitas, quod consilium, &c.*

Pluribus exemplis supersedeo, ne sim longior. De varianda argumentatione, amplificatione, affectu, vide suo loco.

CAPVT SECVNDVM.

De Argumentatione.

QUando jam eruta sunt è locis argumenta, proximum est ea explicare, & arte quadam tractare, quò majorem vim habeant: nam ex sese jejuna sunt & imbecilla, nisi accedit argumentatio, quæ nervus est orationis.

Quid est argumentatio? Resp. Est artificiosa argumenti explicatio. Argumentatio distinguitur ab argumento, in eo quòd argumentatio sit modus, seu ratio, quâ

quâ explicatur argumentum: argumentum verò fit materia argumentationis. Cic. *in Part.*

Quæ sunt argumentationis species? Resp. Syllogismus, seu raciocinatio, Enthymema, Collectio, Sorites, Dilemma, Epicherema, Inductio.

ARTICULUS I.

Syllogismus seu Ratiocinatio.

QUid est Syllogismus? Resp Est, cùm argumenti loco affertur ratio quædam communis & notior ad probandum. Quintil. *lib. 7. c. 8.* v.g. cum loco hujus argumenti, Rhetorica est amplectenda, quia est ars honesta, hæc ratio communis & notior ad probandum affertur, *omnis ars honesta est amplectenda:* tunc assumitur *Rhetorica est ars honesta:* concluditur, *ergo Rhetorica est amplectenda.* Similiter: *fugienda est voluptas, quia teste Horatio, nocet empta dolore.* argumentum est ab effectus: Argumentatio verò syllogistica est, &c. *Quidquid nocet, est fugiendum; nocet empta dolore voluptas: igitur fugienda est.*

Ex his adverte, Syllogismum constare duabus propositionibus; Majori scilicet & Minori, & præterea Conclusione. Major propositio sic appellatur, quia ex ea vis præcipua argumentationis emanat, videlicet ratio communis, & notior ad probandum. Minor propositio aliter dicitur Assumptio, quia in ea id, quod allatum est ad rem probandam, sive propositionis argumentum assumitur. Conclusio seu Complexio est, quæ id, quod ex tota argumentatione concluditur, breviter colligit.

Quid est ratiocinatio? Resp. Est Syllogismus perfectissimus, suis omnibus constans partibus.

Quot sunt Ratiocinationis partes? Resp. Philosophi tres numerant (& est simpliciter Syllogismus) Rhetores quinque (& est perfectissimus Syllogismus) 1. Pars est propositio rei, quam vocant Majorem, de qua superius. 2. Propositionis ratio. 3. Assumptio, quam vocant Minorem. 4 Assumptionis ratio. 5. Complexio. verbi gratiâ: Si velis ostendere mundum optimè providentiâ gubernari, sic

tri-

sic tripartitâ ratiocinatione uti potes: *Quod consiliò & providentiâ regitur, optimè regitur, mundus autem consilio & providentiâ regitur: mundus ergo optimè regitur.* Sic verò quinquepartita ratiocinatione utêris, sua cuique propositioni subjecta ratione: *Quod consilio & providentiâ regitur, optimè regitur; exercitus enim is, cui præpositus est sapiens Imperator, commodissimè regitur. Mundus autem consilio & providentiâ regitur; nam & signorum obitus & ortus, qui definitum quendam ordinem servant, & annua commutationes, quæ ad utilitatem rerum omnium sunt accommodata, sapientissimum aliquod numen esse ostendunt, à quo reguntur: providentiâ igitur mundus optimè administratur.*

Verùm datur præterea ratiocinatio quadripartita, cùm aut proponimus, aut assumimus sine probatione, ut præclarè Cicero ostendit lib. 1. de Inventione, hoc ejus exemplum esto: *Qui sæpenumerò nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus; siquid enim perfidiâ illorum detrimenti acceperimus, nemo erit præter nosmetipsos, quem jure accusare possimus. Ac primum quidem decipi incommodum est, iterùm stultum, tertium turpe. Carthaginenses autem persæpè nos fefellerunt: Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidiâ toties deceptus sis.* Ubi vides assumptionis probationem & expositionem deesse.

Quid in ratiocinatione cavendum est? Resp. ut vitetur similitudo, quæ satietatis est mater, non semper à propositione ordiendum est, sed interdum à complexione, ab Assumptione nonnunquam omittenda sæpè probatio, quando propositio clara est: Deindè quælibet propositio illustrari debet variis figuris, amplificationibus & locis Rhetoricæ: sine his enim languida est argumentatio. Quare toties variari possunt singulæ argumentationis partes, quot sunt figuræ sententiarum, ut interrogando, exclamando, prætereundo, communicando, &c.

ARTICULUS II.

Enthymema.

QUid est Enthymema? Resp. est Syllogismus imperfectus, vel ut alii definiunt, Syllogismi pars, quia altera ex duabus propositionibus constat, illi deest sive Major, sive

sive Minor, Quintil. *lib.5.c.14.* Cic. *in Topic.* ut Rhetorica est ars; igitur expetenda. Cic. pro Cœlio: *Atque scitote, Iudices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc studia, de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse posse.*

Vt sit Syllogismus: *Non possunt in eo, in quo est summus studiorum amor, esse & prava cupiditates; In Cœlio est summus studiorum amor: non possunt ergo in eo esse prava cupiditates.*

ARTICULUS III.

Collectio.

Quid est Collectio? Resp. Est argumentatio, quæ quinque habet partes. 1. Propositionem. 2. Rationem propositionis. 3. Rationis confirmationem. 4. Exornationem confirmationis. 5. Denique complexionem. Exemplum est hæc propositio: *Pravorum consortia sunt adolescentibus vitanda.* Ratio, *quia hæc ætas celeriter corrumpitur hujusmodi consortiis.* Confirmatio, *deficit enim ratione & consilio hæc ætas; tum adolescentis voluntas, quàm est cæca & proclivis in vitium!* Exornatio, *Atque ego nullum scopulum, nullam charybdim tot tantisque navigantium naufragiis infamem puto, quàm istud pravorum consortium fuit perditum ac profligatum ad casum, perniciemque adolescentum.* Complexio, *pravorum igitur consortia sunt adolescentibus vitanda.*

Vide exempla perfectæ collectionis in 2. & 3. Catalinaria: nam harum duarum orationum analysis est aperta Collectio. Ac in postrema quidem propositio est ista: *Hic dies supplicatione Deorum est celebrandus.* Ratio, *quia Cicero hodie Rempubl. conservavit.* Confirmatio, *nam Catalinariam conjurationem manifestè comperit.* Exornatio, *Istam autem conjurationem longè omnium periculosissimam, crudelissimamque sine internecione civium, togatus Consul, brevi tempore extinxit.* Complexio, *ergo hic dies, &c.*

ARTICULUS IV.

Sorites.

Quid est, Sorites? Resp. Est argumentatio, quâ multis congestis propositionibus veluti gradatim & coacer-

vatim collectis aliquid infertur, Cic. *lib. 2. de Divinat.* exemplum sit: *Si prator, pecuniam dedit, ut est scriptum, à quastore numeravit; quaestor à publica mensa, publica mensa ex vectigali aut ex tributo, ergo si prator pecuniam dedit, ex vectigali dedit.* Alterum exemplum sit: *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria amulos comparavit; igitur Africano industria amulos comparavit.*

Sed hoc argumentandi genus sæpè solet esse fallax & captiosum, ut hoc: *Bibliopola multos habet libros, eosque sæpe evolvit; qui autem libros sæpè evolvit, multùm studet, qui multùm studet, doctus evadit, ergo Bibliopola doctus evadit.* Sic Stoici fallaciter concludebant omne, quod quâvis ratione bonum esset, esse honestum: *Si bonum, igitur optabile, expetendum; si expetendum, dignitatem habet; si dignitatem habet, laudabile est; si laudabile, honestum; igitur si bonum est, honestum est.* Hic tertia consecutio est vitiosa, multa enim sunt expetenda, quæ dignitatem non habent, ut nonnulla utilia, & alia quædam jucunda.

Quare cavendum, ne in discursu aliquid non legitimum admittatur, aut minùs consequens ex alio.

ARTICULUS V.

Dilemma.

QUid est Dilemma? Resp. Est argumentatio, quâ utrumvis concesseris, reprehenditur. Cic. *de Invent. lib. 5.* Idem in Pison. *vel triumphi, vel prada cupiditas te ad provinciam petendam rapiebat; non triumphi ut tutè profiteris; ergo prada. implacabiles sunt iracundia, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa lenitas.*

Æquivalet hoc Dilemma huic ratiocinationi: *Nec debet esse acerbus homo, nec lenis, sed si irascitur, erit alteruter: vel enim non patietur placari iracundiam suam, & acerbus erit: vel eam exorari sinet, & lenis appellabitur; non ergo debet irasci.*

Vide pulchrum Dilemma pro Quinctio. num. 81. *An antequam postulasti, ut bona possideres, misisti qui curarent, ut dominus de suo fundo dejiceretur? utrumlibet elige: alterum incredibile est, alterum nefarium, & ante hoc tempus utrumque inauditum. Sexcenta millia passuum vis esse decursa biduo? negas? ante igitur misisti? malo: si enim illud diceres, improbè menti-*

mentiri viderere; cùm hoc confiteris, id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis, &c.

Potesne solvi Dilemma? Resp. Si verum sit, solvi non potest; si falsum, vel inversione, vel alterius, aut utriusque partis infirmatione diluitur. Sic propositum Dilemma dissolvitur: *Si implacabiles sunt iracundiæ, modò justæ sint de causa suscepta & confirmata, summa justitia est. Si placabiles, modò se offerat honesta parcendi occasio, summa lenitas.*

ARTICULUS VI.

Epicherema.

Quid est Epicherema? Resp. Est brevis ratiocinatio, in qua tamen integer Syllogismus comprehenditur; Quintil *lib. 5 c. 14.* *Ut quis dubitet mundum, qui optimè regitur, consilio & providentiâ administrari? sine causa servus dominum accuses?* æquivalet hoc Epicherema huic ratiocinationi: *sine causa servus dominum accusare non debet, quia contra naturam est; hic servus est Titii, quandoquidem se illi mercede locavit: cur ergo sine causa illum accuset?*

ARTICULUS VII.

Inductio.

Quid est Inductio? Resp. Est argumentatio, quâ ex multis singularibus propositio universalis infertur. Cic. *de Invent. lib.* 1. Quintil *lib. 5. c. 11.* Exemplum esto illud Ciceronis. *Domus ea, quæ consilio regitur, omnibus instructior est rebus & apparatior, quàm ea, quæ temerè & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodiùs regitur, quàm is, qui stultitia & temeritate alicujus administratur. Eadem est navigii ratio: nam ea navis optimè cursum conficit, quæ scientissimo gubernatore utitur; igitur meliùs accuratiùs quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur.*

Quotupliciter fit Inductio? Resp. Tripliciter.

1. Enumeratione partium sub uno genere, ut: *Prudentia laudanda est, laudanda item Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & sic de cæteris; ergo omnis virtus laudanda est.*

2. Fit

2. Fit plurium similitudinum seu comparationum congestione, ut: *Quis optimus arborum fructus, nisi qui dulcissimus? quænam summa pulchritudo, nisi ea, in qua omnia lineamenta perfecto inter se ordine consentiunt? quænam ergo præstantissima virtutum, nisi prudentia, cujus inter cæteras & fructus suavissimi, & fulgor eximius, & ordo perfectus.*

3. Fit inductio exemplo, cùm ab uno simili, argumentamur ad aliud, ut: *Servilius Ahala, qui occiderat Spur. Melium, non est condemnatus: neq; igitur Milo, qui Clodium ipso Melio sceleratiorem occidit, morte mulctandus est.*

Animadverte exemplum esse inductionem imperfectam, quia inductio à pluribus similibus, exemplum ab uno tantùm procedit ad aliud.

Idcircò elegans est ista Ciceronis inductio pluribus exemplis, paradoxo. 1. *Quibus gradibus Romulus ascendit in cœlum? quibus autem Numa Pompilius? num rebus gestis atque virtutibus? omitto reliquos Reges: sunt enim pares inter se, præter Tarquinium superbum. Bruto verò in liberanda patria, præter officium fortis & magni viri, an quidquam aliud propositum fuisse videatur? quæ res ad necem Porcenæ Q. Mutium impulit sine ulla spe salutis suæ? quæ res Horatium Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quæ vis patrem Decium, quòd filium devovit orco, immisit in armatas hostium copias? quid continentia C. Fabricii? quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? quid duo propugnacula belli punici Cn. & Pub. Scipiones, qui Carthaginensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus Minor? quid Major? quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alii (nam domesticis exemplis abundamus) an putamus horum quemquam cogitasse quidquam in vita sibi expetendum, nisi quòd laudabile esse, & præclarum videretur?*

ARTICULUS VIII.

Argumentationum usus ac venustas.

Quis est usus argumentationum? Resp. Syllogismus, seu Ratiocinatio servit exornationi & amplificationi, ubi res amplè dicenda est, ac fusè per theses, probationesque explicanda, præcipuè in genere demonstrativo & deliberativo.

Enthy-

Enthymemate sæpiùs utuntur Oratores, quàm Syllogismo & ratiocinatione, quia efficax est, & breve ad probandum.

Collectio clara, & facilis argumentatio valet ad persuadendum: nam sensim adaugens rem stabilit, expolit, demonstrat.

Sorites est fallax, & capiosus, in quo frequentes fuerunt Stoici: sed maximè omnium illo delectatus dicitur Chrysippus, uti Socrates inductione.

Dilemma utrimque urget, capitque adversarium. Includitur Epicheremate, vibraturque vehemens argumentum.

Inductio delectat, & est vulgo apta, propter similitudines. Hanc argumentationem frequentant Rhetores, ac Poetæ, præsertim Ovidius, quia venustè ac perspicuè explicat argumenta.

Quot rebus continetur & perficitur venustas argumentationum? R. Tribus. 1. Ut varietas magna quæratur in argumentationibus, ne satietatem, & nauseam pariant; neque enim oportet multa simul crudè & indigestè congerere, ac eodem modo explicare, sed jucundâ quadam varietate distinguere: qua in re mirabilis est Cicero, qui ita variat argumentationes, ut priori argumento deserviat argumentatio quinquepartita, secundum argumentum explicet Enthymema, tertium claudat inductio. 2. Ut singulæ argumentationis partes, diversis verborum & sententiarum figuris exornentur, quod suprà de ratiocinatione diximus. 3. Ut cùm erit inventa omnis argumentandi varietas & exornatio, transitionibus & digressionibus illigetur.

ARTICULUS IX.

Transitio.

QUoniam ingressionibus seu transitionibus sæpiùs laborat adolescentia, plures harum species seu formas colligemus.

Quid est Transitio? R. est ab una orationis parte ad aliam idonea progressio: vel est vinculum seu nexus, quo pars orationis posterior cum priore aptè conjungitur. *Palatium eloquentiæ de Argum. lect 4. puncto 4. & 5.*

Quot modis fit Transitio? R. 1. fit per simplicem dicendo-

rum propositionem, ut Cic. pro Mur. *Venio nunc ad M. Catoni, quod est firmamentū ac robur totius accusationis.* Item *cognoscite nunc judiciū senatus, &c. At videte singulare genus fraudis.*

2. Per partitionem, ut pro Rosc. Amerino. *Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstant hoc tempore Sext. Roscio; crimen adversariorum, & audacia, & potentia: criminis confictionem accusator Erucius suscepit: audacia partes Roscii sibi poposcerunt: Chrysogonus autem his, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.*

Vide ejusmodi per partitionem transitiones in exordiis pro Quinctio, & Cluentio.

3. Per brevem superiorum repetitionem, ut Cicero pro lege Manil. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam,* & ibid. *Causa quæ sit, videtis; nunc quid agendum sit, considerate.* Et pro Archi Poeta: *Quæ cùm ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, præsertim, cùm in aliis quoque civitatibus fuerit adscriptus? etenim, &c.*

4. Per conclusionem, quæ viam facit ad sequentem orationem, ut pro Muræn. *Nihil igitur in vitam Murenæ dici potest: Nihil inquam, omnino, quo constituto facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis.*

5. Per comparationem, aut aliquid affine, aut consequens ex præcedenti, ut: *Neque verò illa pax cum Antonio turpior, quàm periculosior censeri debet: nam, &c. Sed me Iudices, non minùs hominis sapientissimi atq; ornatissimi Ser. Sulpitii conquestio, quàm Catonis accusatio commovebat, qui &c. Quæ cùm sint gravia, illud acerbissimum est, quod habet tres accusatores &c.*

6. Per incrementum sive gradationem. Cic. pro Cluent. *Neq; solùm in eo diligens fuit, ut accusatorem filio suo compararet, sed etiam cogitavit quibus eum rebus armaret.*

Et pro Rosc. Amerin. *Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant atque adaugent, crimen incredibile confingunt, &c.*

7. Per attentionis renovationem, ut: *Attendite nunc ad id quod sum dicturus.*

8. Per prolepsim sive occupationem, ut: *Sed dicet aliquis, ut minor sit in hac re dignitas, magnum esse utilitatem: Imò attendite detrimentum; amœnitas eum, credo locorum, urbium pulchri-*

pulchritudo, hominum nationumq; illarum humanitas & lepos retinet, quid illis terris asperius? quid incultius oppidis?

9. Per allegoriam, ut Cic. pro Sextio. *Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & respectantes relinquamus. Ad tribunal, quia ipsum ad sese jam dudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursuq; veniamus.*

10. Per dubitationem, ut: *Quid nunc de virtutis honestate dicam? quid reliquam vitæ constantiam commemorem.*

11. Per communicationem, ut: *Iam quæro ex vobis, quantam Rhetoricæ utilitatem ponetis?*

12. Per Concessionem, ut Cic. pro Muræn. *Sed hæc sanè paria sint omnia, sit par forensis opera militari, sit par militari suffragatio urbana. Quid in ipsa prætura, nihilne existimas inter tuam & illius sortem interfuisse?* & pro Rosc. Amerin. *Esto, causam proferre non potes, tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia, non quæro abs te, quare patrem Sext. Roscius occiderit, quæro quomodo occiderit.*

13. Per ejusdem vocis repetitionem, ut pro Milone. *Quem si interficere voluisset, quanta quoties occasiones, quàm præclaræ fuerunt? Potuitne cùm domum, ac Deos penates suos illo oppugnante defenderet, jure se ulcisci? Potuitne cive egregio, & viro fortissimo P. Sextio Collega suo vulnerato? Potuitne Fabricio viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissimâ cæde in foro facta? Potuitne Cæcilii justissimi Prætoris oppugnata domo? Potuitne illo die, cùm est lex lata de me,* Et pauló infrà num. 42. per Anaphoram, quid &c.

14. Per apostropham, ut: *Nunc vos appello Cælites, quantum est gaudium vestrum, quanta virtutis vestra merces ac gloria?*

15. Per ironiam, ut: *Cur igitur manumisit? metuebat scilicet, &c.*

16. Per correctionem, ut: *Sed quid hæc diutiùs disputo, cùm hac luce clariora videantur? itaque ad aliud progredior.* Denique tot sunt ferè modi & formulæ transitionum, quot sunt figuræ sententiarum: Verùm sunt & aliæ minores transitiones, quæ partes seu propositiones argumentationum connectunt, ut hæ: *Quid, quid nunc, jam verò, etenim, equidem, accedit quod, & verò ignoratis, quamobrem, igitur.*

Ad extremum juvabit seligere plures ex Cicerone formulas, quibus ab uno vel argumento, vel orationis membro

transitur ad aliud: ut pulcherrimè fit pro lege Manil. num. 6. *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim ejusmodi, quod maximè vestros animos excitare atque inflammare debet*: Sic primum membrum aggreditur Cicero. Ad secundum verò sic progreditur, num. 20. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Ad tertium num. 27. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum, restat ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur, utinam, &c.*

Et prò Muræn. num 11. *Intelligo, judices, tres accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Primam partem sic ingreditur: *Atque harum trium partium prima illa, quæ gravissima esse debebat, ita fuit infirma & levis, ut, &c.* Secundum sic ingreditur: *Benè habet, quo constituto facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis, summum video, &c.*

3. Sic: *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus retractandus.*

ARTICULUS X.

Digressio.

Quid est Digressio? Resp. (virtus potiùs, ut transitio, quàm pars orationis) est alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Quintil. *lib.* 4. *c.* 3. Est quasi levis armaturæ militum excursio, ubi occasio est, ut si facinus aliquod fortitudinis eximiæ prædices, ad laudes ipsius fortitudinis, vel eorum qui similia patrarunt, cum judicio excurris, & apta transitione ad rem tuam te recipis. Itaque res, ad quam excurritur, debet cohærere cum causa, nec debet esse per vim aut temerè inserta.

Deinde ea re tantisper expositâ, reditus ad propositum significari debet, maximè si fuerit longiuscula digressio. Præterea digressio fit præcipuè laudandi, vituperandi causâ; & quando materia inamœna est, & ingrata, delectandi.

Vide exempla pro Quinctio. num. 44. ubi digreditur Cicero

cero ad judicem Aquilium, & actorem Hortensium, ut utrumque avocet à judicio, quod fit non de pecuniis, sed de capite Quinctii.

Et pro Rosc. num. 55. ubi digreditur in Erucium & accusatores ineptos comparatione canum & anserum in Capitolio. Verrin. 2. statim digreditur in Siciliæ laudes, & alibi sæpiùs in suas laudes, contra adversarios: quæ passim exempla, quia prolixiora, non affero.

ARTICULUS XI.

Modus variandæ Argumentationis.

VAria eandem argumentationem. Resp. Sit hujus argumenti. v. G. Præceptores sunt laude afficiendi, quia sunt optimè de Repub. meriti. , hæc explicatio, seu argumentatio syllogistica: *Qui sunt optimè de Repub. meriti, ii laude sunt afficiendi; hujusmodi sunt præceptores: ergo, &c.* Sic variabis per ratiocinationem: Major. *Qui sunt optimè de Repub. meriti, laude sunt afficiendi.* Probatio. *Quia laus est præmium virtutis, soletq; honestis viris deferri propter merita vel in cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum.* Minor, *Præceptores sunt optimè de Repub. meriti* Probatio, *Quia teste Tullio, nullum munus Reip. majus afferre meliùsve possumus, quàm si doceamus, atq; erudiamus juventutem, iis præsertim moribus, atq; temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda, atq; coercenda sit.* Conclusio, *quis igitur dubitet præceptores esse laude afficiendos.*

Per Enthymema: *Præceptores sunt optimè de Repub, meriti; igitur laude afficiendi.*

Per collectionem: Propositio, *Præceptores sunt laude afficiendi.* Probatio, *quia docendo atq; erudiendo juventutem, sunt optimè de Repub. meriti.* Confirmatio, *quid enim majus meliùsve hoc docendi munere afferri Reipub. possit?* Exornatio, *alii armis, alii toga, scriptisq; Reip. studeant, nos præceptis juventutem imbuamus, ex cujus recta institutione omnis imperatorum, ac togatorum, scriptorúmque industria ac virtus emanat.* Complexio, *igitur præceptores sunt laude afficiendi.*

Per formam: *Si quid laudis,consilii,ac virtutis habet puer, id debet praeceptori suo; adolescens autem illud pueritia benè instituta debet; vir adolescentiae; virili aetati senectus; senectuti Resp. cujus haec auctoritate ac sapientiâ nititur. Ergo si quid laudis,consilii,virtutis habet Respub. id omne praeceptoribus acceptum referre debet.*

Per Dilemma: *Pueri praeceptoribus traditi, vel posteà proderunt Reipub, vel oberunt: Si proderunt, praeceptorum opera laudabitur; si oberunt, quòd id nullâ praeceptorum culpâ contractum erit, tamen laude suâ ac praemio carere non debent.*

Per Epicherema: *Praeceptores, qui de Repub. merentur optimè, dum juventutem docent, nullâ laude afficiantur.*

Per Inductionem: *Plato, Pythagoras, Aristoteles, Zenophon, Quintilianus, aliiq; clarissimi viri singulis aetatibus extiterunt, qui magnam in omni Repub. meritorum famam retulerunt, quia juventutem erudierunt; igitur praeceptores, &c.*

CAPUT III.

De Amplificatione.

GRavissima pars eloquentiae est Amplificatio, quae per omnes argumentationis partes fusa esse debet; nam omnis Rhetoricae vis, in amplificando consistit; quare maximè interest, claram & apertam amplificationis ideam adolescentibus proponere.

Quid est amplificatio? Resp. cum Cicerone, est gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem.

Quotuplex est amplificatio? Resp. Duplex: alia verborum, de qua etsi lib.3. de Elocutione, hic tamen pauca dicemus. Quintilian. *lib.8 c.4.*

Alia

Alia rerum, quæ quatuor modis fit: 1. per congeriem. 2. per incrementum. 3. per ratiocinationem. 4 per comparationem: quos quatuor amplificationis modos, seu fontes ex Quinctiliano aperiemus.

ARTICULUS I.

Amplificatio verborum.

QUomodo amplificatio verborum fit? Resp. 1. per verba translata: ut cùm aliquem irâ incensum, inflammatum cupiditate, errore lapsum dicimus. *Palatium eloquent. de amplific. lect. 5. puncto* 4. 5. 6.

2. Per verba superlativa, id est, quæ veritatem excedunt, & plus dicunt quàm re ipsa esse possit, ut: *domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas* 3. fit per epitheta splendida & apta. Ita Cicero de Pompeii virtute agens, hanc auget duobus adjectis, *singulari & eximia*. Et pro Milon. *Erat id temporis clarissimus & fortissimus Consul, inimicus Clodio P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator Senatus, defensor vestræ voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meæ.* Et verò si quis dixerit Ciceronis industria virtusque Catilinam expulit ex urbe. expresse quidem: quanto sublimius siquis epithetis idem exornet! *incredibilis ac prope divina togati Consulis virtus ac industria singularis fortissimum atque crudelissimum civem Catilinam ex urbe Roma expulit.* 4. fit per superlativa pro absolutis. ut *quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus.* 5. per graviora & consonantiora verba, ut *si pœna à consceleratissimis exigi videantur.* 6, per graviora verba & plus significantia. ut, cùm eum qui sit cæsus occisum, eum qui sit improbus, latronem dicimus. ita Cicero in Verrem: *Non enim furem sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium, sociorumque, in vestrum judicium adduximus.* 7. per plura verba & sententias ejusdē significationis. ut *tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus: abiit, excessit, erupit,*

evasit. Item pro Ligar. *quid enim Tubero, tuus ille districtus in acie pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? qua tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Expende quàm multa sint hic verba idem significantia, *gladius, mucro, arma, sensus, mens, animus, cupiebas, optabas.*

Cavendum tamen ne temerè, & pueriliter hac amplificatione utamur.

ARTICULUS II.

Amplificatio rerum per congeriem.

VNde amplificatio rerum per congeriem sumitur? Resp. ex iisdem fere locis, quibus argumenta; ut sunt definitiones conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio: & causæ, & Effecta, & adjuncta, & Enumeratio partium. *Quintil. l. 8. c. 4.*

Quid est amplificatio à definitionibus conglobatis? Resp. est ea, in quam variæ unius rei definitiones congeruntur. ut *historia testis est temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vita, nuncia vetustatis.*

Item, *virtus, qua in tempestate sæva quieta est, lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen atque hæret in patria, nec alienis unquam sordibus obsolescit.* Et pro Milone: *Curia templum sanitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo Rom. concessa uni ordini.*

Quid est amplificatio à consequentium frequentatione? Resp. est ea in qua plura ponuntur acervatim ex eadem re consequentia. ut, *si bellum geritur, urbibus populatio, campis vastatio, ruina templis, divinis omnibus, & humanis extrema pernicies inferetur.*

Pro Muræn. num. 85. amplificat Cicero, quæ facturus fuisset Catilina, si Consul fuisset: *Sed quid tandem fiet, si hac elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint, &c.*

Et 7. Verrina num. 76. Si Archipirata servatus à Verre profugisset aut fuisset mortuus. *Quod si ille prædo domo tua profugisset, si aliquam manum contra populum Rom. facere*

facere potuisset? quid diceres? apud me habitavit, mecum fuit, ego illum ad meum judicium, quo faciliùs crimen inimicorum diluere possem, vivum atque incolumem reservavi. Itane vero tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quæ debentur hostibus victis ad tuum, non ad Reip. tempus conferes? populi Rom. hostis privatis custodiis asservabitur? &c.

Quid est amplificatio à contrariarum rerum conflictione? Resp. est ea, in qua plura contraria inter se per antitheses opponuntur. Ut, *hoc verò quis ferre possit inertes homines fortissimis insidiari? stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus, &c.* Et in Catilin. *ex hac enim parte pudor pugnat, hic petulantia; hinc pudicitia illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido.* Huc pertinet rerum inter se pugnantium dissensio, in qua adversarium aliumve sibi contradicere ostendimus. ut, Cicero pro Rosc. comœd. contra Saturium. *Quâ in re mihi ridiculè es visus esse inconstans, qui eundem & laderes & laudares, & virum optimum, & hominem improbissimum esse diceres: eundem tu & honoris causâ appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas,* vide pro Roscio Amer. num. 44. ubi item Erucius contra se pugnare arguitur.

Insigniter idem Tullius contra Antonium Philip. 2. num. 31. *Attende paulisper, cogitationemque sobrii hominis, punctum temporis suscipe, &c.*

Quid est amplificatio à rerum dissimilium colluctatione? Resp. Est ea in qua plura dissimilia afferimus. ut Cicero 2. Catil. *Instruite nunc contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestrosque exercitus, & primum gladiatori illi confecto ac saucio Consules Imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiæ ac robur educite: jam verò urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis sylvestribus: neque verò cæteras copias, ornamenta, præsidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate debeo conferre.*

Quid est amplificatio à causis & effectis conglobatis? Resp. Est ea, in qua multæ unius rei causæ, & effecta conglobantur. ut, *quereris multimodis vexatam esse provinciam? sed ad causas calamitatis attende: vigebat in eâ ambitio, luxuria*

ria dominabatur, segnes erant Magistratus, populus ipse molli otiosaque securitate diffluebat: expecta igitur damna longè graviora: exhaurientur pecunia, jacebit spreta religio, cædes impunè volitabunt. Sic Cicero à causis agitat Verrem. *agunt enim praecipitem pœnæ civium Rom. quos partim implorantes securi percussit, partim in vinculis necavit, passim implorantes jura libertatis & civitatis in crucem sustulit. rapiunt illum ad supplicium Dii patrii. quod iste unus inventus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pro sepultura liberorum reposceret. religionis verò ceremoniaque omnium sacrorum violata simulacraque Deorum, quæ non modò ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris ab isto retrusa, atque abdita, consistere ejus animum sine furore, atque amentia non sinunt.* Vide pro P. Quinctio ab effectis conglobatis, amplificatur proscriptio bonorum Quinctii. num. 49. uti pro Rosc. Amer. scelus parricidii à causis conglobatis num 37. & 62.

Quid est amplificatio ab adjunctis conglobatis? Resp. est ea, quæ ab omnibus seu rerum seu personarum adjunctis, ac circumstantiis ducitur: quæ amplificatio celeberrima est apud Ciceronem. Hanc S. Hieronymus affert de Monacho virginem ad stuprum fugamque sollicitante. lib. 2. ep 3. *infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius natus est, de stupro condicturus ingrederis? non times ne de præsepio infans vagiat, ne puerpera virgo te videat? Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & in cubiculum virginis decepturus virginem irrepis? &c.* operæ pretium est reliqua hujus loci legere. Similem habes locum pro Cluent. ubi Cicero nuptias socrus cum genero describit ab adjunctis, & postea in peroratione insectatur impietatem Sassiæ, quæ ut filium accuset, Romam proficiscitur. Et 7. Verri. num. 36. Luxuria Verris amplificatur conglobatis adjunctis itinerum & conviviorum. Ibid. num. 79. & seq. mirificè conglobantur adjuncta devictæ & incensæ classis Rom.

Quid est amplificatio ab Enumeratione partium? Resp. est ea, in qua totum in partes diffundimus: quod item oratoribus frequentissimum est. Disertè Plinius in Panegyri populum describit Traiano triumphanti obvium: *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare*

tare juvenes, mirari senes, agri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Videres referta tecta, ac laborantia, oppletas vias, angustumque trámitem relictum tibi, alacrem hinc inde oculum, ubique par gaudium paremque clamorem. Cicero adfert etiam insignem ab Enumeratione partium amplificationem post reditum ad Quirites. n. 20. cùm se magis quàm ante rebus omnibus delectari dicit.

ARTICULUS III.

Amplificatio rerum per incrementum.

QUid est amplificatio rerum per incrementum? Resp. Est cùm per gradus crescit oratio, & ad summum pervenit. *Quintil. lib. 8. c. 4.*

Quot modis fit? Resp. 1. cùm in ipso contextu & cursu orationis semper aliquid priore majus insequitur. ut pro Rosc. *petimus abs te M. Fanni, à vobisque, judices, ut quam acerrimè maleficii vindicetis, ut quam fortissimè hominibus audacissimis resistatis, ut hoc cogiteis nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendatis, eo prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, ut non modò clam, verùm etiam hic, in foro, ante Tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia cades futura sint.* Gradus sunt, *clam, in foro, ante tribunal, pedes, inter subsellia.* Item 2. Philip. *tu istis faucibus, istis lateribus. ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hyppia nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Rom. conspectu, negotium publicum gerens vomere postridie. O rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu! si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis, & vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal implevit.* Habent singula incrementum: per se enim turpe erat, vel non in cœtu populi Rom. vomere, vel si nullum negotium gereret, vel si non publicum, vel si nòn magister equitum,

2. Cùm ea quæ minora sunt, magna facimus, ut quod ultimo loco ponitur, maximum esse videatur. Ita Cic. in Verrem. *facinus, est vincire civem Rom. scelus, verberare; prope parrici-*

parricidium, necare, quid dicam in crucem tollere? nihil addi jam videtur ad hanc amentiam, improbitatem, crudelitatemque posse. Huc refertur extenuatio cùm præcedentia, quæ verè maxima sunt, elevamus, ut quod sequitur majus appareat. Cicero 7. Verrin. in eundem Verrem. *Levia sunt in horreo crimina; metum virgarum Navarchus nobilissimæ civitatis pretio redemit: humanum alius ne condemnaretur, pecunias dedit: usitatum est, non vult populus Rom. obsoletis criminibus accusari Verrem, nova postulat, inaudita desiderat, non de pratore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri judicium arbitratur.*

ARTICULUS IV.

Amplificatio rerum per Ratiocinationem.

QUomodo fit Amplificatio per Ratiocinationem? Resp. cùm aliud augetur ut aliud crescat *Quintil lib.* 8. *c.* 4. Sic hostis fortitudo & virtus. v.g. Hannibalis extolli potest, ut major victoris gloria, v. c. Scipionis crescat. ita Virgilius Turnum laudat, ut major Æneas appareat.

Sic nos tyranni crudelitatem describimus, ut elucescat Martyris constantia.

Cicero 7. Verr. n. 138. & seq. amplificat supplicia civium Rom. ut major crudelitas Verris appareat, qui illa inflixit. Et pro L. Manil. num. 6 & 26 augetur gravitas & periculum belli Asiatici, ut crescat imperatoris deligendi virtus. Item num. 31. ex periculis damnisque belli, prædonum, effertur virtus Cn. Pompeii, qui illud bellum confecit,

ARTICULUS V.

Amplificatio rerum per Comparationem.

QUomodo fit amplificatio per comparationem? Resp. cùm exempla similiaque quærimus, quorum comparatione res, quam attollere cupimus, maxima videatur. *Quintil lib* 8. *c.* 4. Cic. 1. Catil. *An verò vir amplissimus Scipio Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. privatus interfecit: Catilinam orbem terræ cade atque incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus?*

Hic

Hic nota ex Quintiliano non modo tota totis,sed etiam partes partibus comparari: nam & Catilina Graccho, & status Reipub. orbi terræ, & mediocris labefactatio cædi, & incendiis,& privatus Consulibus comparatur.

3. Catil. idem Tullius conjurationem à se extinctam amplificat insigni comparatione quinque bellorum civilium, quæ civium sanguine redundarunt. Num. 24. *recordamini, Quirites,omnes civiles dissensiones, &c.* Sic pro leg. Man. n. 36. integritas ac temperantia Cn. Pompeii comparatione aliorum imperatorum effertur. Et ibid. num. 42. felicitas ejusdem Pompeii amplificatur comparatione fortunæ magnorum imperatorum.

ARTICULUS VI.

Usus Amplificationis, & quomodo differat ab Argumentatione.

QUis est usus amplificationis, & quomodo differt ab argumentatione? Resp. Differt tribus: *Palatium Eloquent. de Amplific. lect. 5 puncto* 1.

1. Materiâ: nam adhibetur argumentatio ad omnia quæstionum genera: amplificatio verò non nisi ad res magnas & graviores causas, in quibus est aliquid maximè calamitosum, indignum, lætum, triste, formidandum, amabile, optandum.

2. Tractatione: nam argumentatio magis presse & argutè proponit, ac sedatè fertur instar amnis leniter fluentis; amplificatio fusè & graviter explicat,& pelagi in morem intumescit figuris & affectibus.

3. Fine discrepat: nam finis proprius & proximus argumentationis est facere fidem, seu intelligentiam convincere: amplificationis verò movere voluntatem: unde non nisi re jam benè expositâ & confirmatâ adhibetur.

Servit tamen & fidei faciendæ, quia ubi exarsit auditor, motumque concepit, multò firmius quàm ante rebus creditis adhærescit.

ARTI-

CAPUT IV.

De Affectibus.

HÆc est præstantissima pars inventionis, ut orator animi affectus motusque regat: nam cùm in hoc consistat eloquentiæ laus & triumphus, ut in animos dominetur, atque idcirco regina flexanima vocetur à Cicerone, nunquam imperitus & siccus orator cœtus hominum tenebit, nec vim afferet animis, qui non istam tractandorum affectuum artem noverit.

Quid est affectus? est motus animi ex apprehensione boni vel mali exortus. *Quintil. lib 6. c. 2. Agricola lib. 3. c. 1.*

Quotuplex est affectus? Resp. Duplex: alter lenis, qui placidè afficit animum: alter vehemens, qui acriter, & vehementer impellit.

Quot sunt affectus? Resp. Secundùm aliquos authores sunt undecim: Sex in appetitu concupiscibili, amor, desiderium & gaudium circa bonum; odium, fuga, & tristitia circa malum: quinque in appetitu irascibili, spes ac desperatio circa bonum arduum; timor & audacia, & ira circa malum itidem arduum. Verum de numero Affectuum plures sunt sententiæ: alii undecim, ut S. Thomas; alii quatuor, ut Cicero, & Boetius; alii duos, ut Plato; alii vigini numerant. Hi à nobis ordine affectus secernentur: Amor, Desiderium, Odium, Fuga, Ira, Mansuetudo, Tristitia. Commiseratio, Indignatio, Invidia, Spes, Confidentia, Desperatio, Timor, Gaudium, Æmulatio, Pudor.

ARTICULUS I.

Amor.

QUid est Amor, & quomodo movetur? Resp. familiari consuetudine, benevolentiâ, morum similitudine, probitate ac virtute, beneficentiâ, bono denique honesto, ac utili, ac jucundo. *Aristot Rhet. lib. 2. c. 4.* Amor au-

tem est affectus quo alicui, quæ bona existimantur, optamus, eaque efficere studemus ejus, quem diligimus, causâ. Sic Tullius 4. Catil. amorem suum in cives suos patriamque testatur: *Video P. C. in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos: video vos non solùm de vestro ac Reip. verùm etiam si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi jucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas: sed eam per Deos immortales quæso, deponite, atque obliti salutis meæ, de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si hæc conditio Consulatûs data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusque perferrem: feram non solùm fortiter, verùm etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis, populoque Rom. dignitas salusque pariatur.* 6. Philip. num. 17. *An ego non provideam meis civibus? non dies noctesque de vestrâ libertate, de Reip. salute cogitem? quid enim non debeo vobis, quem vos hominem à se ortum hominibus nobilissimis omnibus honoribus prætulistis; an ingratus sum? quis minus? qui partis honoribus eosdem gessi in foro labores, quos in petendis, rudis in Rep.? quis exercitatior? qui viginti jam annos bella gero cum improbis civibus: quamobrem Quirites, consilio quantum potero, excubabo pro vobis.* Pro Milone quàm insigniter tractat hunc affectum, num. 94.

Primùm sui amici commendat fortitudinem, propter quam misericordiâ & amore dignus est: *Nolite si in nostro omnium fletu nullam lachrymam aspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere; atque haud scio, an multo etiam sit adjuvandus magis &c.* Mox Patheticâ prosopopœiâ charitatem Milonis & merita erga patriam ostendit: *Me quidem, judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assiduè, & quibus intersum quotidie: valeant, inquit, valeant cives mei, &c.* Exclamatione etiam illa merita recenset: *ô frustra, inquit, suscepti mei labores! ô spes fallaces! ô cogitationes inanes meæ! ego cum tribunus plebis &c.*

Deinde alterâ prosopopœiâ Tullius intimum dolorem suum prænúntiat, si non absolvitur Milo num. 100. *Hæc tu mecum sæpe his absentibus, sed iisdem audientibus, hæc ego tecum Milo: Te quidem &c.* Tum Lætatur se nullius unquam officii, aut periculi, aut mortis occasionem ejus

causa

causa prætermisisse; *nunc me una consolatio sustentat, quod tibi ô Tite Anni, nullum à me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. ego inimicitias potentium pro te appetivi, ego &c.*

Quamlibet fortunam amici ducit suam: *quid jam restat? quid habeo, quod dicam? quid faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quacumque erit tua, ducam meam? non recuso, non abnuo, &c.* Undique periclitanti amico implorat auxilium, judices obtestatur, milites appellat, qui isti judicio præsident. *Quid vos, judices, quo tandem animo, &c. Vos, vos appello fortissimi viri, qui. &c.* Sortem suam deplorat, dubitans quid respondebit, liberis & Q. Fratri. *Si per eos, judices, per quos revocatus est in patriam, retinere in patria Milonem non possit, ô me miserum! ô me infelicem, &c.*

Reditum etiam suum accusat, si causa est exitii Milonis. *Quodnam concepi tantum scelus! aut quod in me tantum facinus admisi, &c.* Denique passim exclamatione & apostrophâ ad Deos immortales, ad judices, ad patriam, testatur quantum amet Milonem. *O Dii immortales, fortem, & à vobis, judices, conservandum virum, &c.*

Hiccine vir patriæ natus usquam nisi in patria morietur? &c. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, &c.

Postremò affectum lachrymis abrumpit: *sed finis sit; neque enim præ lachrymis jam loqui possum, &c.* Vide perorationes pro L. Flacco, & pro Cn. Plancio, quæ suavissimè etiam amorem spirant, & mirificè declarant ejus causas & effecta: atque hic affectus excitatur in oratione defensiva.

ARTICULUS II.

Desiderium.

QUomodo movetur desiderium, quod est appetitus boni absentis quatenus boni? Resp. Movetur ferè ut amor, honestate ac laude, bono, jucundo vel utili: 3. Catil. Cicero gloriam desiderat, & supplicationem Deorum ob conservatam à se Remp. num. 26. *quibus pro tantis rebus, Quirites nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, præterquam hujus diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes*

triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia condita & collocata volo, nihil, &c. Apud Curtium lib. 9. Alexander desideria militum excitat ab utili. *Itaque non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam, digni estis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam, digni qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis.*

Per vos, gloriamque vestram, quâ humanum fastigium exceditis, perque & mea in vos, & in me vestra merita, quibus invicti contendimus, oro quæsoque ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum, commilitonemque vestrum, ne dicam regem deseratis.

Cicero pro domo sua vehementer desiderat, ut pontifices sibi aream & domum reædificent, quam Clodius contra jus ac religionem everterat, num. 100. *Sin mea domus non modò mihi non redditur, sed etiam monumentum præbet inimico doloris mei, sceleris sui, publica calamitatis, quis erit, qui hunc reditum potiùs, quàm pœnam sempiternã putet? in conspectu præterea totius urbis domus est mea, pontifices: in qua si manet illud non monumentum urbis, sed sepulchrum inimici nomine inscriptum, demigrandum potiùs aliquò est, quam habitandum in eâ urbe, in qua trophæa, & de me, & de Rep. videam constituta. an ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut cujus urbis servatorem me esse senatus omnium assensu toties judicarit, in ea possim intueri domum meam eversam non ab inimico meo, sed ab hoste communi, & ab eodem extructam & positam in oculis civitatis, ne unquam conquiescere possit fletus bonorum? &c.* Rursus in peroratione hoc unicè precatur à Diis & judicibus, ut in ædes suas restituatur num. 174. *Quapropter si Diis immortalibus, si senatui, si populo Rom. si cunctæ Italiæ, si provinciis, si exteris nationibus, si vobismetipsis, qui in mea salute principem semper locum auctoritatemque tenuistis, gratum & jucundum meum reditum intelligetis esse: quæso, obtestorque vos, pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc quoniam senatus ita vult, manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis.*

Hæc passio, uti amor, sæpè est vehemens, suspirat, gemit, timet, optat, somnum non capit, expostulat, pœnitet, est suspicax, impatiens, audax, ægra. Excitandus verò potissimum hic affectus in oratione suasoria.

ARTI-

ARTICULUS III.

Odium, Fuga.

QUomodo odium excitatur? Resp. Sicut Odium & ejus definitio cognoscitur ex amore, cui respondet ex adverso, ita illius concitandi ratio, videlicet ex injuria accepta, damnoque in bonis animi vel corporis, vel fortunæ, deinde ex improbitate ac vitiis, siquid ab aliquo factum superbè, fastidiosè, crudeliter, libidinosè, audacter, avarè, impiè, &c. Hi sunt enim fomites odii. *Aristot. lib. 2. c. 4.* Affectus generi vituperativo familiaris.

Præclarè Cicero pro P. Quinctio fraudulentum Nævium, & iniquum proscriptorem bonorum vocat in odium. num. 56. *Non dubitavi*, inquit, *cùm vadimonium desertum esset, bona proscribere, improbe: verùm quoniam id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus. Quid si nunquam deseruit? si ista causa abs te tota per summam fraudem & malitiam ficta est? quid si tibi vadimonium omnino cum Quinctio nullum fuit? quo te nomine appellemus? improbum? at etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. Malitiosum? non negas, fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas? audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt, res autem nova & inaudita. Quid ergo est? vereor, &c.* Pro domo sua invisam reddit religionem Clodii. nu. 104. *O Dii Immortales (vos enim hæc audire cupio) P. Clod. vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas, religione vestrâ contineri putat? hic non illudit authoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestrâ, pontifices, gravitate abutitur? ex isto ore religionis verbum excidere aut elabi potest; cùm tu eodem ore accusando senatum, quod severè de religione decerneret impurissimè teterrimeque violasti. aspicite &c.* Similiter Philip. 2. num. 68. contra Antonium. *O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare, tu illarum ædium diis Penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquamdiu aspicere poterat, nemo sine lachrymis præterire, hac te in domo tamdiu diversari non pudet? an tu illa vestibula, rostra, spolia cùm aspexisti, domum tuam te introire putas? fieri non*

non potest, quamvis etiam sine mente, sine sensu sis, ut es: tamen te, & tua, & tuos nosti.

Denique 7. Verrina insigne odium Orator conflat Verri, propter ejus crimina, præcipuè impietatem adversus Deos, in peroratione, quæ est elegans & hoc loco digna, nisi longior.

Quomodo fuga movetur? R. fuga ex odio profecta tendit in malum, sive à malo recedere fugiendo ac detestando conatur. Inde oritur inimicitia complectens odium, & iram; ut vel expetatur ultio, vel pœna optetur alteri, infligaturque. Quare fuga communes locos (quos vide suo loco) odii & iræ habet.

ARTICULUS IV.

Ira, Mansuetudo.

QUomodo movetur ira? Resp. ira ab odio vix differt; nam odium est inveterata ira; Ira autem est libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria. *Aristot. l. 2. c. 2.*

Quare iisdem fere industriis ac rebus commovetur ira, atque odium. Utraque passio habet hæc effecta, indignari, despicere, imprecari, ulcisci, exprobrare, convitiari, minari, impotenter efferri, dissimulare, lætari, nec expleri adversis inimici. Vide hæc effecta eleganter expressa in Medea, & Atreo apud Senecam: Item apud Virgilium, in Junone lib. 1. & Didone lib. 4 Æneid. Excellunt enim Poetæ in describendis his affectibus.

Quomodo mansuetudo sive clementia commovetur? Resp. mansuetudo, iræ contraria, definitur ab Aristot. 2. *Rhet. cap.* 3. depressio, atque sedatio iræ. Facit ad mansuetudinem

1. Deposita injuriæ damnique suspicio. Sic Cicero pro Diot. pro Marcello, pro Ligario mansuetudine veniaque dignos putat istos, qui præter voluntatem, vel errore humano decepti, vel necessitate coacti in Cæsarem aliquid deliquerunt. Nam pro Marcello Num. 13. *Atque hoc C. Cæsaris judicium. P. C quàm latè pateat, attendite; omnes enim quot ad illa arma fato sumus nescio quo Reip misero funestoque compulsi, & si aliquâ culpâ tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus: Nam cum M. Marcellum deprecantibus*

cantibus vobis Reip. conservavit, memet mihi, & item Reipub. nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, & sibi ipsis & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit à plerisque ignoratione potiùs & falso, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate civile bellum esse susceptum.

2. Facit ad mansuetudinem culpæ confessio & dolor, ut pro Ligar. num. 30. *Ad judicem sic agi solet, sed ego ad patrem loquor, erravi, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto, ut ignoscas, oro. Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti.*

3. Facit ad mansuetudinem humilitas & animi demissio, ut pro Publ. Quintio. num. 96. *quorum sæpè & diu ad pedes jacuit stratus, obsecrans per Deos immortales, ut aut secum jure contenderent, aut injuriam sine ignominia sibi imponerent: Deinde ipsius inimici vultum superbissimum subiit, ipsius Sex. Nevii lachrymans manum apprehendit in propinquorum bonis proscribendis exercitatam, obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius conjugem & liberos, quibus propior P. Quintio nemo est, ut aliquando misericordiam caperet aliquam si non propinquitatis, at ætatis suæ; si non hominis, at humanitatis rationem haberet, &c.*

4. Facit ad mansuetudinem probitatis commendatio, ut pro Rosc. Amer. num. 39. *Patrem occidit Sex. Roscius? qui homo? &c.* Affectus verò hic potissimum movendus in oratione generis Iud defensiva.

ARTICULUS V.

Commiseratio.

Quomodo commovetur commiseratio, quæ est ægritudo ex malo alterius injuriâ laborantis? Resp. 1. commutatione florentis fortunæ in adversam. 2. Morte & orbitate propinquorum. 3. Corporum vexatione & morbis. 4. Egestate. 5. Et maximè adjunctis vel personæ si clara, si innocens, si benè merita; vel loci, si in exilio aut solitudine, aut carcere; vel temporis, si in senectute, aut tenerâ ætate, aut diu; vel finis, si Dei aut justitiæ causâ quis affligitur. *Arist. lib. 2. c. 8.*

Cice-

Cicero ex commutatione florentis fortunæ, commiserationem sic excitat in reum Syllam nu. 91. *ô miserum & infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus est! ô falsam spem! ô volucrem fortunam! ô cœcam cupiditatem! ô præposteram gratulationem! quam citò illa omnia ex lætitiâ, & voluptate ad luctum & lachrymas reciderunt, ut qui paulò ante consul designatus fuisset, retineret repentè nullum vestigium pristinæ dignitatis.*

Ex morte amici pro Cœl. num. 59. *Prô Dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus maximis aut connivetis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reservatis? vidi enim, vidi & illum hausi dolorem vel acerbissimum in vita, cum Q. Metellus abstraheretur è sinu gremioque patriæ: cumque ille vir, qui senatum huic imperio paravit, tertio die postquam in Curia, in Rostris, in Repub. floruisset, integerrimâ ætate, optimò habitu, maximis viribus eriperetur indignissimè bonis omnibus atque universâ civitati. Quoquidem tempore ille moriens cùm jam cæteris ex partibus oppressa mens esset, extremum spiritum ad memoriam Reip. reservabat, cùm me intuens flentem significabat interruptis atque morientibus vocibus quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas civitati.*

Ex corporum vexatione 7. Verr. num. 161. *cædebatur virgis in medio foro Messanæ civis Rom. &c.* Ibidem vide insignes commiserationis affectus in Navarchos, quos Verres comprehendit ac necavit; & in cives Rom. quos idem Verres cædi virgis, & in Latomias conjici, & in crucem agi jussit.

Ex egestate seu bonorum amissione pro Rosc. Amer. num. 145. *prædia mea tu possides: ego alienâ misericordiâ vivo, concedo, & quod animus æquus est, & quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est. Fero, familia mea maxima uteris; ego servum habeo nullum, patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? quâ in re tuam voluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis officio, quid tibi obsto? si spoliorum causa vis hominem occidere; spoliasti. Quid quæris amplius? si inimicitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia possedisti, quàm ipsum cognosti? sin metuis: ab eone aliquid metuis quem vides ipsum à sese tam atrocem injuriam propulsare non posse?*

Ex

Ex adjunctis personæ,& loci,& temporis, vide in perorationibus pro Quinctio, pro Milone, pro Plancio: quarum affectus insignes hic subjicerem,nisi prolixior essem: qui in genere potissimùm judiciali defensivo excitantur.

ARTICULUS VI.

Indignatio.

QUomodo concitatur indignatio, quæ est dolor perceptus ob res secundas alterius, qui illâ fortunâ judicetur indignus? Resp. immerentis ac vilis personæ insolentiâ in divitiis,honoribus,aliisque bonis. Aristot. *lib.2.c.6.*

In divitias Chrysogoni iniquè partas, & præposteram emptionem bonorum Sex. Roscii variè indignatur Cicero pro Rosc. Amerino: *Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni?*

Et paulò post: Istas divitias eleganter insectatur à prædiis,supellectile,familiâ,luxuriâ,habitu.num.133. Tum exclamat contra ejus dominationem. *Hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? ô rem miseram atq; acerbam!* Postremùm ejus avaritiâ in turpi ac crudeli rapina insectatur. num. 149. *Facis injuriam, Chrysogone, si majorem spem emptionis tua in hujus exitio ponis,quàm in his rebus,quas L. Sylla gessit. Quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tantâ calamitate affici velis, si tibi omnia sua prater animam tradidit,nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causâ reservavit:per Deos immortales,quanam ista tanta crudelitas est,quæ tam fera, immanisq; natura? quis unquam prado fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut cùm integram pradam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse,nihil unquam contra rem tuam,cogitasse. & tamen oppugnas eum,quem neq; metuere potes, neq; odisse debes, neq; quidquam habere iam reliqui vides, quod ipsi detrahere possis:* Nisi *hoc indignum putas, quod vestitum sedere in judicio vides, quem tu è patrimonio tamquam è naufragio nudum expulisti.* Vide similem indignationem pro Quinctio in Nævium, qui ab adolescentia quæstui addictus circumvenit adversarium, & avidissimè ejus bona proscripsit.

Honores verò seu præfecturam Classis Rom. commissam

esse homini Syracusano Cleomeni, cujus uxorem amabat Verres: quàm vehementer stomachatur idem Cicero 7. Verrin num. 81 *Accipit navem sociorum atq; amicorum Cleomenes Syracusanus, quod primum aut accusem, aut querar, judices? Siculóne homini, Legati, Quæstoris, Prætoris denique potest item honorem, auctoritatem dari? si te, &c.* Sic dignitatem Clodii exagitat pro Sextio num. 17. *Sed fuit profectò quædam illa Reip. fortuna fatalis, ut ille cæcus atq; amens Tribunos plebis nancisceretur. Quid dicam Consules? hoccine, ut ego appellem nomine aversores hujus imperii? proditores vestræ dignitatis? hostes bonorum omnium? &c.* Affectus indignationis in genere potissimùm jud. accusatorio, & defensivo excitatur; quia homines, cùm ad indignationem moventur, contra accusatorem mansuetudine ducuntur erga reum, qui defenditur.

ARTICULUS VII.

Invidia.

QUomodo conflatur invidia? Resp. Ad Indignationem refer invidiam, quæ in hoc differt, quòd indignatio bonum immerentis, Invidia bona digni etiam hominis insectatur: hæc definitur dolor ex parium & similium bono, quod quispiam ab eis nollet, quia suam putat minui dignitatem, possideri. Aristot. *lib. 2 cap. 10.* Igitur inter pares tantùm, præsertim eorumdem studiorum æmulos versatur invidia. Ita Cicero conciliat invidiam Hortensio ob authoritatem: *Res omnis mihi tecum erit, Hortensi, dicam apertè, si mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando atque in explicandis criminibus operam consumerem. Nunc quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quàm ex istius tempore & causa malitiosè, necessè est ejusmodi rationi aliquo consilio obsistere.*

Idem divinat. præclarè Cic. Cæcilium vocat in invidiam, requirens in ipso integritatem, veritatem, dicendi facultatem ad accusandum Verrem. num. 27. & seq. *Tu verò, Cæcil, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modò cæteris specimen aliquod dedisti, sed tutè tui periculum fecisti? in mentem tibi non venit, quid negotii sit causam publicam sustinere,*

vitam alterius totam explicare, atque eam non modò in animis Iudicum, sed etiam in oculis conspectúque omnium exponere? sociorum salutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere? cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quàm multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset.

ARTICULUS VIII.

Spes, Confidentia, Desperatio.

QUomodo erigitur Spes? Resp. Si honestas boni, ejusque magnitudo, si opes, & præsidia certa, & facilitas assequendæ rei, si denique præmia proposita ostendantur. Aristot *lib. 2. c. 5.* Spes autem est, motus animi in bonum absens, arduum & difficilè, sed tamen quod labore acquiri possit. Ita rursus Alexander diuturnis laboribus fractos militum animos spe erigit, & hortatur apud Curtium lib. 9. *Vestras manus intueor, vestrã virtutem rerum, quas gesturus sum, vadẽ prædemq; habeo, quamdiu vobiscũ in acie stabo, nec meos, nec hostium exercitus numeravero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus: pervenimus ad Solis ortum & Oceanũm: nisi obstat ignavia, indè victores per domito fine terrarum revertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Majora sunt periculis præmia: dives eadem, & imbellis est regio, &c.* Tullius tota 2. Catil. ad fiduciam, securitatémque erigit populum Rom. jubetque non timere Catilinam jam urbe egressum, nec infirmas ejus copias. Atque hic affectus proprius est generi deliberativo suasorio.

Spei subjungo confidentiam, sive audaciam, quæ cernitur in periculis quæ contemnit. Sic Tullius exordio 4. Catilin. Nullum pro salute Reip. periculum, nullum fatum, nullam mortem perferre dubitat.

Ego sum ille Consul, cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non campus consularibus auspiciis consecratus: non curia summum auxilium omnium gentium: non domus commune perfugium: non lectus ad quietem datus: non denique hæc sedes honoris; sella curulis unquam vacua mortis periculo

periculo atque insidiis fuit. Et paulò post: *Si quid obtigerit, aquo animo paratoq; moriar: neq; enim turpis mors, forti viro potest accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti.*

Sic Verr. 7. num. 178 Non dubitat nobilium virorum invidiam, atque inimicitias subire. Sic pro Rosc. Amer statuit hunc defendere. num. 31. *Quoniam quidem semel causam suscepi, licèt hercules undiq; omnes terrores, periculaq; impendeant omnia, succurram, atque subibò. Certum est deliberatúmque, quæ ad causam pertinere arbitror, omnia non modò dicere, verùm etiam libenter, audacter, liberéque dicere. Nulla res tanta existit, judices; ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quàm fides.*

Ut verò faciliùs confidentiam excites in animo vulgi, ostende commoda & utilitates; vulgus enim ad contemnenda pericula, non tam honestate & gloriâ, quàm utilitate ducitur & commodo: vel etiam detrimenta, incommoda, clades propone, pro quibus avertendis, nullum vulgus periculum adire dubitat. Alia verò ratio est in hominibus excellentioris & nobilioris animi, in quibus si confidentiam excitare velis, honestatem propones & gloriam, vel contra dedecus & infamiam. Motus hic generi potissimùm suasorio convenit.

Ex his, quæ de spe diximus, colligi potest, quomodo moveatur Desperatio, si difficultas rei, si nulla subsidia, si alicujus ignavia imbecillitas ostendatur: nam desperatio, spei contraria, est boni cujuspiam obtinendi, vel mali depellendi diffidentia: vel, ut Cicero definit, ægritudo sine ulla rerum expectatione meliorum. Hic affectus excitari debet in genere deliberativo, in oratione dehortatoria.

ARTICULUS IX.

Timor.

QUomodo incutitur timor? Resp. Propositis sub oculos rebus timendis, quarum triplex est genus: unum earum, quæ cladem & perniciem adferunt, ut bellum atrox, pestilentia, infelix æternitas, Arist. *lib. 2. c. 5.*

Alterum earum, quæ gravem molestiam & dolorem pariunt, ut jactura fortunarum, honoris, parentum.

Tertium earum, quæ horum malorum præsens periculum

lum indicant,ut sunt potentum minæ, portenta, funesti aliorum exitus.

Porrò timor secundùm Aristotelem lib. 2. Rhet. c. 5. est perturbatio ex cogitatione imminentis mali, dolorem aut mortem inferentis. Sic Cicero pro Muræn. num. 85. facit timorem: *Sed, quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? illa pestis immanis, importuna Catilinæ prorumpet, quà poterit, & jam populo Rom. minatur, in agros suburbanos repentè advolabit, versabitur in castris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus.*

Et rursus 4. Catil. num. 11. *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subitò uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi & furor in vestra cæde bacchantis. Quapropter de summa salute vestra, populiq; Rom de vestris conjugibus ac liberis, de fanis, ac templis, de libertate, de salute Italiæ, deq; universa Repub. decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter.* Affectus timoris excitatur in genere deliberativo dissuasorio.

ARTICULUS X.

Gaudium.

Quomodo gaudium excitatur? Resp. insperato bono, novitate, & insolentia rei, commutatione malæ fortunæ, virtute, & bonâ conscientiâ: est enim gaudium, ut Tullius definit 4. Tuscul. opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Atque hunc gaudii affectum excitat in Pisonem num. 52. dum reditûs sui celebritatem ac lætitiam describit. *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, cùm in patriam redii, cùm senatum egressum vidi, populumque Rom. universum, cùm mihi ipsa Roma propè convulsa sedibus suis ad conservatorem suum progredi visa est, quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci: sed etiam mœnia ipsa viderentur & tecta urbis, ac templa lætari, &c.* vide & hunc affectum fusius in oratione ad populum, & post reditum ad Quirites, & in Exordio 2. Catilin. *Tandem ali-*

aliquando Quirites, &c. Atque hic affectus etsi locum habeat in omnibus, potissimùm tamen in orationibus generis exornativi laudatoriis excitandus est, quarum finis est honestas, delectatio & gaudium.

ARTICULUS XI.

Æmulatio.

QUomodo movetur æmulatio? Resp. Majorum exemplo, clarorum virorum egregiis facinoribus, nominis gloriâ. Aristot. *lib* 2 *c* 11. Sunt enim æmulationi obnoxia, quæ maximè præclara, ut virtus, doctrina, eloquentia, sapientia, opes, honores, magistratus, gloria. Juvenes præsertim æmulantur, ac nobiles, quique excelsâ mente, egregiâque sunt indole. Definitur æmulatio: susceptus ex aliena sorte bona dolor, non quòd id alteri contigerit, sed quòd illâ nos careamus. Cic. pro lege Manil. num. 11. hortatur populum Majorum exemplo ulcisci injuriam à Mithridate acceptam. *Sed pro vestri Imperii dignitate, atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meæ, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis. Majores vestri sæpè mercatoribus ac navicularoribus injuriosiùs tractatis bella gesserunt: vos tot civium Rom. millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati, quòd erant appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt, vos eum regem inultū esse patiemini, qui legatum popul Rom. consularem vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit! Illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt? vos vitam ereptam negligetis? jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum populi Rom. omni supplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit illud, quod accepistis, tueri & conservare non posse* Et 1. Philip. num. 34. Antonium æmulari desiderat: *Utinam, Antoni, avum tuum meminisses? de quo tamen multa audivisti ex me sæpissimè. Putásne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa, illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cum cæteris principem dignitate, quare flecte te, quæso, & majores tuos respice, atque ita guberna*

Remp.

Remp. ut natum esse te, cives tui gaudeant: sine quo nec beatus esse, nec clarus quisquam potest. Et pro Sextio, num. 136 Romanam juventútem excitat ad æmulationem clarorum virorum: *Vos adolescentes, & qui nobiles estis ad majorum vestrorum imitationem excitabo, & qui ingenio & virtute nobilitatem po. estis consequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi & honore & gloria floruerunt, cohortabor. Hæc est una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis & honoris.*

Et ibid. num. 102. *Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis, hæc ampla sunt, hæc divina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur, est labor, non nego, pericula multa, fateor, multa insidiæ sunt bonis, verissimè dictum est, &c.* Hic affectus excitari debet in orationibus hortatoriis & dehortatoriis.

ARTICULUS XII.

Pudor.

QUomodò movetur pudor? Resp. iis omnibus, quæ aliquod dedecus & infamiam adferunt, ut patet ex definitione: Aristot. *lib. 2. c. 6.* Pudor enim est dolor, ac perturbatio ex malis aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ Infamiam inferant. Contrà impudentia est, eadem parvi ducere, & illis nón affici. Cicero pro lege Manil. num 70. *Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta, quæ penitùs jam insedit atque inveteravit in populi Rom. nomine, quòd is, qui unâ die totâ Asiâ, tot in civitatibus, uno nuntio, atque unâ litterarum significatione cives Rom. necandos trucidandosque denotavit, non modò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium & vicesimum ita regnat, ut se non ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere è patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ luce versari.* Sic 7. Verrin. pudorem concitat Orator ab inope ac infirma classe populi Rom. portu egrediente, præfecto Cleomene, luxurioso prætore Verre n 85. *Egreditur præclara classis in speciè, sed inops & infirma, &c.* Mox à turpi fuga & incẽdio istiᵘˢ classis. n. 9. *O tempus miserũ atq; acerbum provin-*

provincia Sicilia! ô casum illum multis innocentibus calamitosum atque funestum! ô istius nequitiam, ac turpitudinem singularem! una atque eadem nox erat, quâ prætor amoris turpissimi flammâ, ac classis populi Rom. prædonum incendio conflagrabat, &c. Tum ab insolente victoria piratarum, qui portum Syracusanum ingressi insultârunt classi populi Rom.num. 95. *Prô Dii immortales! piraticus Myoparo, cùm imperium populi Rom.nomen ac fasces essent Syracusis, usque ad forum Syracusanum, & ad omnes urbis crepidines accessit, quò neque Carthaginensium gloriosissimæ classes, cùm mari plurimùm possent, multis bellis sæpe conata, nunquam adspirare potuerunt, &c. O spectaculum miserum atque acerbum, ludibrio esse urbis gloriam, populi Rom. nomen.*

Præclarus est hic locus ab initio.

Hic affectus excitari debet in orationibus increpatoriis, seu objurgatoriis, quando objurgatur animus honestus.

ARTICULUS XIII.

Usus affectuum.

QUis est usus affectuum? Resp. cum Quintiliano, *lib 6. cap.* 2. & P Hautino, illud primum prospiciendum, ut nunquam in affectus assurgas, nisi re, ex qua eliciendi sunt, vel per se manifestâ, vel satis demonstratâ: frustra enim voluntatem ad amorem fugámve ignoti impellere coneris.

Deinde clanculum & quasi furtim ad eos veniendum erit, ut auditoris animus sponte suâ moveri, non succumbere videatur. Præterea in iis conciliandis argumenta sapienti quadam confusione miscenda sunt & stringenda. Denique sensim crescere debent affectus, nec sunt longiùs producendi, ne diuturnitate languescant. Ad hæc spectandi sunt auditores: nam boni viri & simplices, nec non fœminæ, & pueri, doloris & misericordiæ; juvenes iræ & lætitiæ capaciores sunt; viri maturi, & docti ægrè teneros affectus mollesque sentiunt, iti & aggrestes ac stupidi: utrique doloris & indignationis vehementioris aliquando flammam concipiunt: senes ad misericordiam sunt proniores.

Captandæ etiam sunt excitandorum affectuum occasiones; nam ægrè permoveas, quos contrariis affectibus invenias occupatos, rationum momentis faciliùs flectas. Jam in

Ora-

Oratore maximè providendum, ut si movere alios velit, & ipse iisdem affectibus moveatur. Ad extremum vitanda est Oratori ostentatio omnis, atque artificium nimis exquisitum: imò & disputatio subtilior, quâ quidem intelligentia occupetur, non voluntas moveatur.

ARTICULUS XIV.

Inventio affectuum.

VNde pendet inventio affectuum? Resp. æquè pendet ex locis Rhetoricis atque argumenta: affectus enim excitantur amplificatione locorum Rhetoricæ. v. g. à loco definitionis. *Consule Tirocinium eloquent. de affect. c.* 1. Cic. 4. Tuscul. Quæst. *O vita Philosophia dux! ô sapientissima morum magistra! ô vera felicitatis parens! &c.*

A consequentibus pro Milone: *Hiccine vir patria natus usquam, nisi in patria morietur, ô terram illam beatam!*

A contrariis item pro Milone: *Est enim hæc judices, non scripta, sed nata lex.*

Ab effectis eadem Milonianâ: *Dura mihi medius, fidius fortuna, &c. ô frustra mei suscepti labores! ô spes fallaces!*

Denique à similitudine, ab adjunctis, ab exemplo passim Cicero affectus suppeditat.

Quænam sunt figuræ aptiores ad concitandos affectus? Resp. aptiores sunt, uti ad amplificationem, hæ: Hypotyposis, prosopopæia, exclamatio, Apostrophe, interrogatio, obsecratio, obtestatio, imprecatio, & aliæ similes figuræ, quas vide suis locis.

ARTICULUS XV.

Causa affectuum.

QUænam est causa Affectuum? Resp. sunt res magnæ. Cic. *in partit.*

Quotuplex est magnorum genus? Resp. Duplex: alia magna sunt naturâ, ut cœlestia ac divina, quæque in terris sunt admirabilia, aut habent causas occultas, ut maris tempestates, terræmotus, venti, &c.

Alia sunt usu magna, quæ hominibus prosunt, maximè, vel obsunt, ut opes, honores, liberi, egestas, ignominia. Ex his si bona sint, ut possideantur, spes & desiderium; si possideantur, gaudium, amor, admiratio; si amittantur aliorum culpâ & improbitate, odium, ira, indignatio; si casu amittantur, tristitia & commiseratio eorum, qui fruebantur, excitari potest. Si mala sint, contrarii affectus nascentur.

Verùm diligentissimè annota ex Quintiliano & Agricola, *lib.6.c.2.* nihil esse potentiùs ad movendos affectus, quàm præsentis rei conspectum: detegendæ itaque sunt in adverso pectore cicatrices; parentum, cognatorumque lachrymæ, infantium, puerorum ætas, reorum squallor, & sordes proferenda ob oculos, & præsentibus aptanda oratio, quarum rerum ingens plerumque vis est. Sic populum Rom. egit in furorem prætexta C. Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat: vestis tamen illa sanguine madens, ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus Cæsar, sed tum maximè occidi videretur. Huc accedere debet actio Oratoris, & lachrymæ. Neque enim crediderit quisquam, tam paratas fuisse populo Rom. lachrymas, ut qualibuscumque epilogorum Ciceronis verbis, in fletum prorumperet, nisi insignium reorum ante oculos posita calamitate, & actione, flebilibusque modis quibusdam, & ante omnia manantibus ubertim lachrymis Ciceronis, ista commendarentur.

ARTICULUS XVI.

Modus variandorum affectuum.

NE fusior sit hic articulus, contraham exempla, & accommodabo juventuti: Sed animadverte quod diximus, affectus erui è locis, & maximè fieri amplificationibus rerum, & figuris sententiarum.

Varia eundem affectum? Resp. Sit hic, de Matre occisum in bello filium deplorante, affectus.

Amoris. Quis sit animus matris in liberos, quotusquisque intelligit? tum denique ego amare filium didici, cùm infelicissimè in bello perdidi. O misera sors orbitatis meæ! ò spes fallaces! ò frustra susceptæ curæ! an idcircò te genueram, fili, ut esses, quem tristi morte sublatum lugerem? ego cùm

tàm te formâ & ætate florentem videbam, ego cùm te spem familiæ sinu fovebam; mihi certam salutem tuam pollicebar, putavi, speravi, credulam eventus fefellit. Nunc vehementissimè doleo omnia ex spe & voluptate ad calamitatem & orbitatem excidisse. Itaque, fili, tuâ morte matris vitam abstulisti, ipsique vivæ, flentique funus ducetur: neque enim te mortuo diu superstes esse possum.

Desiderii. Ego te non requiram nate? aut possim tui unquam oblivisci? aut aliquid à me præter suspiria & lachrymas habebis? ipsæ, ipsæ dulces lachrymæ, ipsi fletus jucundi, quibus animi dolor & desiderium tui, nate explebitur. O non amari dies, quibus charum filium animo & recordatione complectar, aspiciam, alloquar, osculabor! ô non flebiles noctes, quæ nullius aut modici somni socium & comitem non importunum referetis.

Odii. Quantum, quamque immane monstrum esse bellum, & apud quos conceptum dicemus! Vah portentum! vah labes! vah gurges, & charybdis infausta! quot hominum sanguinem gustasti, vel potiùs absorbuisti? quot tu fortes viros, robur patriæ; quot claros juvenes, florem nobilitatis; quos adultos jam liberos, spem ac delicias familiarum, quos ad fortunam vita servabat, crudelissimè contrucidasti? nunquam ego immanitatem tuam tacebo, quam in ipsam me parentem, ac meum filium adhibuisti, nunquam imprecari tibi, & exprobrare, & persequi te desinam.

Fugæ. Perhorrescite, matres, detestata jam pridem bella: has voragines, scopulosque filiorum nostrorum fugite. nulla jam tot annis jactura & clades existit nisi bello, nulla vis, nulla fax, nullum flagitium, nulla cædes sine bello. procul bellum è finibus nostris in Turcas & Barbaros! bellum omnis matrona fugit oculis, respuit animo, recordatione perhorrescit.

Iræ. Cernitis percussorem filii; an sola mater video? non videtis furorem hostium? non repentinum impetum? non versatur ante oculos vobis in cæde nefarius miles? non adest barbarus? non suis manibus intentat ensem? non filii jugulum præcidit? perditissimè mortalium, quid te sceleratius? istam ego furiam non exagitabo? non repetam sanguinem filii? non vindicem Deum appellabo.

Mansuetudinis. Ah miles! sic te alloquitur filius, sic te intuens & graviter saucius fidem implorat: quoniam varius est

est belli exitus,& Mars fortissimum sæpè ex acie tollit. Noli mecum sic agere: gloriæ non satis vixi: noli juvenilem atque in herba spem resecare, noli amplitudinem animi brevis vitæ termino circumscribere. Precor ac quæso, da aliquid vel hosti, permitte supplici, cede afflicto. Per victricem dextram illam, quam apprehendo, per istius belli pericula, quorum tu es particeps, per decus & nomen, quod magno labore quæsimus, te oro atque obtestor.

Commiserationis. Adestis amici? verùm quo tandem animo adestis? utrum ego amens sum & plusquam satis est, doleo in tanta calamitate & morte filii? an vos quoque hic obitus & mœror pari sensu doloris afficit? nam si non ad amicos, si non ad homines, verùm ad bestias, aut etiam ut longiùs progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & scopulos hæc conqueri ac deplorare vellem, tamen omnia muta, atque inanima tam crudeli morte filii moverentur: nunc verò, cùm pietatem vestram & amicitiam obtester, non vereor ne non misericordiam tribuatis aliquam fortissimo juveni, in ætatis flore, pro patria, & Catholica fide perempto.

Indignationis. Deus immortalis! quonam fato fieri dicam, ut fortis occidatur ab inerti, strenuus ab ignavo, clarus ab abjecto? hoc verò quis ferre possit, meticulosum militem egregii ducis cruenta spolia prædicare, gloriari, præ se ferre? vel insolenter in lectissimi juvenis cæde bacchari? & tanquam si palmare facinus edidisset, exultare gaudio, triumphum petere, acclamatione ac plausu improborum efferri?

Invidiæ. Non est profectò, non est quòd matronæ deinceps orbitatem meam despiciant, non est, quòd intolerantiùs se jactent, non est quòd se cum dilectis filiis suis ostentent: nam si isti subduxerint se prælio, si redierint ad gremium, & complexus matrum, tamen hæ digniores nobis aliquo honore videbuntur? tamen de gloria ac fortitudine contendent? tamen eximiæ sint hæ matres? non id arbitror quidem certè; nec esse tanta istorum militum merita, quanta insolentia harum matrum, quantumque fastidium.

Spei. Etsi omnis spes mea, fili, cum salute tua occubuit, erigo me nonnunquam, & futura prospicio, quasi fortunata sit mors tua. Communicabo, ni fallor, cum gloria tua, veniam in partem meritorum, triumphabit mater de morte filii: negat enim patria, pro qua fortiter occidisti, negat se ingra-

ingratam esse, negat superstitem matrem carere propositis honoribus debere: hæc illa me spes alit, & excitat, vives in gloriosa matre filius, quid perdiderim non reputabo? quid morte tua acquisierim, id æstimabo.

Confidentia seu audacia. Ego te mortuum cum mea salute complector, fili, nec me solam tuæ mortis commiserantem, sed comitem habebis. Utinam hoc pectus gladiis objicere, & adversa, fili, tua vulnera recipere potuissem, nullam ego acerbitatem, nullam impressionem, nullam vim pertimuissem, ut te manibus armatorum hostium eripuissem. Sed nunc mori non refugio, lacesso mortem, & provoco, ut properet, ut nos ocyus uno eodemque tumulo conjungat.

Desperationis. Actum est: periit: nequidquam homines, superosque implorem: mors immansueta mitigari non potuit, nec jam precibus infernus recludetur, neque ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi opis expectabo. Omnia sunt in hoc funere misera. quid mihi restat? nisi solitudo aut mortis consilium, aut vita morte acerbior?

Timoris. Vos testor, cœlites, ego equidem bellorum rabiem ac furorem in istis armorum motibus semper filio putavi esse fugiendum. Signa, & tubæ, pulsataque tympana, præsagienti matri semper metum atque horrorem attulerunt. Tum si quis è commilitonibus filii in pugna audiebatur cæsus esse, augebatur metus mali appropinquantis. Quare animus cum languore corporis ac timore debilitatus incidit in varia visa & incerta, quorum perturbatione tristes sæpè extiterunt species somniorum, quæ flebilem illam mortem portenderunt.

Gaudii. Quid! ego lugeam illum, qui se defleri vetat? vivit filius inter cœlites, & qui extremum spiritum in victoria effudit, heroum est sedem & locum consecutus. O fortunata mors! ô felicem, & beatum diem! quem mihi, & patriæ, & filio natalem superi esse voluerunt! itaque quod ne optandum quidem est homini immortalitatem quamdam per te, & tecum, fili videor adepta.

Æmulationis. Generosi juvenes, quorum erectos atque alacres animos bellum excitat ad pugnam, respicite, respicite, filium, ejusque res gestas imitamini. Hanc vobis sanguine suo viam signavit & laudis, & fortitudinis, & immortalitatis. Sic ille se non sibi, aut matri natum, sed patriæ, sed

gloriæ esse voluit; sic ille in acie fortiter occumbere maluit, quàm redire turpiter, num hæc regium juvenem collocant in amplissimo gradu dignitatis?

Pudoris. Dii faciant, ut multi belli mentionem facere audeant! nam simul ut increbuit suspicio pugnæ, cedunt campo; ubi dimicandum est, terga vertunt. O milites! num est periculum, ut isti denudent sese, & cicatrices adverso corpore exceptas ostendant! nisi morsus rusticorum! quos iniquissimè vexârunt, aut viatorum imparatorum, quos spoliârunt, impressa unguium vestigia, aut rixantium inter pocula immanes plagas exhibeant. O dispares milites filio, qui amavit unicè temperantiam: sed hunc deplorandi sit finis.

CAPUT V.

De Inventione in particulari.

ETsi ex supradictis fontibus omnis ad omnem orationem manat inventio: tamen veteres oratores de generibus causarum seorsim præcepta tradiderunt, quæ nos brevi perstringemus.

ARTICULUS I.

De iis, quæ speciatim pertinent ad inventionem in genere Demonstrativo.

QUæ speciatim invenienda sunt Oratori in genere Demonstrativo? Resp. quæ laudet vel vituperet. Quæ sunt laude digna? Resp. personæ & res. Unde laudantur personæ? Resp. ab adjunctis internis & externis. Quintil. *lib.3.c.7.* Cic. *de Orat.2.*

Quænam sunt adjuncta interna seu animi? Resp. virtutes cognitionis seu scientiæ, ut Rhetorica, Dialectica, Jurisprudentia; & virtutes actionis, ut religio in Deum, pietas in parentes, justitia in omnes, temperantia, verecundia.

Harum

Harum virtutum laus ampla est, quando unaquæque in suas partes atque officia distribuitur, ut si laudare fortitudinem velis, partes illius, hoc est, fiduciam, patientiam, perseverantiam, & officia in aggrediendis arduis, cum periculo, sine spe præmii, aliorum causâ, adversisque ferendis enumeres. Ita Cicero pro lege Manil. virtutem Imperatoris Pompeii laudat: & pro Marcello clementiam Cæsaris. Et pro Archia studia humanitatis.

Quænam sunt adjuncta externa? Resp. dona fortunæ, ut educatio, opes, divitiæ, propinqui, amici, potentia, gratia, cæteraque hujusmodi. In corpore verò sunt hæc, forma, vires, valetudo, & his similia alibi item enumerata.

Qui hæc habuerit laudabitur, quòd benè illis sit usus; si non habuerit, quòd sapienter caruerit; si amiserit, quòd moderatè tulerit.

Quot sunt tempora, secundùm quæ homo laudari potest? Resp. tria.

1. Quod vitam antecessit, in quo spectantur responsa, vel oracula, vel signa, quæ futuram claritatem indicàrunt. Item natio, patria, genus: hæc si clara, pulchrum erit eorum splendori respondisse; sin obscura, & humilia, laus erit nobilitasse factis.

2. Tempus est vitæ, ac primùm adolescentiæ: in qua spectatur indoles, pulchritudo, educatio, studium sapientiæ, fortitudinis, modestiæ, & hujusmodi usque ad ætatem civilem: in ea vitæ dignitas, honores, amici, præclarè facta, dictaque. In senectute constantia, religio, consilium: in morte mortis occasio, & modus.

3. Denique tempus est, quod mortem subsequitur, in quo bonorum luctus ac desiderium, mortui, liberi, pompa funebris, monumenta, hominum sensus, legata pia spectantur.

Quænam res laudantur? Resp. quæ sunt honestæ, utiles, necessariæ, jucundæ. Inter has urbium ac regionum laus ducitur. 1. à conditoribus. 2. à vetustate. 3. ab incolis, ipsorumque rebus gestis. 4. à situ, munitione; cœli clementia. 5. à Reipub. forma, institutis, artibus, opibus. Laus agrorum ab amœnitate loci, à fertilitate & ubertate frugum & fructuum, à cultura, prædiis, & sic de cæteris.

Postremùm duo animadverte, 1. confici hoc genus laudis ad animi motus leniter tractandos magis, quàm ad fidem faciendam aut confirmandam: proprium enim laudis est res

amplificare,& delectando ornare. 2. In vituperationibus ſervanda contraria omnia illis quæ de laudatione diximus: quod in orationibus Cic. in Piſonem, in Vatinium, in M. Antonium, maximéque ex 2. Philippica colligere licet.

ARTICULUS II.

De iis, quæ ſpeciatim pertinent ad inventionem in genere deliberativo.

QUæ ſpeciatim invenienda ſunt Oratori in genere deliberativo? R. ea, quibus ſuadeat quidpiam, vel diſſuadeat.

Quidnam valet ad ſuadendum? Reſp. quod honeſtum eſſe oſtenditur, vel utile, vel neceſſarium, poſſibile, facilè, jucundum. Ad diſſuadendum valet, quod his eſſe contrarium monſtramus. Cic. *de Orat. lib.* 2.

Honeſtum eſt autem, quod per ſe laudabile eſt, ac propter ſe expetendum, ut virtutes. Ariſtot. *Rhet. lib.* 1. *c.* 4.

Utile eſt, quod propter commodum expetitur, ſive adjunctam habeat honeſtatem, ut gloria, honos, dignitas; ſive non habeat, ut divitiæ, valetudo. Neceſſarium eſt, ſine quo ſalus aut dignitas ſtare non poteſt, aut vix poteſt.

Poſſibile eſt, quod fieri aut eſſe poteſt. Jucundum, quod honeſtam habet voluptatem.

Quæ ſunt in ſuadendo vel diſſuadendo ſpectanda? Reſp. 1. res quæ ſuadetur. 2. Apud quos ſuadetur. 3. Is qui ſuadet: Quintil. *lib.* 3. *c.* 8. Nam 1. res, quæ ſuadetur eſſe ſeu fieri poteſt, vel non: ſi non, ſuaſio tollitur. Si poteſt eſſe ſeu fieri, vel eſt honeſta vel utilis; ſi honeſta, hanc apud homines honeſtos facilè eſt ſuadere, apud turpes non ita, qui utilitate magis, aut etiam metu ſolent moveri. Si res utilis ſit, eſſe facilis oſtendetur, & magna, & jucunda, & ſine periculo: Diſſuaſor autem rem oſtendet eſſe difficilem, & parvi momenti, nullam in ea jucunditatem, plurima verò eſſe pericula.

2. Cùm duo (ut hoc etiam loco P. Hautinus) ſint hominum genera; vide Ariſt. *Rhet. lib.* 2. *c.* 12. *& ſeq.* alterum agreſte, quod antefert utilitatem honeſtati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit: apud hos & iſtos variè ſuadendum eſt, ac videndum imprimis, qui quibus magis feriantur, an utilitate, an honeſtate, an voluptate. Poſſunt autem ſtudia cognoſci ex natione, ætate, conditione. Nam Hiſpani ſedati & conſtantes. Galli prom-

prompti, & ad aggrediendum generosi: Belgæ fere medium tenent inter utrosque: Germani candidi & graves. Itali ingeniosi: primi duo maximè gloria ducuntur, reliqui partim gloria, partim utilitate. Ætatis autem quatuor sunt partes: In his pueritiâ ludo capitur, & facilè temereque mutatur in horas, præmiolis, & propositis pœnis movetur. Adolescentia voluptatū sectatrix est, ut cupiditate & iracūdia facilè effervescit, ita facilè & statim sedatur; honoris & gloriæ cupidior est quàm lucri; quippe adhuc nescia egestatis, ut fortunas tanti æstimet; multa sperat, quia multū habet futuri: hæc igitur honesta & jucunda anteponet utilib⁹ & spem facilè cōcipiet: virilis ætas amat fere mediocritatē, ut partim utilitate, partim gloria ducatur, partim etiam voluptate. Senectus lucro & quæstui inhiat; etiam tuta timet, voluptates & facetias aspernatur: quare honestati ac delectationi præferet utilitatem ac securitatem. Denique pro varia fortuna ac conditione varii fere mores: Nobiles siquidem claritudinis sunt appetentes; divites opulentiæ; Plebei commodorum, quæ ad corpus attinent.

3. Spectanda est in eo, qui suadet, virtus, sapientia, honestas, eloquentia, ut possit mente providere, authoritate probare, & persuadere oratione, & vitæ exemplo præire. Igitur suadere aliquid, aut dissuadere non est omnium, sed gravissimæ personæ, & sanctæ, & sapientis, & honestæ, & disertæ.

ARTICULUS III.

De iis quæ speciatim pertinent ad Inventionem in genere judiciali.

QUæ speciatim invenienda sunt oratori in genere judiciali? Resp. quæ accuset vel defendat. Verùm quia jam omnis prope judiciorum ratio mutata est, non ex veteribus, sed ex jure novo, & locorum, in quibus perorantur causæ, consuetudine, ac moribus repetenda sunt: ad hoc tamen genus pertinent quædam quæstiones, quæ Rhetoribus status dicuntur, quod in iis causa consistat: de his hic breviter agendum est.

Quid est status? Resp. Est quæstio, quæ ex prima causarum conflictione nascitur, ut si accusator dicat, reus occidit:

dit: status est hæc quæstio, an occiderit: quia in ea quæstione tota causa stat & sistit, idcirco causæ status est. *Quintil lib. 3. c. 6.*

Quot ejusmodi status in causis esse possunt? Resp. tres. *Cicero in Topic. & partit.* 1. An sit res, necne; diciturque status conjecturalis, quòd in eo conjecturis veritas indagetur: ut an Miloni insidiatus sit Clodius.

2. Quid sit res, & quo nomine appellanda; diciturque status definitionis seu finitivus, quod in eo facti vel rei nomen definiatur, ut an Julius Cæsar Tyrannus fuerit, vel Rex.

3. Qualis sit res; & dicitur status qualitatis, quod in eo quæritur, qualis sit res, an honesta, an æqua, an iniqua: ut an cædes Clodii utilis, honesta, & æqua fuerit. An jure Cicero Lentulum Catilinariæ conjurationis socium occidi jusserit.

Huc pertinet quærendum quid sit ratio? Resp. est quæ affertur ad depellendum crimen, quâque proinde reum rationabiliter tuetur defensor.

Quid est firmamentum? Resp. est quod affertur ad probandum crimen, quoque proinde firmatur contra reum accusatoris ratio.

Quid est judicatio? Resp. est status ille seu quæstio jam dicta, quæ ex rationis & firmamenti conflictione oritur; quaque proinde vocatur etiam Judicatio, quod in judicium veniat.

Quanquam status maximè dicitur, cùm consideratur nudè sine ratione & firmamento: judicatio verò, quando cum ratione juncta sumitur.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE

Secunda parte Rhetoricæ,

Seu de

Dispositione.

QUID est Dispositio? Resp. definitur à Cicerone rerum inventarum in ordinem distributio. *Cicero de invent. Quintil. lib.7. in præf.* Quæ pars non minus utilis & necessaria est ad fidem & motum, quam instructa ad pugnam ac victoriam acies, aut in corpore humano conformatio membrorum ad gratiam pulchritudinemque.

Quotuplex est Dispositio? Resp. Duplex: naturalis & artificiosa: hæc longo usu & arte nititur; illa sine arte instinctu quodam naturæ fit. Quanquam ita sunt omnes à natura comparati, ut siquis quid dicturus sit apud aliquem, exordii vice, 1. Præmittat aliquid, quo benevolum sibi faciat & attentum, aut causam dicendo explicet, tum rem exponat, explicatam confirmet rationibus, denique preces & motus adhibeat ad flectendum accommodatos: quæ sine præceptis omnia conficit.

Quot sunt partes artificiosæ Dispositionis? Resp. quatuor: Exordium, Narratio, Contentio, Peroratio: quarum duæ valent ad fidem faciendam, narratio & contentio; duæ ad motum, Exordium & Peroratio. *Cicero in partit.*

Quid in his singulis partibus de argumentorum & affectuum dispositione sentiendum est? Resp. fortia argumenta initio collocanda sunt; quippe animis expectatione quadam suspen-

suspensis nisi initio satisfiat, ægrè postea poterit: Deinde mediocria in mediam turbam conjicienda sunt, sive ad speciem, sive ut simul conserta vim aliquam obtineant. Postremo loco statuenda sunt fortissima, quibus maximè insistendum, ut perorationi, victoriæque certiorem viam sternant. *Quintil lib. 6 c. 5.*

Affectus verò licet maximè in exordio lenes, in peroratione vehementes dominentur, optimè per totam orationem spargi possunt, & debent, præsertim post narrationem, vel re exposita, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis confutatis. Quod familiare fuit Ciceroni: nam pro Rosc. Amer. Illico post narrationem assurgit in hos affectus: *quid primùm querar? aut unde potissimùm exordiar, judices? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorùmne immortalium? populine Rom &c.* Post refutationem iterum. *O singularem sapientiam, judices, nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse & eripuisse, cui repente cœlum, solem, aquam, terramque ademerunt?* Rursus ubi probabiliorem in adversariis cædem esse demonstravit, invehitur in Chrysogonum; *hiccine etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hîc etiam potens esse vult? ô rem miseram, atque acerbam! &c.* Tandem in peroratione pœnè lachrymas elicit. *Deus immortalis! quænam ista tanta crudelitas est? quæ tam fera, immanisque natura? &c.*

CAPUT PRIMUM.

De Exordio.

HÆc pars magni momenti est atque elaboranda: prima est enim quasi cognitio, & commendatio oratoris. *Cicero de invent. Aristot. Rhet. lib 3. c. 14 Quintil. lib 4. c. 1.*

Quid est exordium? Resp. est oratio auditoris animum idoneè comparans ad reliquam dictionem.

Quotuplex est exordium? Resp. duplex: aliud ex abrupto, cùm omissis iis, quæ ad comparandos auditorum animos

mos pertinent, orator quasi quodam impetu abreptus dicere aggreditur, vel per expostulationem, vel commiserationem, vel exclamationem & repentinum lætitiæ motum, vel per deprecationem.

Hoc exordium in invectivis præsertim usurpatur, cùm indignitas rei vel personæ reprehendédæ modum non habet, ut *Cic. Catil.* 1. *Quousque tandem &c. Cicero de Orat.* Aliud est justum ac legitimum (quod à Rhetoribus insinuatio appellatur) in quo auditores benevolos, attentos, & dociles reddimus.

ARTICULUS I.

Quomodo in exordio legitimo reddatur auditor benevolus, attentus, docilis.

VNde benevolentia comparatur? Resp. à persona vel auditoris, vel nostra, vel clientis, vel adversarii. *Quintil. lib.4.c.1.*

1. Itaque auditor benevolus redditur, si hunc modestè laudemus, præsertim ab ea virtute quæ causæ nostræ accomodata est: ut si ad misericordiam movere velimus, laudemus ejus clementiam: ita *Cic. pro Marcello, & pro Ligar.* Cæsaris clementiam extulit. Si ad ultionem, justitiam, optimè idem *Cic. pro Quinctio, num.* 5. *Certè aut apud te, & eos, qui tibi adsunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa vi, & gratia, locum ubi consistat, reperire non poterit. Nam eò dico C. Aquili, quo mihi veniat in dubium tua fides & constantia, aut quo non in iis, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam P. Quinctius habere debeat.* Et pro Milon. num. 2. *Sed me recreat & reficit Cn. Pompeii sapientissimi viri consilium, &c.*

2. A persona nostra captatur benevolentia, si nostrum officium, aut meritum, aut virtutem sine arrogantia commendemus. Ita Cic. humanitatem suam commendat *Pro Arch. Poeta, Adductus sum, judices, officio, &c.* Modestiam 1. De lege Agrar. num. 2. *De me autem ipso vereor ne arrogantis sit apud vos dicere, ingrati tacere.*

Amicitiam pro Rabir. *Mecum amicitia vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum vita mea perpetua consuetudo ad C Rabirium defendendum est adhortata: tum verò*

verò ut id studiosissimè facerem, salus Reip. consulare officium, consulatus denique ipse mihi unà vobiscum cum salute Reip. commendatus coegit.

3. Captatur benevolentia in genere judiciali à persona clientis, si ejus inopiam, solitudinem, calamitatem ostendamus. Exempla vide pro Quinctio & Rosc. Amer.

4. Si adversarius in invidiam & odium vocatur, recensitis ejus vitiis, ut pro Deiot. *Crudelis castor! ne dicam sceleratum & impium: qui nepos avum in discrimen adduxerit, adolescentiaque sua terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri & tegere debebat.* Sic pro Quinctio gratia Nævii odiosa redditur, uti eloquentia Hortensii.

Et pro Rosc. Ame, Chrysogoni avaritia, & nu. 13. Rosciorum audacia: *accusant ii, qui in fortunas ejus invaserunt; causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt? &c.*

Unde conciliatur attentio? Resp. 1. si attentionem ipsam petamus. Vide passim exempla in Cicerone. 2. Si de rebus magnis & necessariis nos dicturos polliceamur, ut pro Rabir. *Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à tribuno plebis susceptam, neque à Consule defensam, neque ad populum Rom. esse delatam* 3. Si affirmemus nos rem clarè demonstraturos esse, ut pro Plancio. num. 3. *nisi ejus integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem ostendero, &c.*

Unde docilitas paratur? Resp. si breviter & dilucidè summam rei, de qua dicturi sumus, proferamus vel simpliciter proponendo, vel definiendo, vel dividendo. Cicero proponit simpliciter pro lege Man. *Dicendum est de Cn. Pompeij virtute, &c.* Definit quid sit dicturus in Verrem: *venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum & insaniam; ut siculi latrocinium; ego quo nomine appellem nescio: rem vobis proponam.* Dividit pro Cluent. *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes*: & post pauca: *itaque mihi certum est hanc eandem distributionem invidia & criminis sic in defensione servare, ut omnes intelligant, nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Exordii vitia & virtutes.

QUæ sunt vitia exordii? Resp. 1. si vulgare est, quod in plures causas potest accommodari. 2. Si commune, quod nihilominus in hanc, quàm in contrariam partem causæ potest convenire. 3. Si commutabile, quod ab adversario potest leviter mutatum pro contraria parte dici. 4. Si longum, quod pluribus verbis aut sententiis ultra quàm satis est producitur. 5. Si separatum, quod non ex ipsâ causâ ductum est. 6. Si translatum, quod aliud conficit, quàm genus causæ postulat. 7. Si irregulare, seu contra præcepta, in quo auditor nec benevolus, nec attentus, nec docilis redditur. *Cicero de Invent. lib. 1 & ad Heren.*

Quæ sunt virtutes Exordii? Resp. 1. Virtus exordii est, ut sit proprium, hoc est aptum ad causam, & ex ejus visceribus. 2. Ut sit accuratum, & acutum. 3. Est ut instructum sententiis & aptum verbis. Virtutes reliquæ ex contrariis vitiis cognoscuntur. *Cicero de Orat. lib 2.*

ARTICULUS III.

Exordii insinuatio.

QUid est insinuatio? Resp. est oratio, quâ callidè & latenter insinuamus nos in benevolentiam auditorum.

Quandoq; utendum insinuatione? Resp. cùm aliquid vel incredibile, vel absurdum, vel humile, vel dubium, vel obscurum, vel ingratum, vel prolixum, vel persuasum, vel reprehendendum, vel turpe videri potest: Nam honestum per se conciliat animum auditoris, proinde insinuatione non est opus. *Quintil. lib 4. c. 1. Cicero de Invent. ad Heren. lib 1.*

Quomodo in his singulis insinuatione utimur? Resp. si res, quam propositurì sumus, *sit incredibilis, aut absurda*; vel præmunitione agimus, *ut Cic: pro Marcell num* 12. *Vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse, videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti: nam cùm ipsius victoria conditione jure omnes victi occidissemus, clementia*

mentia tua judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoria conditio, visque devicta est. Vel illam exemplis & testimoniis confirmamus, & pro lege Man. num. 30. *Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sylla, hujus virtute, & subsidio confessus est liberatam: testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit: testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit, &c.*

Si *humilis*; orator illam amplificet, resque novas polliceatur. Cic. Philip. 2. num. 1. *Parvis de rebus, sed fortassè necessariis consulimur: P. C. de Appia via, & de moneta, Consul de Lupercis Tribunus plebis refert? quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen aberrat animus à sententia, suspensus curis majoribus; adducta enim res in maximum periculum, & extremum pane discrimen.*

Si *dubia*; securitatem ac fiduciam ostendemus, ut pro Ligar. nu. 2. *Habes igitur, Tubero, quod est maximè accusatori optandum, confitentem reum, &c.* Et pro Milon. Cicero maximè fiduciam ostentat in nova judicii forma num. 2. *Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denuntiant: neque solùm ut quiete, sed etiam ut magno animo simus hortantur, neque auxilium modo defensioni meæ, verùm etiam silentium pollicentur.* Item pro Rabirio: *nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, cùm indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos: nunquam, mihi credite populus Romanus hic, qui silet, Consulem, me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.*

Si *obscura*; maximè auditorem docebimus vel proponendo, vel definiendo, vel dividendo. Vide suprà Artic. 1.

Si *ingrata*; à persona auditoris, vel auditorum, vel ab alia re, quæ grata sit, incipiendum. Hac arte Cicero legum Agrariarum oppugnationem initurus, non statim eam proponit, sed à sua & auditorum laude exorditur, atque ab adversarii vituperatione, unde sensim delabitur ad eas leges oppugnandas

Si *prolixa*; auditoris defatigatio orationis urbanitate, & honestis iocis, aut fabula falletur: quod animadvertes in qualibet Ciceronis narratione, si longa est. Ut pro P. Quintio, ubi Cicero facetiis in fraudulentum Nævium, & quæstui addictum cavillatur,

Si

Si persuasa; statim auditor à persuasione dimovendus est. ita pro Milone præjudicia refutantur ante narrationem rei gestæ, ejusque confirmationem. Et pro Cluentio: num. 6. Cicero postulat à judicibus, ne præjudicia veritatem rei labefactent in ista causa seu inveterata invidia.

Si reprehendenda, 1. cùm acriorem & vehementiorem motum exprimimus, utendum est excusatione. Ut, *si acriùs egero, aut liberiùs, quàm qui ante me dixerunt, peto à vobis, ut tantum orationi meæ concedatis, quantum & piæ, & justæ iracundiæ concedendum putetis.*

2 Præmunire nos oportet, & rationem reddere. ut, *non consuevi homines appellare asperiùs, Quirites, nisi lacessitus: vellem fieri posset, ut à me sine controversia nominarentur ii, qui se decemviros sperant esse futuros, &c.*

3. Illius, quem arguimus, subinde nomini parcendum est, aut ejus excusatio, vel laudatio præmittenda, ne videatur oratio asperior. Ita Cicero pro lege Manil. num. 51. Catulum, & Hortensium laudat, quos tamen arguit. Et pro Sylla. Torquatum excusat. Num. 46. *Fero ego te, Torquate, & jam dudum fero, & nonnunquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam revoco ipse & reflecto. permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti: sed nisi tibi aliquem modum vitæ constitueris, coges oblitũ me nostræ amicitiæ, habere rationẽ nostræ dignitatis.*

4. Abstrahenda est oratio à persona, præsertim si sit gravis. Sic cicero non Catonem, sed Stoicorum doctrinam, cui erat addictus, venustè reprehendit pro Muræn num. 60. *In M Catone, iudices, hæc bona, quæ videmus divina & egregia, ipsius scitote esse propria; quæ nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non à natura, sed à magistro: fuit enim quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur.*

Denique si turpis; vel cum excusatione obscure declaretur; vel cum præteritione sileatur, ut pro Cluent. num. 17. *Illud me non præterit, cujusmodicumque mater sit, tamen in judicio filii de turpitudine parentis dici vix oportere* Verr. 3 nu. 52. *Omnia præteribo, quæ mihi dictu turpia videbuntur, neque solum quid istum audire, verùm etiam quid me oporteat dicere, considerabo. Vos quæso date hoc, & concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim: omne illud tempus, quod fuit ante quàm iste ad magistratum,*

ius, Remque publicam accessit, habeas per me solutum ac liberum: sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis.

Ex his, quæ hoc articulo diximus, patet insinuationem magno in judicio & prudentia dicentis versari, ut non intelligentiam modo, sed gratiam, & attentionem auditoris comparet in omni causa, plerumque etiam sibi adversa: quâ arte valuit Tullius, qui ubique artificioso callidæ & astutæ orationis cursu detinens auditores permovet tandem, non solùm imperitos, sed etiam doctos.

Sic pro Ligar. tam callidè, & convenienter dixit, ut Cæsari (quamvis in ista causa judici & adversario) tamen veluti stupefacto, & extra se posito, color variè mutatus sit, & libelli quidam è manibus exciderint. Simili, sed magis sophisticâ, Socrates usus est insinuatione. nam cùm apud Platonem refellit Sophistas, ut Thrasymachum, Gorgiam, Protagoram, & cæteros, non apertè, sed latenter & occultis probationum quasi cuniculis incedit: ideoque ab iratis Sophistis sæpè contumeliosè reprehenditur, appellaturque aliàs Torpedo, aliàs Dædalus, aliàs incantator.

ARTICULUS IV.

Exordii artificium.

Quodnam est Exordii artificium? Resp. jacienda sunt in exordio prima semina argumentorum, atque argumentationum, quæ posteà resumantur, & fusiùs explicentur: latere item debent prima semina amplificationis, & affectuum, quos totos explicare non oportet, sed tantùm impellere auditorem leniter, ut jam inclinato & affecto reliqua incumbat oratio *Agricola. Quintil.*

Unde igitur sumes argumenta exordii? Resp. ex visceribus causæ, seu locis intrinsecis, ut genus & effecta, similitudines, adjuncta, &c. quæ cum re sunt conjuncta.

Propone exemplis plurium exordiorum argumenta? Resp. Sit tibi hæc quæstio v.g. ad dicendum proposita. *Adolescentem decet verecundia*: Sic à genere seu thesi sumes exordii argumentum: *Cùm omnis virtus Adolescentem decet, tum maximè decet verecundia.*

Sic sumes ab affectis: *Etsi est magna cupiditatis vis in adolescente, tamen si adsit moderatrix verecundia, is nulla libi-*

ne

me frangitur, dedecus fugit, & laudem maximam consequitur.

Sic à Simili: *Sicut rosa inter omnes horti flores rubore suo emicat, ita verecundia inter omnes adolescentis virtutes pudore suo eminet.*

Ab adjunctis exemplum non affero, siquidem longè patent, præsertim adjuncta personarum, loci, temporis, à quibus Cicero Exordii argumentum frequentissimè mutuatur: nam pro Dejot. loci angustias, pro Cœl. temporis insolentiam, pro Milon. novam rationem judiciorum sumit.

Quænam adhibenda est argumentatio in exordio? Resp. non vehemens illa, uti in Contentione & peroratione, sed lenis; petiturque ex iis maximè locis, qui leniter intelligentiam afficiunt: nam hæc argumentatio debet exordii argumentum exornare potiùs, quàm acriter aut subtiliter confirmare.

Declara exemplis argumentationem exordii? Resp. quæstionem antepositam à genere sic exornabis tripartita ratiocinatione: *Omnis virtus adolescentem decet, verecundia est virtus; igitur hæc illum decet.* Ab effectis, sic quinquepartita ratiocinatione: *Ea virtus adolescentem decet, quæ cupiditates moderatur; nam tanta est cupiditatis vis in adolescente, ut nisi adsit moderatrix virtus, is celeriter libidine frangatur, & dedecus maximum subeat: libidinum autem inimica, & dedecus fugiens, & laudem maximam consequens est verecundia; quippe quæ nihil non rectum moribus, nihil non honestum dictis atque factis admittit:* quis igitur verecundiam neget maximè adolescentem decere? A simili, Inductione: *Sic à natura comparatum est, ut in quoque genere princeps existat: Luna inter minores stellas præstat, rosa florum obtinet principatum, gemmarum prima est unio, quidni in adolescente virtutum regina sit verecundia?*

Quænam requiritur amplificatio in exordio? Resp. maximè illa verborum, de qua lib. 1. cap. 3. Artic. 1. Amplificatione rerum parcè & breviter utendum: verùm oratorii numeri suavitas & periodorum venustas accuratum & amplum facit exordium.

Quinam affectus debent esse in exordio? Resp. debent esse ut plurimum leniores, vel si aliquando graves, sint tantùm quasi inchoati: nondum enim exarsit orator, sed sensim progreditur & assurgit. Vide exordia Ciceronis ferè omnia, ubi hos affectus reperies, sed & semina,

quæ dixi, argumentationum, & amplificationis per reliquam orationem adhibenda.

CAPUT II.

De Narratione.

VT plurimum exordio subjicitur narratio, nisi refutanda & prius amolienda sint præjudicia. *Aristot. lib.* 3 *c.* 16.

In exornatione & deliberatione non adhibetur, sed tamen variis in locis quædam narratiunculæ inseri queunt: In judiciis verò adhibenda est. quod si rem jam narravit adversarius, narranda tantum alio modo, quæ ipse contra nos falsò narravit.

Quid est narratio? Resp. definitur à Cicerone *in partit.* explicatio rei, & quasi quædam sedes, & fundamentum constituendæ fidei.

Quotuplex est narratio? Resp. Quintiliano duplex est. *lib.* 4. *c.* 2.

Altera dicitur causæ narratio seu expositio rei, de qua status est: Altera rerum quæ pertinent ad causam: 1. narratio simpliciter sine arte & amplificatione fit, Ut, *incidi in adversarium, distrinxit in me gladium, primum ictum parvâ corporis inclinatione effugi, vim vi repuli, interfeci.*

2. Narratio ornatè & copiosè tractatur, habetque sæpè probationis vim. ut, *negotiorum causa proficiscebar in urbem vicinam, cùm ecce furore præcipiti fumantem & incitatum vehementiùs adversarium offendo, stricto gladio inermem aggreditur, à fronte, à tergo, à lateribus, expeditus in equo, satellitibus stipatus, non jam insidias molitur, sed diu meditatam mortem intentat: nullis ego septus præsidiis saluti meæ fugâ consulebam; hic oculis ardentibus, fulgente gladio fugientem insequitur, quid consilii caperem? ut in arena gladiator, me à desperatione ad spem revoco, & mortis contemptor egregius inimicum interficio. æquumne censetis, judices, ut quam vivus eripere mihi vitam nequivit, mortuus auferat.*

ARTI-

ARTICULUS I.

Narrationis virtutes.

QUot sunt narrationis virtutes? Resp. quatuor: Probabilitas, Brevitas, Perspicuitas, Suavitas. *Cicero Quintil. ibid.*

Quâ ratione fit probabilis narratio? Resp. 1. si is, qui narrat, sit notæ probitatis, & fidei. 2. si simpliciter, & clarè exponantur rerum circumstantiæ & adjuncta, Personarum, loci, temporis, &c. ex quibus maximè facti probabilitas petitur. exemplum sit insignis illa Ciceronis narratio pro Milone; qua probabiles facit Clodii insidias. Et Catil. 3. Manifesta Catilinæ, & ejus sociorum conjuratio.

Quâ ratione fit brevis narratio? Resp. 1. si constet simplicibus verbis, non puerili ac superfluâ circumlocutione. 2. si unaquæque res semel, neque minutim dicatur. 3. si recenseantur tantùm ea, quæ oratori ad causam sunt utilia, non tamen inornata debet esse brevitas.

Quâ ratione fit perspicua narratio? Resp. 1. si verbis usitatis & propriis aperta sit. 2. si ordo temporis, & rei gestæ series servetur. 3. si adhibeatur aliqua divisio & partitio. 4. si res non interruptè narretur.

Quâ ratione fit suavis narratio? Resp. si inserantur admirationes, expectationes, exitus inopinati, motus animorum, dolores, metus, lætitiæ, cupiditates, colloquia etiam personarum, & Ethopeiæ, Hypotyposes; Deinde si non eodem tenore, sed modo breviori stylo, modo prolixiori v. g. parva pressè, magna subtiliter, atrocia invidiosè, tristia miserabiliter, læta jucundè efferantur, ut varius sermo effugiat tædium, & sine satietate delectet. vide insigne exemplum pro Cluent. num. 12. & 101. de Sassia. & 2. Verrin. num. 66. de Philodamo 3. item. in Verrem n. 74 de Sopatro. & ibidem de Sthenio.

Verùm & aliæ Verrinæ abundant his narrationibus, in quibus est mira suavitas.

Ad extremum observanda sunt quinque: 1. narrationes solere sæpè concludi Epiphonemate.

2. Post narrationem nonnunquam fieri digressiones, id est, excurri in ea, quæ nobis prodesse possunt, antequam pergamus ad confirmationem, vel confutationem,

3. Debere esse in narratione quædam argumentorum semina, quibus ait Quintilianus vehementer stabiliri fidem causæ nostræ.

4. Agricola docet illud ferè observatum oratoribus, ut undecumque petitum semper ponant favorabilem primum narrationis ingressum, & ab aliquo, quod causam suam commendet, auspicentur. Sic Cic pro Cluentio, non statim incipit à criminibus corrupti judicii, sed à persona matris, quæ maximè Cluentium premebat, primumque à nuptiis filiæ: deinde à divortio, post hæc à nuptiis matris initia duxit: quæ ut ad præsentium criminum ordinem nihil attinebant, sic summæ defensionis res ipsa indicat plurimum ea profuisse. Poetæ vero, qui in rebus gestis ordinem non servant, quærunt principia narrationis, quæ delectant. Sicuti Homerus in narrandis erroribus Ulyssis, non est secutus seriem rerum & temporis, sed venustè à mediis exorsus est, & medio loco, quæ prima erant, inseruit. nec enim Iliada orditur à concubitu Jovis cum Læda, unde nata est Helena, causa belli Troiani: sed à precibus Chrysæ Sacerdotis: idemque Homerus auspicatur odysseam à consilio Deorum, errantemque Ulyssem describit, non à littore Troiano primùm, sed ab insula Calypsus ad Phæacas, qui in convivio Alcinoi regis narrat Phæacibus quemadmodum à Troiano littore ad Nympham usque navigarit: tum Poeta reliquam navigationem Ulyssis à Phæacibus ad Ithacam patriam ordine prosequitur.

Ita Virgilius vestigiis Homeri insistens (seu ut diximus in Apparatu callidus imitandi artifex) errantem Æneam non excipit à littore Troiano, sed primùm narrat quemadmodum è Sicilia navigans, in Lybiam tempestate compulsus & delatus fuerit: qui in convivio Didus Reginæ Carthaginensium narrat à principio, ut Troia eversa fuerit, & quibus erroribus eo navigarit: & quemadmodum Homerus bellum Troianum morte Hectoris, sic Virgilius bella Æneæ, morte Turni finivit.

ARTICULUS III.

Narrationis Figura.

Quæ in narratione potissimum usurpantur figuræ? Resp. 1. Hypotyposis, ut 7. Verr. num. 161. *cædebatur virgis*

in medio foro Messanæ civis Rom. cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolores, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: Civis Rom sum. ibid. *ipse inflammatus scelere & furore in forum venit. ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat.*

2. Suspensio. 7. in Verrem : num. 10 *quid deinde? quid censetis? furtum fortassè aut prædam expectatis aliquam? expectate facinus, quam vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium, &c.*

3. Dialogismus. ut 3. Verrin. *quæso,* inquit, *Philodame, cur ad nos filiam tuam non intrò vocari jubes?* (Et paulò post) *Tum ille ut aliquid responderet, negavit esse moris Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte, enimverò ferendum hoc non est, vocetur mulier, &c.*

4. Communicatio. ut 7. Verr. num 165 *Si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum?*

5. Exclamatio, & admiratio. ut pro Cluent De Sassia illa matre, ubi post aliquam narrationem hæc interserit ad motum. num 15. *ô mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! ô libidinem effrænatam, & indomitam! ô audaciam singularem! non timuisse sin minus vim Deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales, &c.*

Ex his patet in narratione reperiri etiam motus: qui tamen plerumque sunt lenes, & moderati; fiuntque quasi per Digressionem.

CAPUT III.

De Contentione.

QUID est contentio? Resp. est in qua firmamenta causæ efferuntur, dum quæ contra nos sunt refellimus, & nostra confirmamus. *Cicero Orat. 2.*

Contentio ex tribus constat, Propositione, Confirmatione, & Confutatione.

ARTICULUS I.

Propositio.

QUid est propositio? Resp. Est brevis status & totius causæ comprehensio, habetque duas partes, sejunctionem scilicet & distributionem. Sejunctio est oratio brevis declarans quid cum adversariis conveniat, quid in controversia relinquitur. *Quintil lib. 4. cap. 4. & 5.*

Distributio est oratio proponens quibus de rebus dicturi sumus, vel est explicatio ordinis, quem sequi volumus per totam orationem: utraque debet esse clara, & brevis, non ferè plusquam tria capita complectens: exempla sunt pro Muræn. num. 11. *Intelligo, judices, tres accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Et Philip. 7. num. 9. *cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. hæc tria dum explico, peto à vobis, &c.*

ARTICULUS II.

Confirmatio.

QUid est confirmatio? Resp. est pars Contentionis, in qua rem à nobis propositam confirmamus.

Omnis autem confirmatio consistit in argumentis & argumentationibus, quibus causæ nostræ fidem, auctoritatem, & firmamentum adjungimus. Atque de confirmatione satis, & commodiùs diximus, lib. 1. cap. 1. & 2.

ARTICULUS III.

Confutatio.

QUid est confutatio? Resp. est pars orationis, quâ contrarias adversariorum argumentationes dissolvimus. *Cicero de invent: lib. 1.*

Quis est ordo in Confutatione tenendus? Resp. contrarius qui in confirmatione: nam primo loco infirma adver-

sarii

ſarii argumenta collocanda ſunt, infirmiſſima ultimo, fortia in medio. vel ordo is erit in refellendo,quem adverſarius in objiciendo tenuerit. Agricola *lib.2.c.21.*

Quotuplex eſt modus ſeu induſtria confutandi? Reſp. ex Quintiliano triplex: negando, redarguendo, elevando. Quintil. *lib.5.cap.13. & lib. 6.c.3.*

Quomodo confutamus negando? Reſp. 1. ſi omnino rem allatam ab adverſario negamus. ita apertè Cicero pro Quintio num.36. ***Negamus te bona Quinctii, Sexte Nævi, poſſediſſe ex edicto Prætoris.*** 2. Si crimen ab ejus, quem defendimus,perſona & moribus alienum oſtendimus. pro Roſcio Amer.num.39. ***Patrem occidit Sext.Roſcius. qui homo? adoleſcentulus corruptus,& ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax,& ſæpè in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis, &c.*** 3. Si factum negamus ab adjunctis loci, temporis,&c. ut pro Milone. Si à conſequentibus, ut pro Dejot.num 15. ſi remotione cauſarum efficientis, ac finalis, ut pro Cœlio.n.56.

Quomodo confutamus redarguendo? Reſp. 1. ſi dubium aut fictum, aut falſum eſſe poſſimus dicere quod adverſarius ſumpſerit. Cic. *in partit.* pro Roſc. num. 53. ***Exhæredare pater filium cogitabat. mitto quærere qua de cauſa: quæro qui ſcias. illum quidem voluiſſe exhæredare, certè tu planum facere debes. Quid ergò affers,quare id factum putemus? verè id nihil potes dicere finge aliquid ſaltem commodè: ut ne planè videaris id facere,quod apertè facis,hujus miſeri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere, exhæredare filium voluit, quam ob cauſam neſcio: exhæredavitne? non. quis prohibuit. cogitabat: cogitabat? cui dixit? nemini. Quid eſt aliud, judicio ac legibus,ac majeſtate veſtra abuti ad quæſtum, atque ad libidinem,niſi hoc modo accuſare, atque id objicere, quod planum facere non modò non poſſis, verùm ne coneris quidem?*** 2. Si non probabile affert adverſarius. ut pro Cluent. num. 173. ***jam verò illud,quàm non probabile, quàm inuſitatum, quàm novum,in pane datum venenum? faciliùsne potuit, quàm in poculo? latentiùs potuit abditum aliqua in parte panis, quàm ſi totum colliquefactum in potione eſſet? &c.*** 3. Si contraria & pugnantia ab adverſario dici oſtendimus. ut pro Roſc. num 44. ***Vides, Eruci,quantum diſtet argumentatio tua abs re ipſa,atque à veritate. quod conſuetudine patres faciunt,id qua-***

si novum reprehendis: quod benevolentiâ fit, id odio factum criminaris: quod honoris causâ pater filio suo concessit, id eum supplicii causâ fecisse dicis. Neque hac tu non intelligis: sed usque eò quid arguas, non habes, ut non modò tibi contra nos dicendum putes, verùm etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opinionem omnium. 4. Si contemnimus crimina leviter ab adversario objecta. ut pro eodem Rosc. num. 43 *quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usuvenit in causa optima. ille quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leves quâ ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. quid ais Eruci? &c.* Et posteà: *Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quòd hunc ruri esse patiebatur. nunquid est aliud? imò verò, inquit, est. nam istum exhæredare in animo habebat. audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat nam illa opinor tu quoque concedis. levia esse atque inepta, convivia cum patre non inibat, &c.*

Denique concludit: *Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator, &c. dissolvitque reliqua argumenta.*

Certè præclara est hæc confutationis idæa, qua Cicero Erucium variis modis excutit, urget & contemnit. 5. Si crimen in adversarios detorqueamus, & suis ipsos (quod Ciceroni frequentissimum est) argumentationibus jugulemus.

Ita rursus Cicero suum Erucium conficit, dum probabilius esse ostendit istos sicarios noctu, qui Rom. Sex. Roscium occiderunt, esse adversarios num. 80. *Quid est ergo, quò tandem accusator inopia argumentorum confugerit? &c.* 6. Si interrogando, increpando, concedendo, indignando, simulando irridemus adversarium: tum enim victores videmur, modò tamen absque arrogantia, & immodestia. Et verò potentissimus est ad deprimendos adversarios, & concitandos pro nostra causa affectus, risus: unde in causa Murænæ Cicero nihil æquè videtur opposuisse Catonis & Sulpitii, maximorum virorum authoritati, quàm lætissimum illam suam facetè dicendi festivitatem: sicque omne judicium solutum est risu, ut Cato, quamvis naturâ & institutione, ipsa quoque accusatoris personâ, quam sustinebat, horridior, cùm tamen risum tenere nequiret, feratur dixisse: Dii boni, quàm ridiculum consulem habemus. Prætereà satis constat, non aliâ

re,

re, quàm jocorum opportunitate, in manifestissimis criminibus L. Flaccum severitati judicum, à Cicerone esse ereptum: perpetuo enim risu ac facetiis in Testes Asiaticos, Romanosque cavillatur. Adeò, ut Quintilianus dixerit, Ciceronem in jocis modum non tenuisse.

Quomodo confutamus elevando? Resp. quando res, quam adversarius sumpserit, negari non potest, aut quando infirma est nostræ causæ ratio, duos assignat Agricola *lib. 2. c. 21.* elevandi, seu ut ipse loquitur elabendi modos: 1. est regerendo aliquid in personam adversarii: 2. est regerendo in rem ipsam. In rem regerimus, cùm rem parem aliquam ei, quæ nobis objicitur, reponimus; ut quantum nos urget adversarius, tantum videamur nos eum è diverso eo, quod referimus, urgere. Quale est pro Cœlio. cui cùm objecta esset luxuria major, quàm ut eam defendere auderet Cicero, apertior, quàm ut posset eam negare, molliit quidem aures quantum potuit Orator, & partim temporum magis ea vitia dixit, quàm hominis, partim contendit aliquid esse concedendum ætati. Tum (quod hujus loci proprium est) velut remedium invidiæ opposuit, spem futuræ industriæ & probitatis in ætate ventura, ex actionibus, laboribusque quos Cœlius jam suscipiebat, sustinebatque, sic Virgil. in Eclog. *Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) tres pateat cœli spatium, non amplius ulnas?* Alter cùm nequeat respondere, aliud par objicit: *Dic quibus in terris inscripti nomina Regum nascuntur Flores, & Phylida solus habeto.* In personam regerimus, cùm dimissâ re, ostendimus, qualiscumque sit, non convenire tamen adversarii personæ objicere eam, neque rectè hæc ab eo dici. Cujusmodi est pro Ligario, quod Tubero accusator Ligarii, in eadem causa fuerit, cujus Ligarium accusabat.

Simile est in Salustium, *quasi verò tu sis ab illis viris, Salusti, ortus.* Et paulò post: *Ecquid te tui piget, homo levissime, cùm ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis, qui mihi an us sis eloquentiam ut vitium objicere, cujus semper nocens eguisti patrocinio.* Sic & Virgilius: *Meque timoris argue tu Drance.* Et apud Senecam Jason: *Medea amores objicis?*

CA-

CAPVT IV.

De Peroratione.

STrenui ac diligentis Oratoris est, nihil in ultima hac parte negligere, sed illam studiosiùs excolere, quod quæ tunc dicuntur mentibus auditorum adhærescant, & res plerumque ab exitu, & fine probentur. Aristot. *Rhet.l.3.c.19.* Deinde cùm Peroratio à nonnullis motuum sedes dicatur, videanturque omnes affectus huc referri (nam aliæ quoque partes affectus recipiunt, sed breviores, ut ex his plurima sint reservanda) hic si usquam, totos eloquentiæ fontes aperire licet, & omnes animorum motus adhibere. Cic. *de Orat.* 2.

Hac in parte Cicero excelluit, & Oratorum princeps fuit.

Quid est Peroratio? Resp. artificiosus orationis exitus, sive est extrema pars orationis, in qua id, quod totâ oratione expetebat Orator, majori vehementiâ evincere & obtinere contendit. Quintil *lib.6.c* 1.

Quot partibus constat Peroratio? Resp. tribus; Enumeratione, Amplificatione, Affectu. Cic. *in partit.*

Quomodo fit Enumeratione? Resp cùm ea, quæ per totam orationem variè sunt sparsa, colligimus, & uno velut aspectu ponimus ob oculos per anacephalæosim seu recapitulationem, quæ est rerum fusè dictarum brevis, & summa, & artificiosa repetitio. Cic pro Quinctio sigillatim omnia repetit, & ordine suo, quæ probaverat, subjicit cum ratione. num. 86. *ostendi quàm multa, &c.* Et pro lege Manil. num. 49. *Quare, cùm & bellum ita necessarium sit, ut negl gi non possit, ita magnum, ut accuratissimè sit administrandum, & cùm ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia bell scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortitudo, dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum bonum, quod à Diis immortalibus oblatum & datum est in Rempub. conservandam atque amplificandam conferatis.* Sæpè etiam optima est illa Enumera-

meratio, quæ non ſimpliciter fit, ſed figuratè vel per apoſtropham, vel proſopopæiam, interrogationem, præteritionem, &c.

Poteſtque enumeratio præcedere amplificationem, vel ſubſequi, vel etiam ei permiſceri.

Denique enumeratione utendum, quando causâ multis argumentis deductâ memoriæ auditorum diffidimus, ac tum præcipua tantùm argumenta cum ornatu & varietate, ſervato ferè ordine confirmationis, repetimus.

Quomodo fit amplificatione & affectu? Reſp. ſi ea, quæ de amplificatione & affectu diximus, accuratè obſerventur: præſertim hìc valent apoſtrophæ, exclamationes, interrogationes, deprecationes, proſopopæiæ, commiſerationes; nam his figuris, & maximis affectibus, amplificationibusque omnes Ciceronis perorationes ſunt plenæ.

CAPUT V.

De Artificio componendæ orationis.

Quot rebus conſtat artificium componendæ orationis? Reſp. tribus: Exordio, Contentione, Peroratione; nam narratio (ut diximus) non ſemper adhibetur, niſi in genere judiciali.

Quodnam eſt artificium Exordii? Reſp. Præmitti ab Oratore exordium (quod poſtremo loco aliqui dicunt oportere fieri) ex viſceribus cauſæ; contineatque prima ſemina argumentationum, amplificationum, affectuum, qui reliqua oratione tractantur. Sed de artificio exordii ſatis fusè alibi. Quodnam eſt artificium contentionis? Reſp. primùm ſumenda eſt brevis & clara quæſtio ſeu propoſitio vel in genere demonſtrativo, vel deliberativo, vel judiciali. Deinde ſeligenda è locis oratoriis duo triave argumenta præcipua, quibus & propoſita quæſtio niti, & in quæ quaſi in ſuas partes oratio diſtribui poſſit.

Tum

Tum accedens argumentatio vel tripartita, vel quinquepartita, vel Enthymema, vel inductio explicabit atque efferet argumenta. Singulas autem argumentationis partes cùm amplificatio rerum ac verborum exornare, tum aptæ transitiones colligare debent. Postremò trahuntur affectus, vel Orator digreditur, aut confutat re confirmatâ, & amplificata.

Quodnam est artificium Perorationis? Resp. Peroratio omnia per orationem sparsa vehementiùs colligit, ac primùm argumentationes strictim ac sapienti quâdam confusione recenset, eas rursus amplificat, inchoatos affectus resumit, adauget, & ad summum perducit.

Nonnunquam novo argumentò, aut argumentatione, tanquam forti telo ad finem reservato auditorem vincit.

Unde hoc artificium componendæ orationis confirmari potest? Resp. ex ipsis M. Tullii Ciceronis orationibus, qui primùm exorditur ab adjunctis, aut ab aliis visceribus causæ: Deinde proponit breviter & clarè.

Tum distribuit orationem in duo triave argumenta præcipua: Hæc argumentationibus tractat.

Ipsas argumentationum partes amplificat: trahitque affectus: perorat denique.

Atque harum quidem M. Tullii Ciceronis orationum artem, atque analysim in altero Tractatu dabimùs, quâ re haud scio, quid studiosæ juventuti sit utiliùs.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE

Tertia parte Rhetoricæ,

Seu de

Elocutione.

HÆc est propria Oratoris pars, à qua & Rhetor, & eloquens, & maximè Orator Oratore præstantior dicitur. Sine elocutione supervacua sunt inventio ac dispositio; & similia gladio condito, atque intra vaginam hærenti. Ideo Cicero inventionem quidem, ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam Oratoris. In hac igitur parte, omne studium, & exercitatio, & imitatio, & ætas ponenda est. Cic. *de Orat. lib.* 2. Quintil. *lib.* 8. *in proœmio.*

Quid est Elocutio? Resp. est idoneorum verborum, ac sententiarum ad res inventas, & dispositas accommodatio: ut diximus. Cic *de Invent.*

Quot sunt virtutes Elocutionis? Resp. quatuor: Latinitas, Perspicuitas (de quibus vide Grammaticæ præcepta) ornatus, & suavitas. Quintil. *lib.* 8. *c.* 1. Cic. *de Orat.* 3.

In quo situs est ornatus Elocutionis? Resp. in Tropis, & figuris.

In quo sita est suavitas Elocutionis? Resp. in oratorio numero, qui pedibus constat; & maximè in periodo, cujus partes sunt incisa, & membra.

CA-

CAPVT I.

De Tropis in uno verbo.

QUid est Tropus? Resp. est verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio, ut cùm dicimus lætas segetes, verbum lætus à propria significatione, quâ lætos homines dicimus, ad segetes cum virtute transfertur. Quintil. *lib.* 8. *c.* 6.

Quotuplex est Tropus? Resp. duplex: Alter in uno verbo, & alter in pluribus seu in oratione.

Quot sunt Tropi in uno verbo? Resp. septem: Metaphora, Synechdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopeia, Catachresis, Metalepsis.

ARTICULUS I.

Metaphora.

QUid est Metaphora, latinè translatio? Resp. est, cùm nomen aut verbum, quod propriè rem aliquam significat, assumitur ad rem aliam similem significandam; ut cùm nomen vulpes, quod propriè bestiam significat, assumitur ad significandum hominem fraudulentum, cum quo ipsa vulpes habet similitudinem. Cic. *ad Heren. lib.* 4. Quintilianus *lib.* 8. *cap.* 6.

Quotuplici ex causa fit Metaphora? Resp. triplici:

1. Ob necessitatem, cùm proprium verbum deest rei significandæ: sic gemmare vites, luxuriam esse in herbis, hominem esse durum, aut asperum ex necessitate dicitur, quia non est proprium his affectionibus nomen.

2. Ob majorem significandi vim: nam incensum irâ, inflammatum cupiditate, errore lapsum significantiùs dicimus, quàm commotum, quàm cupidum, quàm errantem.

3. Ob decentiam & ornatum, quo modo lumen ingenii pro acuto, flumen eloquentiæ pro diserto Oratore dicimus.

Quo-

Quotuplex est vis Metaphoræ? Resp. quadruplex.

1. Cùm verbum uni animato proprium alteri quoque animato tribuitur, ut si dicas hominem latrare: Livius enim Scipionem à Catone allatrari solitum refert.

2. Cùm verbum uni animato proprium, alteri quoque inanimato tribuitur, ut: Concentu virtutum nihil suavius.

3. Cùm verbum uni inanimato proprium alteri animato tribuitur, ut: Duo flumina belli Scipiades.

4. Cùm verbum uni animato proprium alteri inanimato tribuitur, ut: Regina florum rosa: accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Quare delectantur homines Metaphora? Resp. quia placet omnibus similitudo: Metaphora autem est similitudo ad unum verbum contracta. Tamen hæc est differentia inter Metaphoram, & similitudinem, quòd in similitudine ponitur dictio, quæ vim habeat comparandi; dicimus enim: homo iratus est sicut Leo: In Metaphora autem res, cum qua aliud comparatur, pro re ipsa ponitur, ut: Homo iratus, est leo.

Quæ sunt vitia Metaphoræ? Resp. 1. Si nimia sit dissimilitudo: qualis est inter fornicem & cœlum, quod sphœricum est. Ne igitur usurpa illud Ennii: cœli ingentes fornices.

2. Si à longè similitudo ducatur, ut: Charybdis bonorum pro voragine.

3. Si translatio sit humilis, ut: saxeæ mundi verrucæ, pro rupibus: vel major quàm res postulat, ut: tempestas comessationis pro tumultu: vel minor, ut: Iracundiæ calor pro ardore.

4. Si nimium frequens sit Metaphoræ usus.

5. Si quæ ad Poetas magis pertinent, in solutam orationem adducantur, hoc est, si nimium sit sublimis & audax Metaphora. v. G. cùm rebus inanimatis sensum & animos damus: qualis est illa Virgil. *Pontem indignatus Araxes.* aut Ciceronis. *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum?* sed hæ Metaphoræ molliri debent formulis, *ut ita dicam, si fas est dicere*: vel particulis, *quasi, quodammodò.*

ARTICULUS II.

Synechdoche.

QVid est Synechdoche? est Tropus, in quo 1. sumitur pars pro toto, ut, puppis pro navi, mucro pro ense. Cic. *ad Heren.*

2. Totum pro parte, ut, fontemque ignemque ferebant, pro aquam & carbones.

3. Vnus pro pluribus, ut: Hostis habet muros. Romanus prælio victor.

4. Plures pro uno, ut: Populo imposuimus, & Oratores visi sumus, cùm de se Cicero tantùm loqueretur.

5. Species pro genere, ut: Dentesque sabellicus exacuit sus, pro quavis sue.

6. Genus pro specie, ut: Ales pro aquila, interfector pro parricida.

7. Materia ex quo res facta est, pro re ipsa, ut: Ferrum pro gladio, puppis pro navi, argentum pro patera.

8. Antecedentia pro consequentibus, ut illud: Aspice, aratra jugo, referunt suspensa juvenci; pro instat meridies, vel nox.

ARTICULUS III.

Metonymia.

QVid est Metonymia seu Hypallage? R. est Tropus, in quo 1 causæ pro effectis sumuntur, sive inventor, aut alicujus rei author pro re inventa, ut: Dona laboratæ Cereris, quæ frumenti inventrix est, pro frumento in panem redacto. Item, legi Platonem, pro ejus operibus.

2. Effecta pro causis, ut: scelus & sacrilegium deprehensum est, pro scelerato & sacrilego.

3. Continens pro re contenta Sic benè moratæ urbes dicuntur, sic sæculum felix. Sic Roma pro Romanis, Athenæ pro Atheniensibus. Cic. *ut omittam illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis & inventa est, & perfecta.*

4. Possessor pro re possessa, ut, Dux pro exercitu. Virgil. *Iam proximus ardet Vcalegon,* pro Vcaleguntis domo. Et ab

Anni-

Annibale apud Cannas cæsa sexaginta millia dicimus, pro ab ejus copiis.

5. Signum pro re signata, ut, Oliva pro pace, fasces usurpantur pro Magistratu. Virgil. *Non illum populi fasces, non purpura Regum flexit.*

ARTICULUS IV.

Antonomasia.

QVid est Antonomasia? R. est Tropus, in quo pro vero nomine rei significatæ aliquid ponitur, ut: Eversor Carthaginis pro Scipione. Romanæ eloquentiæ princeps pro Cicerone. Quintil. *lib.* 8. *c.* 6.

Huc referri solet Epitheton. Differt Epitheton ab Antonomasia, quòd non sit Tropus: nam non ponitur pro nomine proprio, sed nomini proprio apponitur, ut cùm dicitur Scipio eversor Carthaginis.

Epitheton tum est egregium, 1. cùm addit ad rem significatam, ut. Scelus execrandum, vinum suavissimum.

2. Cùm est translatum seu metaphoricum, ut: Cupiditas effrænata, tristis senectus.

Cæterùm moderatus debet esse epithetorum usus, ne si parcus sit, oratio jaceat; si creber, abundet. Illis & frequentiùs, & liberiùs Poetæ utuntur.

ARTICULUS V.

Onomatopæia, Catachresis, Metalepsis.

QVid est Onomatopæia? R. est fictio nominis, quod exprimere rem ipsam videtur: ut cùm fingitur bombus ad significandum strepitum apum: Sic vagitus infantium, & mugitus boum, & rugitus Leonum, & sibilus, & alia plurima ficta sunt à Latinis. Jam non licet hujusmodi verba nova fingere, nisi quibus authoritas jus dedit. Quintil. *Auctor. ad Heren.*

Quid est Catachresis? R. est abusio nominis, quod non è quovis simili, uti Metaphora, sed è proximo sumitur, ut, parricida, pro eo, qui matrem aut fratrem, aut sororem interemit: nam quid magis propinquum patris interfectori, quàm matris, aut fratris, aut sororis interfector? Huc refer illud

Virgil. *Equum divina Palladis arte ædificant*: atque illud Horatii. *Equitare in arundine longa.*

Quid est Metalepsis seu transumptio? Resp. Est, cùm per unum verbum gradatim ad aliquid intelligendum acceditur, ut cùm Poetæ dicunt, *post aliquot mea regna videns, mirabor aristas*, id est, post aliquot annos: nam ex aristis spicas & segetes, ex segetibus æstates, & ex æstatibus annos intelligimus.

Apud Oratores hic Tropus parcissimè usurpatur.

CAPVT II.

De Tropis in pluribus verbis, seu in oratione.

QUot sunt Tropi in pluribus verbis, seu in oratione? Resp. quinque: Allegoria, Periphrasis, Hyperbole, Hyperbaton, & Ironia.

ARTICULUS I.

Allegoria.

QUid est Allegoria, latinè inversio? Resp. Est Tropus, seu oratio, in qua aliud verbis, aliud sensu significatur, Cic. ad Heren. Quintil. ut: *Sed nos immensum spaciis confecimus equor.. Et jam tempus equûm spumantia solvere colla*: Vel, ut aliqui volunt, Allegoria est Metaphora continuata: nam similitudo sive Metaphora unico fit verbo, Allegoria pluribus, ita si pro innocente & candido ovem dicas, Metaphora est: Si addas, ovem lupo commisisti, id est, hominem candidum credidisti furaci, Allegoria est.

Quâ ratione Allegoria fit obscura? Resp. Si verbis propriis & apertis sit permixta; ut: *Cæteras tempestates & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper Miloni putavi esse fugiendas*: ubi verbum illud proprium *concionum* rem aperit.

Quænam est præstantissima Allegoria? R. quæ similitudinis & translationis gratiâ permixta est, ut: *Quod fretum, quē Eurypum, tot motus, tamq; varias habere creditis agitationes,* com-

commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? hic vides comitia per similitudinem freto, Eurypo comparari, perturbationes & æstus de comitiorum strepitu ac negotiis translatitiè dici.

Quid est in Allegoria maximè advertendum? Resp. ut quo genere cœperis translationis, eodem finias: unde malè diceretur, per hostes invidiæ incendio deflagravi, ac demùm ejus fluctibus demersus sum, pro ejus flammis absumptus.

Quæ sunt species Allegoriæ? Resp. Ænigma, & adagium.

Quid est Ænigma? R. Est obscurior Allegoria, nimirùm occultâ & implexâ rerum similitudine, ut: *Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex: his quoque triginta nata, sed dispare forma: aspectu hinc niveo, nigris & vultibus inde: sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.* De anno, qui duodecim mensibus constat, quorum quilibet triginta diebus, luce & nocte distinctis completur. Ita Horatius lib. 5. Ode XIV. *O navis, &c.* Ita etiam Virgil. *Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) tres pateat cœli spatium non ampliùs ulnas. nimirùm in puteo.* Sed hæc Oratores non usurpant.

Quid est Adagium? R. Est dictum celebre, & scitâ quâdam novitate insigne, ut: *Cerebrum pertusum*, pro homine oblivioso: *Mali corvi, malum ovum*, id est, mali parentis malus filius.

ARTICULUS II.

Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole, Ironia.

Quid est Periphrasis seu circumlocutio? R. Est Tropus Poetis familiarior, quàm Oratoribus, in quo pluribus verbis dicitur id, quod paucioribus dici poterat. Quintil. *lib.* 8. *c* 6. *ad Heren. lib.* 4. ut: *Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris incipit, & dono divûm gratissima serpit*, pro, media erat nox. Periphrasis vitiosa est, quando minùs idonea est, aut nimis redundans: quare tum perissologia, id est, superflua loquacitas, dicitur.

Quid est Hyperbaton seu Transgressio? R. Est tropus, in quo perturbatur ordo verborum. ut, quibus de rebus mecum: orationem in duas divisam esse partes.

Quid est Hyperbole, latinè superjectio? Resp. Est tropus, in quo vel augendo, vel minuendo significamus id, quod non est absolutè verum:

 Augen-

Augendo quidem. ut, *fulminis ocyor alis*, pro celerrimus: minuendo verò. *vix ossibus hæret*, pro est admodum macilentus.

Debet tamen Hyperbole esse intra modum, aliquando etiam verbis mollienda. Ita Cic. post reditum in Senatu. omnes Metellos præstantissimos cives oratione Servilii pœnè ab Acheronte excitatos ait. Cæterùm insignis est illa ejusdem Ciceronis in Anton. Hyperbole. *Quæ Charybdis tam vorax, Charybdim dico, quæ si fuit, fuit animal vivum, Oceanus medius fidius vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus locis positas, absorbere potuisse.* Ex quo patet Hyperbolem adhiberi, vel ut aliquid augeatur, vel ut minuatur, vel ad laudem, vel ad vituperium.

Quid est Ironia? R. Est tropus qui aliter illusio vocatur, & contrarium indicat iis verbis, ex quibus conflatur. ut: O *militem*! ad significandum hominem ignavum. Sic, *ô præclarum custodem ovium* (*ut aiunt*) *lupum*!

Ironia maximè intelligitur ex pronuntiatione, quæ irrisionem sonat, & personâ, aut rei naturâ, verbis, quæ proferuntur, contraria.

CAPUT III.

De figuris verborum.

Quid est Figura? Resp. est conformatio quædam verborum ac sententiarum à communi ratione loquendi remota; differtque figura à Tropo, quòd figura constare possit ex propriis verbis; tropus verò non. Quintil. *lib* 9 *c*.1.

Quotuplex est figura? R. duplex; altera verborum, & altera sententiarum.

Quot sunt figuræ verborum? R. plures, fiuntque tribus præsertim modis: Quintil. *lib*. 9. *c*. 3. 1. per adjectionem. 2. Per detractionem. 3. per similitudinem. Octo figuræ fiunt per adjectionem: Repetitio, Conversio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Synonymia, Polysyndeton, Gradatio,

datio. Quinque fiunt per detractionem: Dissolutio, Adjunctio, Disjunctio, Synechdoche, Syneceosis. Octo fiunt per similitudinem vocum: Paronomasia seu annominatio, similiter cadens, similiter desinens, Isocolon seu compar, Antitheton seu contrapositum, Commutatio, Correctio, Dubitatio. Cic. *ad Heren lib.* 4.

ARTICULUS I.

Figuræ per adjectionem, Repetitio.

QVid est Repetitio? R. est figura, in qua ab eodem verbo sæpiùs incipit oratio. ut 1. Catil. *Nihilne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt?* & pro Quintil. n. 82. *quid hac amentia? quid hac festinatio? quid hæc maturitas tanta significat? non vim, non scelus, non latrocinium, non deniq; omnia potiùs, quàm jus, quàm officium, quàm pudorem?*

Conversio.

QVid est Conversio? R. Est figura repetitioni contraria, in qua sæpiùs eodem verbo finitur oratio. Cic. in Anton. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius.*

Item, *concordia de civitate sublata est, libertas sublata est, fides sublata est, Respublica sublata est.*

Complexio.

QVid est Complexio? R. est figura repetitione simul, & conversione constans, ut: *Qui sunt, qui fœdera ruperunt? Carthaginenses qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses. qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses* Cic. pro lege Agrar. *Quis legem tulit? Rullus. quis majorem populi partem suffragiis privavit? Rullus. quis comitiis præfuit? idem Rullus.* Hæc figura, uti præcedentes

duæ, habet vim urgendi, & motus concitandi; virtutem etiam, & vitium amplificandi.

Conduplicatio.

QUid est Conduplicatio? R. est ejusdem verbi, aut plurium geminatio, vel initio orationis. ut in Catil. *Vivis, & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam*: vel in fine. ut pro Marcello: *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vaginâ in urbe vacuum non vidimus.* Vel in medio: *etiam audes in horum conspectum venire proditor patriæ? proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conspectum?* vel aliquo interjecto. *ut, bona (miserum me! consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona Cn. Pompeii acerbissimæ voci subjecta præconis* vel totam sententiam repetendo. ut, *quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quemquam insimulare falsò) quid inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?*

Usurpatur conduplicatio vel ut oratio sit vehementior, vel ut sit suavior.

Traductio.

QUid est traductio? R. est ejusdem verbi casibus, aut generibus, aut modis, aut temporibus paulùm immutati repetitio. ut pro Arch. Poet. *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.* Et ad Heren. *Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. at erat inimicus: ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus.*

Synonymia.

QUid est Synonymia? Resp. est coacervatio multorum verborum idem significantium. Cicero. *Quæ cùm ita sint, Catilina, perge, quò cœpisti: patent portæ, proficiscere.* Et alio loco: *Abiit, excessit, erupit, evasit.* Et Philip. 2. *Tu illam domum ingredi ausus es? Tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os illud importunissimum ostendere.* Hæc figura amplificat.

Poly-

Polyfyndeton.

QUid eft Polyfyndeton? Resp. eft figura conjunctionibus abundans, ut, *juftitia, & fortitudine, & temperantia, & prudentia, & religione, & cæterarum virtutum laude floruit.*

Gradatio.

QUid eft Gradatio feu climax? Resp. eft figura, quæ non priùs ad confequens verbum defcendit, quàm aliquod præcedens repetat, & per illud quafi per gradum procedat. ut pro Rofc. Amer. *in urbe luxuries creatur, ex luxuria exiftat avaritia neceffe eft, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia fcelera ac maleficia gignuntur.* Et pro Milon. *neque verò fe populo folùm, fed etiam Senatui commifit; nec Senatui modò, fed publicis præfidiis & armis; neque his tantùm, fed etiam ejus poteftati, cui Senatus totam Remp. commifit.* Item pro Quint. *Si tibi quid, Nævi, debuiffet Quintius, periffet ftatim: fi non ftatim, paulò quidem poft; fi non paulò, at aliquando: fex quidem illis menfibus profectò, anno vertente fine controverfia.*

Hæc figura apertiorem habet artem magis & affectatam. ideoque effe rarior debet. ufurpatur tamen ad venuftatem, & ad vim addendam orationi.

ARTICULUS II.

Figuræ per Detractionem, Diffolutio.

QUid eft Diffolutio? Resp. eft figura, qua demptis conjunctionibus diffolutè plura dicuntur. ut, *fi in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata eft.* Et pro Arch. poet. *hæc ftudia adolefcentiam alunt, fenectutem oblectant; fecundas res ornant, adverfis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobifcum, peregrinantur, rufticantur.*

Apta eft, ut vides, hæc figura, non in fingulis modò verbis, fed fententiis etiam; habetque, uti polyfyndeton, acrimoniam & vim velut fæpiùs erumpentis affectus.

Adjunctio.

QUid est adjunctio? R. est figura, qua unum ad verbum, quod primum aut postremum collocatur, plures sententiæ referuntur, quarum unaquæque desideraret illud, si sola poneretur: ut, *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Item, *nec enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore avocarit.*

Disjunctio.

QUid est Disjunctio? Resp. est figura adjectioni opposita, quâ singulis brevibus sententiis singula subjiciuntur verba, cùm unum omnibus sufficere posset: ut pro Arch. *me autem quid pudeat, judices, qui tot annos ita vivo, ut à studiis nullo me unquam tempore aut commodum, aut otium abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.*

Synecdoche.

QUid est Synecdoche, in quantum figura est? Resp. est reticentia unius verbi, quod ex aliis facilè intelligitur. Ut, *vix è domo discesserat, mœrere servi, lugere filii, conjux misera lamentari*, (facilè subintelligitur cœpit vel cœperunt) Item, *sermo nullus nisi de te*, supple, factus est.

Synaceosis.

QUid est Synæceosis? Resp. est figura, quæ duas res diversas conjungit unico verbo, subaudito eodem, vel æquivalente in ea parte, in quâ non ponitur. ut, *tam deest avaro quod habet; quàm quod non habet*; supple, illi deest.

ARTICULUS III.

Figura per similitudinem, Paronomasia;

QUid est paronomasia seu annominatio? Resp. est figura, quâ paululùm immutata verba, atque deflexa in oratione

tione ponuntur. Sive paronomasia est, cùm voci vox alia penè similis dissimili sensu subjungitur, & mutatione litteræ quæritur venustas, quæ delectet aut pungat.

Hæc figura levis alioqui, sententiarum pondere implenda est, fit quatuor modis:

1. Adjectione litterarum, aut syllabarum. ut, *in calamitosa fama, quasi in perniciosa flamma. emit morte immortalitatem.*

2. Earum detractione. ut, *amore fecit, non more, non exigo ut immoriaris legationi, sed immorare.*

3. Earundem commutatione in compositis. ut, *oportet juvenilem impetum reprimi, non opprimi, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur.*

4. Translatione seu inversione unius litteræ vel in primis syllabis, vel in mediis, vel in extremis. ut, *parvo est animo, ne dicam pravo: oportet deligere quem velis diligere: ex aratore orator factus est. Ad lectum ad lethum &c.*

Similiter cadens.

QVid est similiter cadens? Resp. est figura, quâ in eosdem casus, nomina, & in eadem tempora cadunt verba; sive initio, seu in fine, aut medio. ut pro lege Manil. *ac primùm quanta innocentia debent esse imperatores? quanta inde omnibus in rebus temperantia? quanto ingenio? quanta humanitate?* Et pro Arch. poet. *Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?*

Similiter desinens.

QVid est similiter desinens? Resp. est figura, in quâ sive casus sint in verbis, sive non, similes tamen sunt exitus: unde patet hujus distinctio à priore. Cic in Verrem. *Cùm fana spoliarit, cùm tot homines innocentes morte, cruciatu, cruce affecerit, cùm prædonum duces accepta pecunia dimiserit.* Et pro lege Man. *Vt ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint.*

Compar.

Compar.

QUid est compar seu Isolocon? Resp. est figura, qua orationis membra constant ferè pari numero syllabarum, ut pro lege Manil. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque dispersum Cn. Pompeius extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.*

Item, *cum tristibus severè, cum remissis jucundè, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter.* Vel *hoc sentire prudentiæ est, facere fortitudinis; & sentire verò & facere perfectæ cumulatæque virtutis.*

Antitheton.

QUid est Antitheton seu contrapositum? Resp. est figura, quâ vel singula singulis opponuntur: ut, *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. cedam inermis armatis; innocens nocentibus, privatus furibundo magistratui.* vel bina binis opponuntur: ut, *non nostri ingenii, vestri auxilii est. Est hæc non scripta sed nata lex.* vel multa multis opponuntur: ut, *quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.*

Hæc figura delectat, sed sine affectatione; ut cùm in acres incidit sensus, innata videatur esse, non accersita.

Commutatio.

QUid est commutatio? Resp. est figura, qua duæ sententiæ inter se discrepantes ita afferuntur, ut à priore posterior contraria priori proficiscatur. ut, *non ut edam vivo, sed ut vivam edo.*

Item, *ut & sine invidiâ culpa plectatur, & sine culpa invidia ponatur. vivit Christianus ut aliquando moriturus, moritur ut semper victurus.*

De Correctione & Dubitatione agemus in sequenti capite.

CAPUT

CAPUT IV.

De Figuris Sententiarum.

HIc maximè elocutio sita est; igitur hæ figuræ accuratioribus exemplis illustrandæ sunt, quarum formâ mentes adolescentium imbuantur *Quintil. lib 9. c. 2.*

Quot sunt figuræ sententiarum? Resp. viginti quinque: Interrogatio, Responsio, Subjectio, Occupatio, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Prosopopœia, Apostrophe, Hypotyposis, Aposiopesis, Ethopeia, Emphasis, Sustentatio, Prætermissio, Licentia, Concessio, Interruptio, Ironia, Distributio, Permissio, Deprecatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio. Harum, ut videbimus, figurarum aliæ docent, aliæ delectant, aliæ flectunt. *Cic. Ad Heren. lib. 4.*

ARTICULUS I.

Interrogatio, Responsio.

QUid est Interrogatio? Resp. est figura, quæ rem dubiam non quærit, sed in laudationibus ac vituperiis, aliisque motibus exprimendis adhibetur.

Fit decem modis: 1. instando. ut, ***quousque tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ? patêre tua consilia non sentis?*** & totus denique hic locus. Quantò enim magis ardet, quàm si diceretur, diu abuteris patientia nostra, patent tua consilia. Sic Divinat. in Verrem. ***Tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere: tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potiùs, quàm abs te defensos esse malunt?*** 2 Interrogando de eo, quod negari non potest. ut, ***an dices hominem non esse à te interemptum, quem palam, & in ipsa civitatis luce occidisti?*** Cic. Verr. 7. num. 146. ***quid est Verres? quid ad hæc cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid horum dicere istis defensionibus tuis audes?*** 3. Quærendo de eo, cui respondere sit difficilè. ut, ***contumne***

ne pedites propè inermes mille cataphractis militibus obstitissent? quo tandem modo, quâ spe utilitatis? qua ratione prudentia? Cic. pro Plancio: num. 48. *quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? etiam atque etiam insto, atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen: quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium.*

4. Jocando & deridendo. ut pro Rosc. Amer. num. 54. *quid ergo affers, quare id factum putemus? verè nihil potes dicere. finge aliquid saltem commodè, ut non planè videaris id facere, quod apertè facis, hujus miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. exhæredare filium voluit? quam ob causam? nescio. exhæredavitne. non. quis prohibuit? cogitabat. cogitabat? cui dixit? nemini.*

5. Invidiam alicui accersendo. ut pro Cœlio Sextio. num. 17. *quid dicam, Consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores hujus imperii? proditores vestra dignitatis? hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendumque equestrem ordinem, extinguenda omnium jura, atque instituta majorum, se illis fascibus, cæterisque insignibus summi honoris, atque imperii ornatos esse arbitrantur?*

6. Miserationem excitando: ut Sinon apud Virgil. Æneid. 2. *Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt accipere!*

7. Admirationem movendo: ut idem Virgil. Æneid. 3. *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames!*

8. Indignationem concitando: ut, *jacet auctoritas mea perfidia artibus ac dolis afflicta, & me quispiam modo, ut ducem vereretur ac principem?* Sic rursus apud Virgil. Æneid. I. *Et quisquam numen Iunonis adoret præterea?*

9. Acriùs imperando. ut ille iterum Æneid. 4. *Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?*

10. Seipsum alloquendo. Æneid. 12. *quid agam, aut quæ jam satis ima dehiscat terra mihi?*

Ex quibus vides acerrimam esse hanc figuram, & summis oratoribus familiarem.

Quid est responsio? Resp. est figura, qua unum interroganti aliud, quod utilius est, respondetur, vel ad rem augendam. ut *rogatus testis, an ab reo vapulasset? & innocens,* inquit, vel ad rem minuendam. ut, *an hominem occidit? latronem, & parricidam.*

ARTI

ARTICULUS III.

Subjectio.

Quid est subjectio? Resp. est figura qua orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi; vel cùm alium interrogavit, non expectat ejus responsum, sed aliquid de suo addit. ut Cicero Philip. 2. num. 2. *quid putem? contemptumne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillimè ad me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimus civibus benè gesta Reip. testimonium multis, mihi uni conservata dedit. an decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est, quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? illud profectò est, non existimavit sui similibus existimari posse se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.* Et de Harusp Resp. num. 23. *tu meam domum religiosam facere potuisti? ecquâ mente? quâ invaseras. quâ manu? quâ disturbaras. quâ voce? quâ incendi jusseras. quâ lege? quam in illa quidem impunitate tuâ scripseras.*

Adverte perfectam illam esse subjectionem, quæ tribus constat: Propositione, Enumeratione seu remotione, Conclusione ut pro Rosc. Amer. num. 41. *rursum igitur eodem revertamur & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. at perspicuum est nullum fuisse. pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat? at is quidem fuit omnium constantissimus.* ergo *illud jam perspicuum est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit; neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse.*

Hæc figura plena est exornationis, usurpaturque ad amplificationem vel in laude, vel in vituperio, aut cum aliquid urgemus, suademus, aut dissuademus; denique cùm docemus, aut refellimus.

ARTICULUS III.

Occupatio seu Prolepsis.

QUid est occupatio seu prolepsis? Resp. Est figura, quâ id occupat orator, quod ab adversario potest objici, ut 7. Verr. num. 2. *quid agam, judices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni nomen imperatoris opponitur: video ubi se jacturus sit Hortensius belli pericula, tempora. Reipub. imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur à vobis, tum etiam pro suo jure contendet, ne patiamini talem imperatorem Siculorum testimoniis populo Rom. eripi, nevè obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ velitis.* Et pro Arch. poet. num. 15. *quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris prodita sunt, istâne doctrina quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus affirmare: Sed tamen est certum quid respondeam: ergo multos, &c.* Sic pro Rosc. Amer. *Quid ad istas ineptias abis, inquies? quasi verò mihi difficile sit quamvis multos nominatim proferre, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt.*

Hæc figura non tantum in refutationibns, & probationibus usurpatur, sed etiam in exordiis: ut pro Rosc. Amer. *Credo ego vos, judices, mirari, &c.* Et divinat. in Verrem. *Si quis vestrûm, aut eorum, qui adsunt, fortè miratur.*

ARTICULUS IV.

Correctio, Dubitatio.

QUid est correctio? Resp. est figura quæ dictam sententiam aliâ magis magis idoneâ corrigit: ut pro Dejot. num 16. *At Credo, hæc homo inconsultus, & temerarius non videbat, quis consideratior illo? quis tectior? quanquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio & prudentia, quàm fide & religione vita defendendum puto.*

Et in Catil. *quanquam quid loquar? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut illam fugam meditere? ut ullum tu exilium cogites: utinam tibi istam mentem Dii immortales donarent?*

donarent? tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in præsens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.

Alia est correctio verborum, quæ tollit verbum quod dictum est, & pro eo magis idoneum reponit, ut: *ego semper omni officio, aut potius pietate patrem colui:* vel, *sed stuporem hominis, ne dicam pecudis, attendite. In hac vita quos sumptus quotidianos? quas effusiones fieri putatis? quæ verò convivia? honesta credo in ejusmodi domo, si domus hæc habenda est, potiùs quàm officina nequitiæ, & diversorium flagitiorum omnium.*

Quid est dubitatio? Resp. est figura, in qua orator quærit, quid potissimum ex pluribus agere debeat, & singula quodammodo refellit. ut, *Quid agam judices? si taceo, existimabitis me reum; si loquor, mendacem esse putabitis.*

Cic. pro Quinctio. num 56. *Si ista causa abs te tota per summam fraudem & malitiam facta est, si vadimonium omnino tibi cum Quinctio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare; num malitiosum? non negas: fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas: audacem, cupidum, perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt; res autem nova & inaudita, &c.*

Et pro Cluentio. num. 4. *equidem quod ad me attinet, quò me vertam, nescio: negem fuisse illam infamiam judicii corrupti? negem. &c.*

Hæc figura usurpatur, cum ut res exaggeretur, suspensus auditorum animus teneri debet.

ARTICULUS V.

Communicatio.

Quid est Communicatio? Resp. est figura, quâ vel auditores, vel adversarios, vel judices ipsos consulimus, ut 2. in Verrem. num. 32. *nunc ego vos consulo quid mihi faciendum putetis; id enim consilii profectò taciti dabitis, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo.* Et pro Rabirio, num. 27. *Tu denique, Labiene, quid faceres*

tali in re, ac tempore? cùm ignavia ratio te in fugam atque in latebras compelleret: improbitas & furor Saturnini in Capitolium arcesceret: consules ad patriæ salutem, ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum velles? Præclara est communicationis forma pro Quinctio. num. 53. Sex. *Navi, eo tempore tu non modò aut C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipse quidem ad te retulisti, ne hac quidem tecum locutus es: hora duæ fuerunt. Quintius ad vadimonium non venit: quid ago? si me Hercule hac tecum duo verba fecisses: quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paululum, aliquid rationi & consilio loci dedisses.* Et paulò post. *Ego pro te hos consulo post tempus in aliena re, quos tu in tua re, cùm tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, &c.*

Valet communicatio, cùm causæ nostræ confidimus, & adversarium refellimus.

ARTICULUS VI.

Prosopopoeia.

Quid est Prosopopoeia? Resp. est loquentis personæ ficta inductio, hocque genus locutionis mortuis quasi sursum evocatis, & urbibus: formis etiam fictis, ut virtuti & voluptati, tribui potest.

Hæc figura non vulgarem eloquentiæ vim habet ad suadendum, objurgandum, laudandum, & miserandum. Cicero Milonem cum patria, & secum loquentem inducit ad commiserationem num. 94 *me quidem, judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assiduè, & quibus intersum quotidie: valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: sit hæc urbs præclara, &c.*

Illustris est etiam, & ad objurgandum potens illa defuncti Ap. Clodii oratio in Clodiæ impotentis fœminæ præposteram libidinem. Pro Cœl. num. 33 *Existat igitur ex ista familia aliquis, ac potissimùm cæcus ille, qui profectò si extiterit, sic aget & sic loquetur: mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur*

aut

aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares ; aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras, non patruum, non atavos audieras consules fuisse? Ad hortandum verò in Antonium: *quid si nunc ille Brutus reviviscat, & hic ante pedes nostros adsit, non hac uteretur oratione? ego Reges ejeci, vos Tyrannos introducitis? ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos partam servare non vultis? ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non vultis?* Venustè idem Cicero patriam conquerentem facit 1. Catil. num. 18. *quæ tecum, Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur: nullum jam tot annos facinus nisi per te, nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu, &c.* Posteà eandem secum colloquentem inducit. num. 27, *etenim si mecum patria, quæ mihi vitâ mea multò est carior, si cuncta Italia, si omnis Respub. loqueretur M. Tulli, quid agis? tune eum quem esse hostem comperisti? quem &c,*

Huc refertur 1. Deliberatio, cùm quis se consulit, quid agendum sit, ut eleganter Cicero 7. in Verrem. 103. *occurrebat illa ratio quid Cleomeni fiet? poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse jussi, missum facere eum, cui imperium, potestatemque permisi? poterone eos afficere supplicio, qui Cleomenem secuti sunt? ignoscere Cleomeni, qui eos fugere & se consequi jussit? pereat Cleomenes una, ubi fides? ubi execrationes? ubi dextra, complexusque? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur, Cleomenem vocat. &c.*

2. Sermocinatio, cùm apta cuique personæ affingitur oratio, ut si de puero loquentes pueri sermonem effingamus; Item si senem, mulierem, servum, Regem loquentem faciamus: quod in rerum gestarum narratione, in historiâ, & poemate, dum singula exprimere volumus, fieri consuevit. Vide passim exempla apud Poetas, præsertim Virgilium, Senecam, Terentium, Plautum, apud Historicos. &c.

3. Dialogismus seu personarum collocutio frequens apud Ciceronem, insigniter eadem 7. in Verrem. num. 109. *alter parens erat demisſus clarius & nobilis, qui quia Cleomenem in defendendo filio læserat, nudus penè est destitutus. Quid erat autem quod quisquam diceret aut defenderet! Cleomenem nominare non licet, at causa cogit, morie-*

re, si appellaris: nunquam enim iste est cuiquam mediocriter minatus, at remiges non erant. Pratorem tu accusas? frange cervicem.

Et pro Quinctio.num.71. *de re pecuniaria cupio contendere, non licet, at ea controversia est, nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet: accusa, ubi ita necesse est, non, inquit, nisi tu antè novo modo priore loco dixeris. Dicendum necessariò est, prastituenda hora ad arbitrium nostrum, judex ipse arcessetur, quid tum? tu aliquem patronum invenies &c.*

Denique paulò infrà. num. 77. *Diffidebam me Hercule, C. Aquili, & cogitabam &c Tum mihi Roscius, & alia multa confirmandi mei causa dixit: verumtamen quid si*, inquit, *habes ejusmodi causam, ut hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse, qui possit biduo, ad summum triduo septuaginta millia passuum ambulare; tamen ne vereris hac contra Hortensium contendere? minimè, inquam. Sed quid id ad rem? nimirum, in eo causa consistit, quomodo? decet me ejusmodi rem, & factum, &c.*

ARTICULUS VII.

Apostrophe.

QUid est Apostrophe? Resp. est conversio orationis ad aliquem, aut Deum, aut hominem; aut verò etiam ad res animatas, quas uti personas quasdam compellamus. Gravis est & vehemens figura ad invadendum adversarium, ad vituperationes, laudes, commiserationes, cohortationes, admirationes, indignationes. Cic pro domo sua: ad Deos se convertit vituperando Clodium num. 104. *O Dii immortales! vos enim hac audire cupio P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat?* vide insignem ad Deos Apostropham, quos læsit Verres, ultima Verrina in peroratione.

1. Catilin. num. 1. indignatur & increpat, *quousque tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet?* Et in Pison. num. 1. *Iam ne vides bellua, jam ne sentis qua sit hominum querela frontis tua &c*

Pro Sextio cohortatur. num. 101. *hac imitamini per Deos immor-*

immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaritis. Hæc ampla, sunt hæc divina, hæc immortalia.

Philip. 14. commendat milites in funebri laudatione. num. 32. *Vos verò patria natos judico, quorum etiam nomen à Marte est, ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur, in fuga fœda mors, in victoria gloriosa, illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnam parricidii luent. Vos verò, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti.*

Pro domo sua commiseretur. num. 193. *ô Q. Catule! patremne appellem, an filium? recentior, &c.* Pro Balbo ad amplificationem & commiserationem res mutas, & anima carentes alloquitur, ipsisque sensum tribuit num. 13. *vos muta regiones imploro, & sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulæ, littoraque; quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo non exstent hujus cum fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia?* Item pro Milon. num. 86. *vos enim Albani tumuli, atque Lucii implore &c.* Denique Verrin. 7. num. 170. *Si hæc non ad cives Rom, non ad aliquos amicos nostræ civitatis, non ad eos, qui populi Rom. nomen audissent, denique si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam ut longiùs progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa, & scopulos hæc conqueri, & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta tamque indigna rerum atrocitate commoverentur.*

ARTICULUS VIII.

Hypotyposis.

QUid est Hypotyposis? Resp. Est rerum gestarum talis expressio, ut ad huc geri, & ante oculos esse videantur. 1. Usurpatur ad motus concitandos, ut Philip. 11: Num. 67. *Ponite vobis ante oculos miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam; nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, cùm miser ille prius latronum gladios videret, quàm quæ res esset, cognovisset. &c.*

2 In narrationibus, ut Verrin. 7. num. 105. *Hæc posteaquàm acta & constituta sunt, procedit iste repentè de prætorio*

torio inflammatus scelere & furere, crudelitate in forum venit, navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, suspicarentur nihil, statim accurrunt, ille hominibus miseris innocentibusque injici catenas imperat, implorare illi fidem populi Rom. & quare id faceret rogare, tum iste hoc causa dicit, quod classem prædonibus prodidissent. fit clamor, & admiratio populi, tantam esse in homine impudentiam, &c. Cic. pro Rosc. Amer. *etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda aut conjectura capienda est? nonne hæc quæ audistis cernere oculis videmini? Iudices, non illum miserum, ignarum casus sui redeuntem à cœna videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? non versatur ante oculos vobis in cæde Glaucia?*

3. In notandis personarum gestibus, ut item pro Rosc. Amer. num. 60. *Erucius peroravit aliquando, assedit: surrexi ego, respirare visus est, quòd non alius potius diceret, cœpi dicere, usque eò animadverti eum jocari, atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi, quem simul atque attigi, statim homo se arrexit, mirari visus est; intellexi quid eum pupugisset, iterum ac tertiò nominavi, &c.*

Nec solùm quæ facta sunt, aut fiunt, sed etiam quæ futura sunt Hypotyposis exprimit.

Mirè tractat hæc Cicero pro Milone. num. 33. quæ facturus fuisset Clodius, si præturam invasisset. *An verò vos. judices, soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? &c.*

Hæc translatio temporum erit verecundior, si hujusmodi formulas dicendi præmittamus; *credite vos intueri, hæc quæ non vidistis oculis, animis cernere potestis.* Ita Cic. 4. Catil. num. 11. *videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium, versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestrâ cæde bacchantis.*

ARTICULUS IX

Aposiopesis.

QUid est aposiopesis, quam Cicero reticentiam, nonnulli interruptionem vocant? Resp. Est figura quâ sermonem

monem abrumpendo sententiæ partem supprimimus, ut affectum significemus, vel iræ, ut apud Virgil. lib. 1. Æneid *quos ego, sed motos præstat componere fluctus*: vel audaciæ, ut Æneid. 9 *ecquis erit mecum juvenis, qui primus in hostem?* vel pudoris, ut Ecloga 3. *parcius ista viris tamen objicienda memento: novimus & qui te, transversa tuentibus hircis, & quo, sed faciles nymphæ risere, sacello*: vel modestæ ambitionis, ut 5. Æneid. *non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo (quanquam ó) sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti: extremos pudeat rediisse*, vel commotionis gravioris, aut minarum, ut Cic. Epist. ad Attic. *Est hic quidem timoris causa, illa verò, sed stomachari desinamus.*

Denique etiam gravitatis causa: nam graviora putantur quæ latent, aut reticentur.

ARTICULUS X.

Ethopoeia.

QUid est Ethopoeia? Est imitatio vitæ, ac morum alienorum. Valetque hæc figura ad motus præsertim odii concitandos. Ita Cicero Rullum truculentius se gerentem describit 2. Agraria num, 22. *jam designatus consul alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto ac horrido, capillatior quàm ante, barbaque majore, ut oculis & aspectu denunciare vim tribunitiam, & minitari Reip. videretur.* Et post reditum in Senatu mollem & effœminatum Gabinium depingit *primùm processit, quà authoritate vir? vini, somni plenus; madenti coma, composito capillitio, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressâ voce & temulentâ, &c.*

Pulchra est item Ethopoeia Gabinii & Pisonis, num. 17. Pro Sextio, *quorum si nondum scelera vulneraque inusta Reipub. vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini, faciliùs facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis. Alter unguentis affluens, calamistrata coma, contemnebat Equites Rom. minitabatur Senatui, venditabat se operis, atque ab iis se recepisse prædicabat. Alter, ô dii boni! quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aspectu? unum aliquem te ex barbatis,* exem-

exemplum imperii veteris imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri, &c.

Habet hæc figura ſimilitudinem cùm Hypotypoſi, ſed in eo differt quòd Hypotypoſis res quælibet, quaſi gererentur in oculis, imitetur ac deſcribat; Ethopæia perſonas tantùm.

ARTICULUS XI.

Emphaſis, Suſtentatio.

QUid eſt Emphaſis? Reſp. eſt cùm ex aliquo dicto latens aliquod eruitur, vel ut Cicero definit, eſt figura, quâ plus ſignificat orator, quàm dicat, ut, *Matho lecticâ ipſo plenâ vehebatur*, intelligitur enim Mathonem craſſiſſimum fuiſſe, qui lecticam impleret. & Virgil de Cyclope: *jacuitque per antrum immenſum*, ubi prodigioſam illam corporis magnitudinem à loci ſpatio intelligimus.

Quid eſt ſuſtentatio? Reſp. eſt figura quâ diu ſuſpenduntur auditorum animi, atq; aliquid deinde inexpectatum ſubjungitur, ut 7. in Verrem. *ergo ejus juſſu iſti homines comprehenſi, quid deinde? quid cenſetis? furtum. fortaſſe aut prædam expectatis al quam?* (tum multis interjectis) *etiamnum mihi expectare videmini, judices, expectate facinus, quàm vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium*, (tandem cùm diu ſuſpendiſſet animos, ſubjecit) *quod multò improbiùs eſt, illi nomine ſceleris conjurationis damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inſpectantibus occiſi ſunt.* Eadem in Verrem. num. 58. *Itaque Verres Archipiratam hunc optimè, tutiſſimaque cuſtodia non audet committere, denique Syracuſas totas timet: amandat hominem, quò? Lilybæum fortaſſe, video, tamen homines maritimos non planè reformidat, minimè, judices Panormum igitur? audiò, quanquam Syracuſis, quoniam in Syracuſano captus erat, maximè ſi minus ſupplicio affici, at cuſtodiri oportebat, ne Panormum quidem. quid igitur? quò putatis? ad homines à piratarum metu, & ſuſpicione alienos*

Elegans eſt hæc ſuſtentatio, cùm dubitationem adjunctam habet uſurpaturque præcipuè in narrationibus ad rem exaggerandam. & pro attentione.

ARTICULUS XII.

Præteritio.

QUid est Præteritio seu prætermissio? Resp. est figura, quâ dicimus nos præterire aut nolle dicere, quod maximè dicimus, ut Cic. 1. in Rullum num. 21. *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ, atque damni: prætermitto illa, quæ nemo est quin gravissimè & verissimè conqueri possit, non dico, &c. prætermitto hanc omnem orationem, & concioni reservo. de periculo salutis, ac libertate loquor.* Et pro lege Manil. *Sinite me hoc loco (sicut Poetæ solent) præterire nostram calamitatem, quæ tanta fuit, ut eam ad aures Luculli non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferet.*

Usurpatur hæc figura. 1. In transitionibus. 2. In exaggerandis rebus. 3. In objurgationibus. Denique cùm aliquid quod dicimus indecorum est: ut sæpè apud Ciceronem, Philip. 2. num. 47 *Sed jam stupra & flagitia omittam, sunt quædam, quæ honestè non possum dicere, tu autem eò liberior, quòd ea in te admisisti, quæ à verecundo inimico audire non posses.* In vat num. 11. *At illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere: licèt impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris, habeat hæc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate & sordibus tuis obtegatur.*

Sic in Pison. *Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte & supercilio, non pudore & temperantia contegebat.*

ARTICULUS XIII.

Licentia.

QVid est Licentia? Resp. est orationis libertas atque fiducia, liberiùs affectum mentis exprimens.

Usurpatur 1. cùm apud eos, quos vereri aut metuere debet Orator, tamen aliquid pro suo jure dicit, quod eos minimè offendat, ut pro Ligar. *Vide, quàm non reformidem: vide quanta lux libertatis, & sapientia tuæ mihi apud te dicendi oboriatur: quantum potero, voce contendam, ut hoc populus*

Rom. exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nullâ vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant suscepta contra te.

2. Valet ad comminandum: ut pro Sylla num. 47. *Fero ego te, Torquate, & jam dudum fero, &c.*

3. Valet ad fiduciam ostendendam. ut 1. in Rullum. num. 23. *Errastis, Rulle, vehementer & tu, & nonnulli Collegæ tui, qui sperastis vos contra Consulem veritate, non ostentatione popularem posse in evertenda Repub. populares existimari. lacesso vos, in concionem voco, populo Rom. disceptatore uti volo.*

4. Valet ad insultandum adversario. ut pro domo sua, num. 99. *Quare disrumpatur licet ista furia: atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit, bis servavi, ut Consul togatus armatos vicerim, privatus Consulibus armatis cesserim.*

5. Valet ad commonendum. ut insigniter Philip. 10 num. 19. *Postremò (erumpat enim aliquando vera & me digna vox) si veteranorum milites hujus ordinis gubernantur, omniaque ad eorum voluntatem dicta, factaque nostra referuntur, optanda mors est, quæ civibus Rom. semper fuit servitute potior.*

ARTICULUS XIV.

Concessio.

QVid est Concessio? Resp. est figura, quâ videmur etiam aliquid iniquum vel pati, vel adversario concedere, fiduciæ causâ, ut: *Verres sit fur, sit adulter, sit sacrilegus: at est bonus Imperator, & felix, & ad dubia Reipub. tempora reservandus.* Pro Roscio Amerin. num. 73. *Esto parricidii causam proferre non potes. tametsi statim vicisse debeo: tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit, quæro quomodo occiderit.* Et pro Quinctio. num. 56 *Non dubitavi inquit, cùm vadimonium desertum esset, bona proscribere improbe: verùm, quoniam tu id tibi arrogas & concedi postulas, concedamus.*

Hæc figura non parùm habet jucunditatis, cùm Ironiæ juncta est, ut Verr. 5. *Noli isto modo agere cum Verre, noli ejus facta ad antiquam religionis rationem exquirere: concedo, ut impunè emerit, modò bona ratione emerit, nihil ab invito, nihil*

per

per injuriam.sic agam,&c. vel cùm aliquid imminuit Orator, ut quæ deindè dicturus est, graviora videantur. ut eadem Verr. *Levia sunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum,&c.*

Acris est hæc ironica Concessio in Anton. *Sed sit beneficium quod me non occideris,quando accipi majus à latrone non potuit.*

Interdum concessio fit, quasi per dissimulationem, & est artificiosa quædam probatio ut: *Perfrica frontem , & dic te digniorem qui prætor fieres,quàm Catonem.* Terent. *Tibi si istus placet,profundat,perdat,pereat,nihil ad me attinet.* Virgil. de Didone ad Æneam. *I,sequere Italiam ventis, pete regna per undas.*

Cæterùm Concessio frequenter exprimitur particulis, esto, sit ita. fac,&c.

ARTICULUS XV.

Parenthesis, Ironia, Permissio.

QUid est Parenthesis seu interruptio? Resp. est brevis declinatio à proposito: nam longior illa digressio, de qua lib. 1. egimus, non est figura. Virgil. *Varre tuum nomen,superet,modò Mantua nobis (Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ) cantantes sublimè ferent ad Sydera cygni.* Cic. *Videte, judices, qualem (nolo enim graviore appellatione uti) accusatorem in medium adduxerit.* Adhibetur Parenthesis ad rem magis explicandam, & ad rationem breviter subjiciendam.

Quid est Ironia? Resp. est fictio totius voluntatis , quâ sentitur aliud & innuitur, quàm dicitur; ut pro Ligar. *Novum crimen,C.Cæsar, & ante hunc diem inauditum! &c.* Seriò loqui videtur,ubi Tuberonem deridet. Sic exordium 7. In Verrem ironicum est, præsertim num. 3. *Non possum dissimulare, judices, timeo ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari,omnia quæ fecit, impunè fecerit: venit enim mihi in mentem,&c.*

Et n 25. *Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam, defensionemque provinciæ, summa illuc pertinet, ut sciatis , quoniam plura genera sunt Imperatorum , ex quo genere iste sit. ne diutiùs in tanta penuria virorum fortium*

f.rtium talem Imperatorem ignorare possitis: non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui posteà fuit, singulare consilium, neque ad Pauli rationem ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atq; virtutem, sed ad aliud genus Imperatorum esse referendum, sanéque diligenter retinendum, & conservandum quaeso cognoscite. In hac oratione passim, & in toto Cicerone sunt ironiæ, & joci: videtur enim ad ejusmodi esse Cicero, ut ait Quintilianus, affectatior.

Hæc figura differt ab Ironia, quæ tropus est, quòd tropus brevior sit & apertior.

Quid est Permissio? Resp. est figura Concessioni affinis, cùm vel nobis, vel judicibus, vel auditoribus confidimus, nec quidquam mali vereri nos ostendimus. ut: *Sed ego jam, judices, summum ac legitimum causæ meæ jus omitto, vobis quod æquissimum videatur, ut constituatis, permitto: non enim vereor, quin etiamsi novum sit vobis instituendum, libenter id quod postulo propter utilitatem communis consuetudinis sequamini.*

ARTICULUS XVI.

Distributio.

QVid est Distributio? Resp. est figura, quâ aliquid in plures partes distribuitur, quarum unicuique ratio deinde sua subjungitur ut: *Alexandro Macedoni neq; in deliberando consilium, neq; in præliando virtus, neq; in beneficio benignitas deerat: nam cùm aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus; cùm autem confligendum esset cum hostibus, fortissimus; cùm verò præmium dignis tribuendum, liberalissimus.* Cic. in Pison. num 64. *Age, Senatus odit te (quod eum tu facere jure concedis) afflictorem & proditorem non modò dignitatis & auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui: videre equites Rom. non possunt, quo ex ordine vir præstantissimus Lælius te Consule relegatus: plebs Rom. perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones, & per servos de me egeras, contulisti: Italia cuncta execratur, cujus idem tu superbissimè decreta & preces repudiasti.*

Hæc figura valet in amplificationibus: ita Cæsaris clementiam exornat. Cic pro Marcel. num. 7. *At verò hujus gloria*

gloria, Cæsar, quam es paulò antè adeptus, socium habes neminem. totum hoc, quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum, nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur. Item quàm elegans est hæc ejusdem Ciceronis? *quid tam commune, quàm spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut non alluantur; ita postremò ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.*

ARTICULUS XVII.

Deprecatio, Execratio, Epiphonema.

QVid est Deprecatio seu obsecratio, vel obtestatio? Resp. est figura, quâ opem alicujus vehementer imploramus, ut pro Dejot. num 8. *Quamobrem hoc nos primum metu, C. Cæsar, per fidem & constantiam, & clementiam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. per dexteram te istam oro, quam regi Dejot. hospes hospiti porrexisti, istam, inquam, non tam in bellis, & in præliis, quàm in promissis & fide firmiorem,* Et pro Milon. num. 93. *Quid restat, nisi ut orem, obtesterque vos, judices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat: ego autem repugnante hoc, & imploro, & exposco. nolite, &c.*

Quid est Execratio? R. est figura, quâ malum alicui imprecamur. ut pro Dejot. *Dii te perdant fugitive, ita non modò nequam, & improbus, sed fatuus & amens es!* Et Philip. 6. num. 12. *Igitur est patronus Antonius? malam quidem illi pestem. clamori enim vestro assentior: non modò hic latro, quem Clientem nemo habere velit.* Item Philip. 13. num. 48. *Quin tu abis in malam pestem, malumque cruciatum? ad te quisquam venias? &c.*

Quid est Epiphonema? Resp. est rei narratæ vel probatæ summa acclamatio. ut Virgil. *Tanta molis erat, Romanam condere gentem.*

Cic. *Hoc sentire prudentiæ est, facere fortitudinis; & sentire verò & facere perfecta cumulataque virtutis.*

Hæc

Hæc figura eſt veluti corollarium, ut ajunt, quod quæ admirationem habent, complectitur Ita Cic. *Facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm turpiter perpeti maluit.*

ARTICULUS XVIII.

Exclamatio.

QUid eſt Exclamatio? R. eſt figura, in qua ſignificamus aliquem affectum rei cujuslibet compellatione, ſoletque poſt rem aliquam inſignem multis amplificatam & probatam adhiberi, vel ad indignationem. ut in Catil. *O tempora! ô mores! Senatus hoc intelligit, Conſul videt: hic tamen vivit?* Et pro Cœl. num. 59. *Prô Dii immortales! cur interdùm in hominum ſceleribus maximis aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis?* Vel ad miſericordiam, ut pro Sylla num. 91. *O miſerum & infelicem illum diem, quo Conſul omnibus centuriis P. Sylla renuntiatus eſt! ô falſam ſpem! &c.* vel iracundiam. *O peſtis! ô labes! ô tenebra! ô lutum! ô ſordes! ô portentum in ultimas terras deportandum!* vel admirationem. ut pro Ligar. num. 6. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisq; decorandam!*

CAPUT V.

De ſuavitate Elocutionis.

SUavitas eſt altera virtus Elocutionis, ut jam diximus, ipſaque conſiſtit in oratorio numero, & Periodo, cujus partes ſunt inciſa & membra.

ARTICULUS I.

Numerus oratorius.

QUis eſt auctor oratorii numeri, ſeu numeroſæ orationis? R. dicitur fuiſſe Thraſymachus quidam, cujus tamen nimis numeroſa ſunt ſcripta.

Iſo-

Isocrates ita rem temperavit, ut multi eum hujus concinnitatis faciant authorem.

Aristoteles versum in oratione vetat esse, numerum requirit: de quo Theophrastus accuratiùs præcipit, diligentissimè Cicero.

Cur numerosa oratio inventa est? R. quia aures, aut potiùs animus aurium judicio naturalem quandam in se continet vocum omnium dimensionem. Cic. *de Orat.* 3. Vnde breviora & longiora judicant aures, moderata expectant, mutila & quasi decurtata, ac immoderatiùs excurrentia sentiunt, quibus offenduntur. Vt ergo in re poetica versus inventus est terminatione aurium, & observatione prudentium: sic etiam in oratione notatum est (quæ notatio peperit artem) certos esse concursus, conclusionesque verborum, quæ aptam, & concinnam, & suavem redderent orationem.

Quid cavendum in numero oratorio? R. ne versus efficiatur: Arist *l. 3. c.* 8. nam, quamvis oratio numerosè cadere debeat, nullus est tamen certus in ea numerus, sicut in versu v. g. heroico sunt dactyli & spondei. unde omnis nec claudicans, nec fluctuans, sed æqualiter constanterque ingrediens, numerosa habetur oratio: nam numerosum putatur, non quod totum constat è numeris, sed quod ad numeros proximè accedit.

ARTICULUS II.

Pedes oratorii numeri.

QUi sunt pedes oratorii numeri? R. Cicero censet omnes esse posse, & in oratione permisceri: sed Creticum, Dochimum, Dichoream, & Pæonas cæteris anteponit Cic. *de Orat.*

In qua parte orationis debet esse numerus pedum? R. in tota oratione, non solùm in fine, ut quidam putant: licèt aures finem maximè exspectent.

Quinam pedes initium orationis decent? R. 1. Creticus. ut: *Neminem vestrum ignorare arbitror.*

2. Pæon prior, ut: *At beneficio sum usus tuo.*

3. Bacchius, ut: *Vehebatur in essedo.*

4. Dichoreus, ut: *Non enim potest natura.*

5. Dactylus & Anapæstus.

Quinam pedes medium orationis decent? R. maximè Pæon

pri-

Pæon primus, & quartus. ut: *Vincat aliquando cupiditas.* Vel, *potuit hac aliquando insi ere.*

Quinam pedes finem orationis decent? 1. Creticus, & Dichoreus. ut: *Cum exercitu & victoria conferatis,*

2. Creticus duplex, ut: *In communionem tuorum temporum tulit.*

3. Creticus triplex, ut: *Perpeti turpiter maluit.*

4. Creticus & Dactylus, ut: *Moribus conjonet.*

5. Tribrachis & spondeus, ut: *Esse videatur.* vel, *jucunditasq; sapienti.*

6. Jambus & dispondeus, ut: *Ejus gloriam per tales viros infringendam.*

7. Denique dochimus, qui pes omnium præclarissimus est, ut: *Miror te, Antoni, quorum facta imiteris, eorum exitus non perhorrescere.*

Sed in his observationibus minuta est omnis diligentia.

ARTICULUS III.

Periodus.

QVid est Periodus? Resp. est ambitus seu rotunda orationis circumscriptio, ita membris & incisis constans, ut & plenam sententiã & conclusionem referat. Quintil. *lib* 9 *c.* 4. Itaque periodicè dicere est, cùm ab initio ad finem usque, quasi in orbem inclusa fertur oratio; donec consistat in perfecto absolutoque singularum sententiarum sensu. v. G. *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui optimo cuique semper maximè patuit, non mea me voluntas, sed vita mea rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt.*

Quot sunt periodorum species? Resp variæ pro multitudine partium, quibus constant: etenim quæ duo membra continent, bimembres dicuntur, suntque brevissimæ. ut 1. de orat. *Quid tam est admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus naturâ sit datum, aut solus, aut cum paucis possit facere?* Item *tibi verò, frater, neque hortanti deero, neq; roganti: nam neq; auctoritate quisquam apud me plùs valere te potest, neq; voluntate.*

Perio-

Periodus alia trimembris, quæ tria membra habet, ut pro Quintio: *Etenim si veritate, amicitia, si fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est iste, qui amicum, socium, affinem fama & fortunis spoliare conatus est, vanum se, & perfidiosum, & impium esse fateatur.*

Quadrimembris periodus est omnium præstantissima, quia aures implet, neque brevior est, aut longior: est enim quadrata simul & rotunda: quadrata quidem, quòd quatuor contineatur membris, quæ veluti quadrum conficiunt: rotunda verò, quòd quasi orbis rotundissimus in se recurrat, hoc est, ita constructa sit, ut duo ultima membra duobus primis ex æquo respondeant, possintque vicissim ultima in locum primorum poni, salvo ipsius periodi sensu, v. g. *si quantum in agro locisque desertis latronum insania valet, tantum in foro improborum hominum posset audacia: careret ille propemodum excusatione temeritatis, qui bona & fortunas innocentium hic tueri aggrederetur.*

Quando utimur periodis? Resp. quando res copiosa est, & amplificanda, vel quando genus dicendi suave ac temperatum tractamus, uti in genere demonstrativo.

Quid cavendum in periodis? Resp. ne puerili verborum, & inani numerorum sono periodi compleantur: vel ne sæpè in eadem oratione simili modo desinant ad nauseam, variare enim oportet periodos.

Postremò licet optima periodi vis sit quatuor membrorum, potest tamen ille numerus augeri & excrescere ad sex septémve, aut nonnunquam (raro licet) ad plures.

ARTICULUS IV.

Membrum Periodi.

QUid est membrum? Resp. est sensus quidam utcumque perfectus, sed tamen suspensus, & ex reliquo periodi corpore dependens, ut: *Etsi vereor, judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere, incipientem timere, &c.* Manca est oratio, & suspensa dum absolvatur periodus.

Quibus constat membrum? Resp. incisis & commatibus: nam sicut membrum est pars periodi, ita incisum est pars membri: id adeò intellige, cùm membrum in periodo includitur, aut incisum in membro: nam aliquando divelluntur,

uthæc separata sunt incisa, *falli, decipi, errare, veni, vidi, vici.*

Quid est membratim dicere? Resp. est, cùm in singulis membris insistit oratio, neque est in periodum illigata. v. g. pro Milone. *Itaque quando illius postea sica illa, quam à Catilina acceperat, conquievit? hac intentata vobis est, huic ego vos objici pro me non sum passus, hac insidiata Pompejo est, hac ipsam Appiam viam monumentum sui nominis nece Papyrii, cruentavit.*

Observa subinde optimè misceri membra cum incisis. ut pro Arch. *Hac studia adolescentiam alunt*, &c. *pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Valet membratim dicere ad refellendum, & ad invehendum, maximéque ad narrandum.

ARTICULUS V.

Incisum.

QVid est Incisum? Resp est sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri. ut: *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas*: ubi incisa sunt quatuor. Fiunt & singulis verbis incisa, ut: *Venit, vidit, vicit.*

Quid est incisim dicere? Resp. est, cùm in singulis incisis insistit oratio. ut in Catilin. *Tenentur litteræ, signa, manus, denique uniuscujusq; confessio.* In Pison. *O scelus! ô pestis! ô labes*, Post redit. in Senat. *Sine sapore, elinguis, tardus, inhumanus, domi quàm libidinosus? quàm impurus? quàm intemperatus?*

Quando utimur hoc genere dicendi? Resp, quando arguimus, refellimus, deridemus, contendimus.

ARTICULUS VI.

Varium dicendi genus præter numerosum.

QVot sunt præter numerosum, dicendi genera, in quibus Orator debet excellere? Resp. tria: Vnum subtile, acutum, & tenue: Alterum vehemens, copiosum, & grave: Terti-

Tertium mediocre,& quasi ex utroque temperatum. Cic. *de Orat.* Quintil. *lib.* 12.*c.*10.

Cùm enim tria sunt Oratoris officia: docere, movere, delectare; primum dicendi genus in narrando & probando; secundum in movendo; tertium in delectando versatur.

In primo autem genere poni debent acutæ crebræque sententiæ,ornamenta etiam verborum, cum tropis, verecundè tamen,parcéque adhibitis. Tertium aliquanto uberius est,quàm primum, sed non tam amplum, quàm secundum: nam in hoc genere, licèt verborum ac sententiarum ornamenta liberiora sint, tamen nervorum vel minimum est,suavitatis autem plurimum. De hoc dicendi genere ita loquitur Quintil. *Medius hic modus, & translationibus crebrior,& figuris erit jucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen ut amnis lucidus quidam,& virentibus utrimque sylvis inumbratus.* In secundo vis est maxima,amplificationes summæ, & figuræ, & affectus.

His tribus generibus utetur Orator, ut res exiget vel parva,vel mediocris,vel magna: nam parva submissè, mediocria temperatè,magna graviter dicenda sunt. Characterem tenuem, ac subtilem vide in orationibus pro Quinctio, pro Flacco,& pro Plancio. Vehementê stylum 1. Verrin. In Catilin.in Anton.in Pison,&c. Temperatum & mediocrem pro lege Manil.pro Marcel.pro Archia, &c.

LIBER QVARTVS

DE

Quarta parte Rhetoricæ,

Seu de

Memoria.

MEmoria (eloquentiæ thesaurus) est firma orationis perceptio; estque duplex: Altera naturalis, quæ naturâ; Altera artificialis, quæ artificio comparatur. Cic. *de Orat.* 3.

CAPVT VNICVM.

De usu Memoriæ.

Quænam tradi possunt de memoriæ artificio præcepta? Resp. Memoriæ artificium esse laboriosum & inutile multis, dum ea, quæ animo perceperunt, affigunt locis & imaginibus, ordineque ac intervallis distinguunt.

Quomodo memoria utendum, quàm à natura hausimus? Resp. oportet 1. Illam studiosè exercere ab ineunte ætate. 2. Nunquam nimia rerum multitudine obruere. 3. In iis, quæ memoriæ mandamus, judicio uti potissimùm ad seriem eorum, atque junctionem advertendam, ut animo citiùs, & tenacius hæreant.

4. Cùm aliquid longius est, illud per partes, & quidem scripto distinctas ediscere, 5.No-

5. Nocturnam quietem adhibere, hoc est, proximè vesperi ante cubitum, tum, manè corpore ad quietem composito mandata repetere. Quintil. *lib.11.c.2.*

LIBER QVINTVS

DE

Quinta parte Rhetoricæ, seu de *Pronuntiatione.*

Non parva est ad eloquentiam necessitas pronuntiationis, quia sine illa summi Oratores sæpè in mediocribus, & infimis habentur; cùm illa mediocres summorum sæpè laudem & efficaciam obtinent: est enim pronuntiatio seu actio quasi corporis quædam eloquentia, quam natura præstat, & diligentia auget, magni momenti ad persuadendum. Quintil. *lib.11. c.3.*

CAPVT VNICVM.

De partibus Pronuntiationis.

Quot habet partes Pronuntiatio? Resp. duas; vocem, quæ aures movet; & gestum, qui oculos: per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus.

ARTICULUS I.

Pars prima Pronuntiationis, seu vox.

QUænam in voce necessaria sunt? Resp. 1. debet esse sonora & nitida. 2. Articulata (ne extremæ syllabæ absorbeantur) legitimisque interpunctionibus distincta. 3. Cavenda est cantillatio, & clamor ultra vires, spiritumque. 4. Pro varietate rerum variè inflectenda est, ut ad iracundiam provocandam, acuta sit, & incitata, & crebrò incidens; ad miserationem, & mœrorem flexibilis; ad metum, demissa, hæsitans, & abjecta; ad voluptatem effusa, hilaris, & tenera; ad vim, contenta, vehemens, imminens quadam concitatione gravitatis. Ad molestiam, gravis, & pressa; item in precibus lenis & submissa; in suasionibus, monitionibus, pollicitationibus, & consolationibus, gravis; in hortando, fortis; in exponendo, recta, & æquabilis. Quintil. *lib.11.c.3.*

Denique nihil ita gratiam præbet, ac renovat attentionem, dicentem etiam elevat, movetque auditorem, ac crebra vocis varietas & mutatio, non modò in diversis rebus, sed etiam in iisdem partibus, iisdemque affectibus. Cæterùm in exordiis, utimur ferè voci tranquilliori; in narratione, clara & aperta; in confirmatione, acriori; in epilogo, excitata.

ARTICULUS II.

Pars secunda Pronuntiationis, seu gestus.

QUid est gestus? Resp. est oris totiusque corporis motus & conformatio. Quintil. *lib.11.c.3.*

Quid in gestu cavendum? Resp. ne quid in eo superfluum, aut nimis delicatum, aut affectatum sit, sed motus animi rectè exprimat: varietas item, & mutatio in gestu, uti in voce, sæpè adhibenda est.

Quid de totius corporis motu præcipiendum? Resp. ut ipsius corporis status sit erectus, virilis, ac gravis laterum inflexio; oculis, capite, & humeris sensim obsecundantibus, nam Cicero corporis & laterum motu rebus consentiente plus agi putat, quàm ipsis manibus.

Quid in oris conformatione observandum? R. in ore maximè gestus consistit, in quo est dominatus oculorum (nam

omnis

omnis actio est animi, imago autem animi est vultus, indices oculi) orator oculorum remissione, & conjectu, & hilaritate, varios animi motus significabit, efficietque.

Igitur vultus, & aspectus nunc severus sit, nunc blandus, nunc alacer, & erectus, nunc tristis & submissus, pro rerum diversitate, uti de voce diximus: maximè verò gestum oculus sequatur.

Quid de capitis, colli, humerorum, pedum, & brachiorum motu sentiendum? R. capitis frequens motus in vitio est: non tamen dedecet aliqua ido vel annuendo confirmare, vel renuendo negare: vel capitis in latus inclinatione languorem, & aversione indignationem, aut alio simili motu dubitationem, admirationem, & ejusmodi affectus significare.

Collum neque contractum esse debet, neque tensum, neque rigidum. Humeros dedecet jactare, vel attollere, vel contrahere

Pedum supplosio non nisi in contentionibus aut incipiendis aut finiendis adhibenda est.

Brachia ne deorsum incomposita pendeant, dexterum liberiùs proferre licet; sed contrahimus, cùm remissè agimus, in contentionibus verò porrigimus.

Quid de gestu manuum, in quibus magna est actio? Resp. Hæc in sua Rhetorica Vallesius: manus, nisi in summis affectibus, capitis altitudinem non excedent. Numeri vel digitis, vel motu manus à læva in dexteram partem per locorum modica intervalla distinguentur. Supplicamus manibus elatis, & junctis, vel humiliter remissis, adversamur caput in sinistram, manusque sublatas in dexteram partem detorquentes.

Negamus manum dextram aversam in latus dexterum removentes. Interrogamus eandem conversam sublevando.

Urgemus crebra manuum impressione: contraria distinguimus modò in dextram, modò in sinistram partem manus transferendo

Confirmamus manibus pronis, gravi quodam ac decente motu depressis, vel in medio complosis. Timemus iisdem sublatis, palpitantibus, ac ipsum corpus appetentibus. Irascimur manu in pugnum collecta, cum suggestus percussione. Pœnitudinem ostendimus manibus in crucis modum ante pectus compositis, vultu mœsto, capite

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM RHETORICÆ.

CAPUT UNICUM

De apparatu, seu de iis, quæ universim ad artem Rhetoricam pertinent.

Articulus I. Natura & finis Rhetorica. pag. 1
Articulus II. Materia Rhetorica. 4
Articulus III. Subsidia Rhetorica. 5
Articulus IV. Partes Rhetorica. 6

LIBER PRIMUS.

De prima parte Rhetoricæ seu de Inventione. 8
CAP. I. De argumentis. ibid.
Articulus I. Definitio, 9
Articulus II. Notatio, Conjugata. 11
Articulus III Enumeratio partium. 12
Articulus IV. Genus, Forma. 13
Articulus V. Similitudo, Dissimilitudo, 14
Articulus VI. Comparatio. 16
Articulus VII. Repugnantia. 18
Articulus VIII Adjuncta. 19
Articulus IX Antecedentia, Consequentia. 29
Articulus X. Causa. 30
Articulus XI. Effecta. 34
Articulus XII. Loci extrinseci. 36
Articulus XIII Usus locorum. 39
Articulus XIV. Modus variandi Argumenti. 40
CAP. II. De argumentatione. 42
Articulus I. Syllogismus seu Ratiocinatio. 43
Articulus II Enthymema. 44
Articulus III. Collectio. 45

Articulus IV. Sorites. ibid.
Articulus V. Dilemma. 46
Articulus VI. Epicherema. 47
Articulus VII. Inductio. ibid.
Articulus VIII. Argumentationum usus ac venustas. 48
Articulus IX. Transitio. 49
Articulus X. Digressio. 52
Articulus XI. Modus variandæ Argumentationis. 53
CAP. III. De amplificatione. 54
Articulus I. Amplificatio verborum. 55
Articulus II. Amplificatio rerum per congeriem. 56
Articulus III. Amplificatio rerum per incrementum. 59
Articulus IV. Amplificatio rerum per ratiocinationem. 60
Articulus V. Amplificatio rerum per Comparationem. ibid.
Articulus VI. Vsus Amplificationis & quomodo differat ab argumentatione. 61
Articulus VII. Modus variandæ amplificationis. 62
CAP. IV. De Affectibus. 67
Articulus I. Amor. ibid.
Articulus II. Desiderium. 69
Articulus III. Odium, Fuga. 71
Articulus IV. Ira, mansuetudo. 72
Articulus V. Commiseratio. 73
Articulus VI. Indignatio. 75
Articulus VII. Invidia, 76
Articulus VIII. Spes, Confidentia, Desperatio. 77
Articulus IX. Timor, 78
Articulus X. Gaudium. 79
Articulus XI Æmulatio. 80
Articulus XII Pudor. 81
Articulus XIII. Vsus affectuum. 82
Articulus XIV. Causa affectuum. 83
Articulus XV. Inventio affectuum 83
Articulus XVI. Modus variandorum affectuum. 84
CAP. V. De Inventione in particulari. 88
Articulus I. De iis quæ speciatim pertinent ad Inventionem in genere demonstrativo. ibid.
Articulus II De iis quæ speciatim pertinent ad inventionem in genere deliberativo. 90
Articulus III. De iis quæ speciatim pertinent ad inventionem in genere Iudiciali. 91

LIBER

LIBER SECUNDUS

De secunda parte Rhetoricæ seu de Dispositione. 93
CAP. I. De Exordio. 94
Articulus I. Quomodo in exordio legitimo reddatur auditor benevolus, attentus, & docilis. 95
Articulus II. Exordii vitia & virtutes. 96
Articulus III. Exordii insinuatio. 96
Articulus IV. Exordii artificium. 100
CAP. II. De narratione. 102
Articulus I. Narrationis virtutes. 103
Articulus II. Narrationis figura. 104
CAP. III. De Contentione. 105
Articulus I. Propositio. 106
Articulus II. Confirmatio. 106
Articulus III. Confutatio. ibid.
CAP. IV. De Peroratione. 110
CAP. V. De artificio componendæ orationis. 111

LIBER TERTIUS.

De tertia parte Rhetoricæ seu de Elocutione. 113
CAP. I. De Tropis in uno verbo. 114
Articulus I. Metaphora. ibid.
Articulus II. Synecdoche. 116
Articulus III. Metonymia. ibid.
Articulus IV. Antonomasia. 117
Articulus V. Onomatopoeia, Catachresis, Metalepsis. ibid.
CAP. II. De Tropis in pluribus verbis seu in oratione. 118
Articulus I. Allegoria. ibid.
Articulus II. Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole, Ironia. 119
CAP. III. De Figuris verborum. 120
Articulus I. Figuræ per adjectionem. 121
Articulus II. Figuræ per detractionem. 123
Articulus III. Figura per similitudinem. 124
CAP. IV. De Figuris sententiarum. 127
Articulus I. Interrogatio, Responsio. ibid.
Articulus II. Subjectio. 129
Articulus III. Occupatio, seu prolepsis. 130
Articulus IV. Correctio, Dubitatio. ibid.
Articulus V. Communicatio. 131

Arti-

Articulus VI. Prosopopoeia. 132
Articulus VII. Apostrophe. 134
Articulus VIII. Hypotyposis. 135
Articulus IX. Aposiopesis. 136
Articulus X. Ethopoeia. 137
Articulus XI. Emphasis, Sustentatio. 138
Articulus XII. Præteritio. 139
Articulus XIII. Licentia. ibid.
Articulus XIV. Concessio. 140
Articulus XV. Parenthesis, Ironia, Permissio. 141
Articulus XVI. Distributio. 142
Articulus XVII. Deprecatio, Execratio, Epiphonema. 143
Articulus XVII. Exclamatio. 144
CAP. V. De suavitate Elocutionis. ibid.
Articulus I. Oratorius numerus. ibid.
Articulus II. Pedes oratorii numeri. 145
Articulus III. Periodus. 146
Articulus IV. Membrum periodi. 147
Articulus V. Incisum. 148
Articulus VI. Varium dicendi genus præter numerosum. ibid.

LIBER QUARTUS.

De quarta parte Rhetoricæ seu memoria. 150
CAPUT UNICUM De usu memoriæ. ibid.

LIBER QUINTUS.

De quinta parte Rhetoricæ seu Pronuntiatione. 151
CAPUT UNICUM De partibus Pronuntiationis. ibid.
Articulus I. Prima pars pronuntiationis seu vox. 152
Articulus II. Secunda pars pronuntiationis seu gestus. 152

ARS CICERONIANA:

SIVE

ANALYSIS RHETORICA OMNIUM ORATIONUM M. T. CICERONIS.

Conſtat argumentis, tabulis, commentario, & annotationibus.

Adjectus eſt Index Locorum, Argumentationum, Affectuum, Amplificationum, Figurarum, Confutationum, Narrationum Rhetoricæ.

Opus apprimè utile eloquentiæ, ac præſertim Ciceronianæ ſtudioſis.

Authore

R. P. MARTINO DV CYGNE,

Audomarenſi Societatis JESU.

Anno 1670.

Impenſis Viduæ JOANNIS WIDENFELT.

Cum Privilegio Sac. Cæſ. Majeſt.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ILLVSTRISSIMO ADOLESCENTI,

ERNESTO ALEXANDRO DOMINICO COMITI DE BEAUMONT,

Excellentissimi Principis Chimacensis Filio,

MARTINVS DV CYGNE E Societate IESV

S.

QVoniam, ERNESTE, tua ætas informari debet ad perfectam Principis ideam; id partim à me alijsque Moderatoribus, partim à parentibus conferendum intelligo. Nam pietatem, prudentiam, & militarem virtutem (siquidem his tribus constat illa Principis forma) in Schola,

 domi,

domi, foris addiſces. Ac primùm quod ad me pertinet, donari te oportet præceptis, inſtitutiſque Rhetoricæ, quæ eſt pars magna prudentiæ; idcirco meas tibi Analyſes inſcribo; quaſi certò proſpiciam tum Oratorum Principem tibi magis ac magis prudenti placiturum, cùm his lucubrationibus operam dederis. Habes enim excellens & peracre judicium, quale eſt nobilium Principum; quod ſi celeriter perficit ars, atque induſtria, quid non ſapienter aſſequare? Huc accedit innata magnæ menti cupiditas diſcendi, & ſtudium ipſius Rhetoricæ, in qua præſtare, & commendari multò nobiliſſimum exiſtimas. Hoc adeo audis quotidie ex utroque Parente, qui tantâ curâ te litteris applicat, perinde ſi hæc eſſent ſola incunabula iſtius prudentiæ civilis, qua te abſolutiſſimum eſſe Principem cupit. Eris igitur tu, ERNESTE, procul dubio prudens Orator: cum nec Parens, nec ipſa natura, nec artis explanatio, nec tu ipſe tibi dees. Nam exempla militaris virtutis ſunt domi perampla; atque in Patre tuo, & in Majoribus cernes, quidquid gloriæ poteſt comparari. Quamobrem diſces tu quidem ab his Ducibus belli ſcientiam, auctoritatem, fortunam. Spectabis in alto regendarum Provinciarum theatro (ad quod illos non eblanditus Regum favor, ſed enu-

cleatum judicium delegit, propria virtus evexit, communis amor civium depoposcit) spectabis, inquam, fortes ac vigilantes viros: spectabis Gubernatores vel timente, vel admirante hoste, gloriante Hispania, Aula nihil invidente, plaudente Belgio, acclamante ad felicitatem Patria. Non hîc prædico cæteras Majorum virtutes huic militari socias: nec commemoro singularem, & omnibus perspectam humanitatem tui Parentis; comes, benignos, faciles, suaves mores; in composito ac bene formato corpore domicilium integræ virtutis. Hæc in te effinge, ERNESTE, & huic te similem exhibe: sic generosum pectus, sic mites, & sine fastu oculos, sic liberalem vultum gere, ut una sub imagine vivat parens in filio. Quanquam tertia restat virtus perfecti, cumulatiq; Principis, nempe pietas, quam antè, primam numeravi. Atque hac te virtute imbues non in Schola modò, sed iterum etiam domi, & exemplo Parentum. Quis nescit quanta est horum justitia adversus Deum? religio quidē pijssimæ Matris tuæ tanta, ut assiduitas quotidiana, & consuetudo cultus divini, sacra librorum lectio puræ vitæ æquabilitas & constantia toti Belgio nota sit. Quanta deinde horum fides erga Regem? quis amor in patriā? quàm diligens

& studiosa charitas tui, ENESTE? quàm lenis & misericors dominatus in suos? nullum usquam ipsi pietatis officium prætermittunt, ut suo te exemplo pietatem edoceant. Quæ cùm ita sint, vide etiam atque etiam quæ sit in te indoles perficiendæ virtutis: contemplare vel nunc provincias, quibus præficiaris: cognosce mores, studia, nationes: capesse prima Regni munia, quæ prudenter administres: simul antè, Oratores expende, ut olim non minus diserta, quàm magnifica legatione Europæos Reges alloquare. Si (quod avertat Deus) bellum intervertet pacem: at tu nec imperitus, nec impiger magnos exercitus duces: obversabitur oculis virtus Parentum: acceptas illis victorias referes: tuis illi triumphis augebuntur, & tu illorum: communis erit utrisque laus & gloria, longè posteris communicanda. Denique seu pace, seu bello ita pietatem coles in Deum, in Regem, in Parentes, in tuos, ut, cum sis unicus filius, hoc est, magna spes, magnum incrementum, magnum columen magnæ Domus, diu in te pietate, civili, & militari prudentia absoluto Principe uterque Parens, & Belgium acquiescat. Opto, Voveo. Vale. Luxemburgi, Die festo Apostoli Japoniæ. Anno salutis M.DC.LX.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

SEx, mi Lector, animadverte: 1. componendæ orationis artificium esse repetendum ex præceptis nostræ Rhetoricæ lib. 2. capite 5. 2. Multa, quæ ad eruditionem pertinent, aut ad ipsam orationum materiam, prætermitti; ut artificium Rhetoricæ seu Analysis tradi brevius possit. 3. Cuilibet orationi præponi Argumentum, & Synopsim; ipsis etiam partibus Annotationes subiici, non ad putidam repetitionem (nam existimo in his semper novi aliquid afferri vel ad contextum, vel ad artificium) sed ad ipsam intelligentiam Adolescentum, quibus præcipuè scribimus. 4. Etsi nonnullorum est opinio, multas Ciceronis orationes aut non constare ex arte, aut in iis dissimulari artem maximè: verum hoc esse quidem; sed illud non esse: nam excellens Orator Cicero nunquam sine arte dixit; ut nec Citharœdus potest sine arte ludere. Atque si hanc artem nos eruimus, & unam eandemque in singulis o-

rationibus esse demonstramus, quis istorum non imminuet opinionẽ suam? 5. Argumentationes minores; & argumenta alia ex aliis detecta non hîc retexi; quæ plurimi tanquam nodos in scirpto quærunt, quando operosè pleraque revocant ad syllogismos. 6. Hanc Analysim esse utilem juventuti, ad imitandum præsertim Ciceronem, in eodem vel dispari argumento scribendi. Numeris verò passim in Cicerone appositis usi sumus, ad facilem ac distinctam explanationem. 7. Non sine utilitate, credo, appositum indicem præcipuorum locorum, Argumentationum, Affectuum, Figurarum, Confutationum, Narrationum, Rhetoricæ.

ANA-

ANALYSIS RHETORICA ORATIONVM M. T. CICERONIS.

Volumen I.

PRO P. QVINCTIO

Argumentum, Quæstio, Stylus.

SEX. Nævius, vir, ut describit Cicero, addictus quæstui, societatem init primùm cum Cajo Quinctio, deinde cum Publio fratris mortui hærede. Cùm ex ista societate non parum controversiæ esset, quòd sibi Nævius deberi diceret; datum est utrimque vadimonium: verùm cùm vadimonia sæpiùs dilata fuissent, atque semel ex urbe nihil cogitans exisset Quinctius, derepentè per fraudem vadimonium præstat Nævius, postulatque à Prætore bona P. Quinctii absentis ac vadimonium deserentis possidere ex edicto. Quod iniquè factum queritur Cicero; contenditq; P. Quinctium non modò vadimonium suum non deseruisse, sed per procuratorem etiam Alphenum stitisse: quare nec illius bona jure unquam possessa, nec proscripta fuisse.

Status seu quæstio est in genere judiciali: an Sex. Nævius possederit bona P. Quinctii ex edicto Prætoris.

Dicendi character est subtilis: persæpè tamen figuris & amplificationibus luxuriat, & quasi juvenili Ciceronis (nati 26. annos) ubertate affluit.

SYNOP-

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS,

1. ARGUMENTATIONIS.

1. Nævio nihil debuisse Quinctius ostenditur testimonio ipsius Nævii, qui cum vir esset avarus, audax, crudelis, haberetque locum & tempus appellandi; tamen biennio nullum debitum petiit, nunc subitò Quinctii jugulum petit.

2. Etiamsi Quinctius vadimonium deseruisset, non continuò debuit Nævius proscribere bona sui socii, affinis, amici. Nam ejusmodi proscriptio est acerbior ipsa bonorum, & famæ, & vitæ jactura. Deinde boni viri, ac majores non nisi consideratè, & ex necessitate, bona aliorum, etiam inimicissimorum, proscripserunt. Quinctius autem vadimonium suum non deseruit: quia Romæ non fuit, quando factum est. Igitur improbus est Nævius, & temerarius, & avarus.

2. ARGUMENTATIONIS.

Quinctium non fuisse edicto Prætoris comprehensum, adjuncta ac verba edicti, declarant: Quinctius enim non latuit, solum non vertit, habuit hæredem, absens fuit à procuratore defensus; propterea etiam ipsius bona non venierunt, neque ea ullus creditorum præter improbum Nævium voluit emere.

3. ARGUMENTATIONIS.

Triduo sexcenta passuum millia confici à nuntio quis credat? ante edictum artem prætoris dejicere falsò Quinctium est improbum.

PERORATIO.

1. Recensentur argumenta prius allata.
2. Perficitur affectus tum commiserationis à persona Quinctii; tum odii à persona Nævii.

EXORDIUM.

IN exordio queritur Cicero fieri ab adversariis injuriam P. Quinctio: cujus injuriæ causas affert quatuor: 1. est, gratia Nævii apud principes civitatis, quâ ille abutitur contra solitudinem atque inopiam P. Quinctii. 2. est summa eloquentia Hortensii contra mediocrem Ciceronis facultatem. Has priores causas affert Orator distributione, & comparatione dissimilium. *Num.* 1. *Quæ res.* 3. causa injuriæ est, absentia M. Iunii, qui jam diu hanc causam paratus erat defendere; ipse Cicero minus est paratus propter angustias temporis. Hanc causam amplificat apostrophâ ad C. Aquilium, ejusque assessores: ut contra vim, & gratiam tueantur veritatem causæ P. Quinctii *Num.* 3 *illud quoque.* Addit & prolepsim quâ judicis benevolentiam captat timido Quinctio contra potentes adversarios. *Num.* 5. *non eo dico.* 4. causa est, iniquitas prætoris, qui Ciceronem Quinctii defensorem cogit priore loco dicere: Quam causam adjunctis personarum Hortensii, & Nævii, & Prætoris Dolabellæ, cæterorumque nobilium per allegoriam exornat. *Num.* 8. *Nam quid.* Concludit exordium brevi repetitione causarum injuriæ, & iterum obtestando Judices. *Num.* 10. *cùm tot tantisque.*

ANNOTATIO.

Cicero insinuatione benevolentiam captat à sua, & adversariorum, & Clientis Quinctii, & Iudicum persona. Deinde statim exordio jacit prima semina affectuum commiserationis in Quinctium, & odii in Nævium, cæterosq; adversarios: qui affectus reliquâ oratione assurgunt.

NARRATIO.

EXordio subjungitur brevi transitione hæc narratio: 1. C. Quinctius non satis consideratè societatem fecit cum Sex Nævio, quem facetè Cicero scurram, & ab adolescentia quæstui addictum describit. *Num.* 11. *id quò faciliùs.* 2. Cajo Quinctio mortuo, Nævius societatem iniit cum P. Quinctio, sui fratris hærede, nullâ factâ mentione debiti. *Num.* 14. *cùm annos.* 3. fraudulenter idem Nævius dissuasit P.Quin-

P. Quinctio, ne auctionaretur Narbone in Gallia, pollicitus ipsi pecunias, simul atque Romæ fuisset, ut P. Scapulæ solveret. *Num.* 15. *cum æris alieni.* 4. Falsus fuit Romæ Quinctius à mendace Nævio. *Num* 18. *hac omnia.* 5. Destitutus Quinctius, auctionatus est Narbone, absens, & deteriore conditione; moxque inter Nævium & Quinctium visa controversia, datum est utrimque vadimonium. *Num.* 20. *destitutione illa* Vadimoniis sæpè dilatis, cùm ab urbe profectus esset Quinctius, illicò ex insidiis vadimonium sistit Nævius, petitque bona absentis Quinctii, & vadimonium non reddentis possidere, & proscribere ex edicto Burieni Prætoris. Fit hic parva digressio (& antè attentionis renovatio) in perfidiam atque avaritiam Nævii. *Num.* 22. *cùm vadimonia sæpè.* 8. absentem Quinctium defendit Sex. Alphenus procurator. *Num* 27. *libellos.* 9. contra & jus & fas Quinctius dejectus est è prædio, confugitque ad C. Flaccum. *Num.* 28. *hac dum Roma.* 10. Recusante Alpheno satisdare, & postea Quinctio vadimonium sistente, distulit iterum per fraudem, & procrastinavit Nævius: tum anno post & sex mensibus iniquè coactus est à Dolabella P. Quinctius satisdare, aut sponsionem facere. *Num.* 29. *Alphenus.* 11. denique perturbatus Quinctius elegit sponsionem facere, Judice C. Aquilio, etiam breviter, ut lubet Hortensio horâ præfixâ, & priore loco dicere. De qua injuria rursus queritur Cicero apostrophâ ad Judices, & ad Hortensium; cui certos orationis limites pollicetur. *Num.* 32. *conturbatus sanè.*

ANNOTATIO.

Facit hac narratio ad docilitatem causæ, atque fundamentum stabiliendæ posteà fidei: fit probabilis maximè ab adjunctis: fit suavis præsertim facetiis in Nævium; habetque insertos quosdam motus, sed breves.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Propositio contentionis est hæc: Sex. Nævius bona P. Quinctii non possedit ex edicto Prætoris. *Num.* 36. *negamus.*

Argu-

Argumenta quibus propositio nititur, seu in quæ oratio distribuitur, sunt hæc tria: 1. Quia causa non fuit, cur Sex. Nævius à prætore postularet, ut bona Quinctii possideret 2. quia ex edicto possidere non potuit. 3. Quia non possedit. *Ibid. ostendam.*

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRimum argumentum, *causa non fuit, cur Sex. Nævius à Pretore postularet, ut bona P. Quinctii possideret,* tractatur hoc enthymemate: Nævio nihil debuit Quinctius, neq; vadimonium deseruit. Ergo non fuit causa, cur Sex. Nævius à Prætore postularet, ut bona P. Quinctii possideret.

Antecedentis pars prima, *Nævio nihil debuit Quinctius,* apostrophâ & repetitione, & concessione urgetur à testimonio ipsius Nævii, qui annum & diutius nihil petiit à Quinctio. *Num 37. non fuit.* Deinde comparatione majorum amplificatur. *Num 38. quis tam dissolutus.* Tum confirmatur triplici ironicâ prolepsi; quarum 1. est hæc: quasi verò Sex. Nævius non ausus sit tamdiu debitum petere, ne molestus esset P. Quinctio, quem nunc cupit interficere. Hanc prolepsim allegoria, & gradatio, & prior comparatio exornant. *Num. 39. huic tu molestus.* Altera prolepsis est hæc: quasi verò Nævius non habuerit vel locum, vel tempus appellandi. Hæc prolepsis brevi subjectione absolvitur. *Num. 41. appellandi.* Tertia est, quam dilemma stringit: quasi verò Nævius sit negligens in petendis debitis, aut certè liberalis in remittendis. *Ibid restat ut.*

Urgetur magis eadem pars antecedentis à causa finali, seu consilio Nævii, qui non tam debitum & pecunias, quàm vitam P. Quintii & sanguinem appetit, longa biennii & copiosa hominum potentum & disertorum advocatione. Quod Orator interrogatione, dialogismo, concessione, & subjectione effert. *Num 42. quod si hoc ipsum.* Digressus Cicero apostrophâ, Judicem Aquilium, & dialogismo actorem Hortensium avocat ab hoc judicio, quod iniquè & molestè fit, non de debito & pecuniis, sed de vita & capite P. Quinctii. *Num. 44. quid à nobis.* Concludit rursum parvâ quâdam anacephaleosi, Nævium non pecuniam, sed jugulum P. Quinctii

ctii petere: & hoc prosopopeiâ Nævii amplificat Orator; seque in fidem Judicis insinuat *Num.* 46. *inveniri ratio.*

Antecedentis pars 2. *Quinctius vadimonium non deseruit*, ratiocinatione quinquepartitâ expolita est.

Major propositio est hæc: etiamsi Quinctius vadimonium deseruisset, non tamen oportuit continuò Nævium ire ad extrema jura, & inimicissima, contra affinem, & socium, & amicum: hoc est, non oportuit ejus bona proscribere. *Num* 48 *quid si debuisset.*

Probatio majoris propositionis amplificatur conglobatione effectorum, & comparatione majorum; quòd ejusmodi proscriptio sit acerbior ipsâ bonorum, & famæ, & vitæ jactura. *Num.* 49. *nam quid homini.* Amplificatur 2. dissimili majorum, & bonorum hominum, qui non nisi ex necessitate, & considerate bona aliorum, etiam inimicissimorum proscripserunt: Nævius temerè & illicò bona sui socii, & affinis, & amici vendit. *Num.* 51. *itaque majores.* Atque hoc præposterum & perversum facinus iterum amplificat pulchrâ subjectione. *Num* 52. *ad vadimonium non*, Prætereà amplificat duplici communicatione, & prosopopeiâ. *Num.* 53. *si de prædiis* Postremò item alterâ prosopopeiâ, ethopeiâ, & concessione conflat Nævio odium. *Num.* 55. *quid ad hæc Nævius.*

Minor propositio seu assumptio est hæc: Atqui Quinctius vadimonium non deseruit; quæ pars subjectione, sustentatione, & odiosa dubitatione ornatur. *Num.* 56. *quid si nunquam.*

Probatio assumptionis est: quia Quinctius Romæ non fuit, quo die dicit Nævius esse vadimonium factum, idque plures parati sunt testari. *Num.* 57. *ais esse.*

Complexio argumentationis exprimitur indignatione & querimoniâ, P. Quinctium inferiorem opibus, non veritate causæ, aut vitæ rusticæ integritate, opprimi à potentiore & iniquiore Nævio. *Num.* 59. *est in hac causa.*

Secundum argumentum, *Nævius non potuit bona Quinctii possidere ex edicto Prætoris*, factâ anacephaleosi, aperit hoc enthymema: Quinctius non fuit edicto Prætoris comprehensus: igitur Nævius non potuit bona Quinctii possidere ex edicto Prætoris *Num.* 60. *docui quod primum.*

Antecedens patet ex adjunctis & verbis edicti. Nam Quinctius non latuit, solum non vertit, habuit hæredem, absens fuit à Procuratore defensus, *Ibid. attende nunc.* Quinctium verò

absentem fuisse ostenditur triplici Alpheni procuratoris officio, qui 1. proscriptionis libellos dejecit. *Num. 61. qui locus igitur.* 2. Vadimonium pro Quinctio absente optimus vir, atque idem procurator Nævii, promisit. Adverte hic subjectionem, & dialogismum. *Ibid. videamus.* 3. Tribunos appellavit. Ad quam appellationem muniendam triplex prolepsis accedit: 1. Alphenum sic appellasse, ut judicium non recusarit. Estque parva digressio in Hortensium. *Num. 63. postulabam inquit.* 2. Sic auditum esse à tribunis Alphenum, ut M. Brutus intercesserit, promiseritque Alphenus P. Quinctium, ubi rediisset, ad vadimonium sistere. *Num. 65. at enim.* 3. Nævio sic fuisse tunc parem concertationem cum Alpheno, sicuti nunc est Quinctio cum ipso Nævio. *Num. 68. quid affertur.* Hæc ultima prolepsis habet venustam dissimilium comparationem: nam Alphenus cum Nævio, & inter se amici utriusque comparantur per dialogismum. *Num. 69. erat, inquit.* Deinde Quinctii causa, solitudo, & inopia cum iniqua postulatione Nævii, & potentissima adversariorum actione, & injuriâ confertur, altero elegante dialogismo. *Num. 71. quod si tum.*

Consequens enthymematis, *Igitur Nævius non potuit bona Quinctii possidere ex edicto Prætoris*, paucis subjicitur. *Num. 73. quare aut doceas.* Mox amplificatur à consequentibus, quòd bona Quinctii non venierint, & quòd ea bona nullus creditorum, præter improbum Nævium, voluerit emere: proptereà quod omnes judicarent P. Quinctium non esse isto Prætoris edicto comprehensum. *Ibid. etenim si ex edicto.*

Tertium argumentum, *Nævius bona Quinctii non possedit*, ingreditur Cicero illustri dialogismo. *Num. 77. diffidebam.* Deinde sic agit dilemmate: si Nævius bona P. Quinctii possedit ex edicto Prætoris, aut triduo sexcenta millia passuum confecit nuntius, ut de saltu dejiceretur Quinctius; quod est incredibile: aut nuntius à Nævio missus est ante edictum; quod est improbum.

Primam dilemmatis partem petitione attentionis, & dialogismo excutit Cicero, subjectâ exclamatione ironicâ, & parvâ digressione in Hortensium. *Num. 79. quod abs te.*

Secundam partem, & rursus totum dilemma incisim urget duplici subjectione, & repetitione. *Num. 81. antequam.* Tum apostrophâ ad Judices arguit improbitatem Nævii, qui

ante,

ante edictum, & contra edictum, & per vim, fundis suis miserum Quinctium dejecit. *Num.* 84. *omnia sunt.*

ANNOTATIO.

1. *Propositio contentionis quàm est aperta! quàm brevis, & quàm perspicua distributio, tria membra seu præcipua argumenta complectens!*

2. *Quantus nervus, & quanta varietas argumentationum? nam primum argumentum enthymemate & ratiocinatione Orator explicat; secundum altero enthymemate tractat; tertium dilemmate urget, eoq; adversarium conficit.*

3. *In singulis argumentationum partibus, quàm graves sunt rerum amplificationes, præsertim locorum congerie! quàm ornatæ verborum amplificationes, præsertim figuris sententiarum! quot digressiones, quando occasio!*

4. *Affectus misericordiæ in P. Quinctium, & odii in Sex. Nævium, temperati quidem & inchoati in exordio, & narratione, quomodo in contentione assurgunt! nam 1. argumentatione avaritiam Nævii Cicero convincit, irridetq; : mox ejus improbitatem in appetenda vita P. Quinctii graviter insimulat. 2. Argumentatione avidam bonorum proscriptionem P. Quinctii vehementiùs accusat. Demùm 3. Argumentatione seu dilemmate acerrimè perstringit improbitatem Nævii, ut conflato tandem ipsi odio, misericordiam Quinctio majorem faciat in peroratione, ut mox videbimus.*

PERORATIO.

HÆc peroratio habet duas partes, enumerationem, & affectum: enumeratio recenset argumenta priùs allata. *Num.* 86. *ostendi quàm multa.* Affectus est misericordiæ erga P. Quinctium; movetque hunc affectum Cicero 1. insinuatione, quâ Judicis fidem, bonitatem, & æquitatem captat à persona P. Quinctii senis, & inopis contra adversarios crudeles & opulentos. *Num.* 91. *nunc causa perorata est.* 2. Dissimili comparatione Quinctii & Nævii, per concessionem. *Num.* 93. *non comparat se.* 3. Patheticâ petitione vitæ & libertatis P. Quinctii, cum exclamatione & gradatione.

Num.94. quid ergo est. 4. Propositâ calamitate P. Quinctii, & eius demissione, oppositâque crudelitate & superbia Nævii. *Num.96. omnia circumspexis.* 5. Iteratâ Judicis obtestatione. *Num.99 itaque te hoc.*

ANNOTATIO.

De hac peroratione breviter dicendum omnia per orationem sparsa hic colligi, & præcipuè affectus, post recensita argumenta. Nam ad motum vehementiorem Orator prosopopeiâ, deprecatione, comparatione dissimilium, inducit Quinctium afflictum atque obtestantem Iudices à persona & vita sua innocentissima, contra adversarium virum potentem, & voluptuarium, & iniquum. Itaq; ut scribit Gellius liberato Quinctio fructum suæ eloquentiæ tulit Cicero.

PRO SEX. ROSC. AMERINO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Occiso Romæ Sex. Roscio cùm noctu rediret à cœna: accusatus est parricidii hic Sex. Roscius. Crimen affingebant duo Roscii, sicarii; accusabat Erutius, accusator ineptus: hunc & illos fovebat Chrysogonus, vir potens apud nobiles, & avarus qui proscripta iniquè Sex. Roscii bona emerat. Igitur his adversariis brevi oppressus Sex. Roscius vir rusticus, fortunisq; eversus fuisset, nisi Patronus Cicero subvenisset: namq; hic Clientem suum ab integritate vitæ, & nullâ non modò causâ, sed etiam occidendi parentem facultate defendit, contra futilem Erutii criminationem. Tum ipsam cædis suspicionem in adversarios quinque manifestis argumentis conjecit.

Hujus orationis quæstio seu status est in genere judiciali, an Sex. Rosc. *Amerinus occiderit Patrem suum.*

Genus dicendi est subtile & acutum: sæpius crebris sententiis atq; ornamentis copiosum: quippe in hac oratione, uti in prima, luxuries Oratoris seniore stylo depascenda est.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM

A causis, quare Cicero, & non alius eorum, qui adsunt, defendit Sex. Roscium.
1. Causa est major in Cicerone, quàm in aliis libertas dicendi.
2. Causa est ratio officii.

NARRATIO.

Primum describit Cicero Rosciorum inimicitias; deinde ex his cædem Sex. Roscii: postea ex celeri cædis nuntio; ex societate P. Roscii cum Chrysogono; ex venditione, & possessione bonorum, inscio Sylla; ex perfidia ejusdem Roscii in fallendis ad Syllam legatis; denique ex consilio accusandi hunc Sex. Roscium parricidii, auctores cædis probat esse adversarios.

PROPOSITIO.

Sex. Roscius non occidit Patrem suum; sed adversarii illum occiderunt.

ARGUMENTA.

Quia 1. Sex. Roscius non habuit causam occidendi Patrem suum.
2. Non habuit facultatem.
3. Adversarii habuerunt causam illum occidendi.
4. Habuerunt facultatem.

ARGUMENTATIO

1. Argumenti: parricidii crimen est ejusmodi, ut accusator magnas causas afferre debeat, quare sit commissum; sed accusator Erucius nullam afferre causam potuit: ergo non est credibile Sex. Roscium sine causa occidisse Patrem suum.
2. Argumenti: si Sex. Roscius habuit facultatem occidendi Patrem suum, vel per se occidit, vel per alios; neutrum: ergo.
3. Argum. cui cædes majori bono fuit, is majorem occidendi causam habuit; sed cædes Patris Sex. Roscii majori bono fuit P. Roscio quam Sex. Roscio: igitur ille potius, quam hic, habuit causam occidendi.
4. Argum. quinque sunt indicia, quibus hæc facultas & cædes Sex. Roscii in adversarios conjicitur: ergo, &c.

AMPLIFICATIO ET AFFECTUS.

1. ARGUMENTATIONIS.

Parricidii causæ atque indicia ex parte filii sunt corrupti mores, audacia, luxuries, debita, cupiditas; ex parte patris, est odium filii: quorum nihil probare potest accusator Erutius; nec enim sceleratus filius, nec amens pater, qui sine causa oderit filium. Nam quòd hunc rus miserit, honoris ac benevolentiæ causa misit, exemplo plurium, ac majorum; quòd exhæredare voluerit, futile ac fictum. Ineptus igitur est & pugnans secum, & impudens Erutius, qui sine causa aliquem accuset parricidii; quod crimen sine multis & magnis causis non est credibile, tum testimonio naturæ, tum præjudicio judicum Terracinensium, & exemplis Poeticis, & decretis suppliciis.

2. ARGUMENTATIONIS.

Sex. Roscius non per se occidere potuit Patrem, quia Romæ non erat, quando pater fuit occisus.

Non per liberos ex Ameria, qui non nominantur.

Non per sicarios, quos non novit vir ruri assiduus.

Non per servos, quos quotidie vocat in quæstionem.

3. ARGUMENT.

Majori bono cædes Roscii fuit P. Roscio, quam Sext. nam ille mendicus, avarus audax, inimicus Roscio diviti fuit: hic ruri addictus nemini infestus, denique filius, subjuncta iterum faceta digressione in accusatorem Erutium.

4. ARGUMENT.

1. Argumentum cædis est audacia T. Roscii, qui cum accusatore sedet.
2. Cædes celerrimè nuntiata Roscio Capitoni.
3. Capitonis perfidia in fallendis decem legatis ad Syllam.
4. Quæstio servorum, recusata ab adversariis.
5. Avaritia & potētia Chrysogoni.

PERORATIO.

Commiserationis affectus erga Sex. Roscium, qui æquo animo fortunas suas omnes concedit Chrysogono, cum deprecatione ad Judices, ut istam crudelitatem non ferant in Rep.

EXOR-

EXORDIUM.

Exordium fit prolepsi,& sustentatione à causis, quare Cicero,& non alius eorum,qui adsunt, defendit Sex. Roscium. *Num* 1. *credo ego.*. 1. Causa, est major in Cicerone, quàm in aliis libertas dicendi, propter adolescentiam ac tenuem in Repub. auctoritatem. *Num.*2.*qua me igitur res.* 2. Causa est ratio officii. *Num,* 4.*accedit illa quoque.* Mox altera prolepsi excusat eos, qui propter periculum tacent in hac causa: & Chrysogonum vocat in invidiam ab iniqua postulatione. *Num.*5 *forsitan quaratis.* Auget invidiam postulando quod est æquius à Chrysogono, & à Judicibus, ne iniquo isti viro faveant: quod est indignum. *Num.* 7. *si vobis aqua.* Hancque indignationem amplificat 1. distributione. *Num.*9. *his de rebus.* 2 Suâ in Judices fiduciâ, ac fortitudine defendendi Sex. Roscium. *Num.* 10. *quapropter vos oro.* 3. Apostropha ad M.Fannium. *Num.* 11.*Te quoque.* Quam apostropham ad majorem motum exornat gradatione à consequentibus. *Num.*12.*petimus abs te.* Et repetitione per antitheses. *Num,*13.*accusant ii.*

ANNOTATIO.

Constat hoc exordium insinuatione quâ Cicero adstantium & Iudicis gratiam colligit. 1. excusando ipsorum officium in tam iniqua & periculosa causa. 2 Suam adolescentiam, mediocre ingenium, authoritatem exiguam, magnam officii rationem commemorando. 3. Iniquum Chrysogonum statim adducendo in odium, & aliquantò vehementiores affectus gravibus concitando figuris.

NARRATIO.

Brevis est transitio ad narrationem, *Num.* 14. *atq; ut.* Quæ continet 1. descriptionem Patris Sex. Roscii à nobilitate, divitiis, gratiâ, & præclarè factis in tuenda nobilitate. *Num.*15. *Sex.Roscius.* 2. Descriptionem duorum Rosciorum sceleratorum, inter quos & Patrem Sex. Roscii fuerunt inimicitiæ. *Num.*17. *erant ei veteres.* 3. Cædem Patris Sex. Roscii ab adjunctis loci & temporis. *Num.* 18. *nam cùm hic.* 4. Nuntium celeriter à Glaucia Tito Roscio Capitoni

Capitoni factum. *Num.19. occiso Sex Roscio.* 5. Ejusdem T. Roscii Capitonis societatem cum Chrysogono, ut simul in fortunas incauti rustici involarent. *Num.* 20. *quatriduo.* Hic fit parva digressio ad benevolentiam L.Syllæ, quo inscio hæc facta Orator dicit. *Num,* 22. *hæc omnia.* 6. Insolentem ac flagitiosam possessionem bonorum Sex. Roscii per T. Roscium, Chrysogoni nomine, nullo non Amerinorum id ægrè ferente. *Num.23. intereaiste.* 7. Perfidiam adversariorum in fallendis ad Syllam legatis. *Num.25. itaque decurionum.* 8. Fugam Sex Roscij ad Cæciliam nepotis filiam. *Num.* 27. *quod is simul.* 9. Consilium adversariorum accusandi Sex. Roscium parricidii. *Num* 28. *nam postquam.* Quod consilium Orator amplificat 1. dubitatione. *Num.29. Quid primum.* 2. forti pollicitatione sui officii. *Num.30 patronos huic.* 3. Prosopopeia. *Num.32 etenim quis.* 4. Comparatione hujus nefarii consilii cum facto C.Fimbriæ. *Num.33 hominem longè.*

ANNOTATIO.

Probabilitas hujus narrationis petitur ab adjunctis personarum, & rerum, quæ ante & post cædem Sex. Roscii gesta sunt. Apparent etiam in hac narratione uti suprà in exordio, inchoati affectus contra adversarios.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

PRopositio contentionis est hæc: Sex. Roscius non occidit patrem suum; sed adversarii illum occiderunt.

Distributio seu argumenta prioris partis, *Sex. Roscius non occidit patrem suum,* sunt hæc duo: 1. quia non habuit causam illum occidendi. 2. quia non habuit facultatem.

Argumenta posterioris partis, *adversarii occiderunt patrem Sex. Roscii,* sunt hæc itidem duo: 1. quia habuerunt causam illum occidendi. 2. quia habuerunt facultatem.

Atque hæc clariùs patebunt in argumentatione: nam apertam distributionem contentionis non proponit Orator, *Num.35. tres sunt res.*

CON-

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRioris partis 1. argumentum, *Sex. Roscius non occidit Patrem suum, quia non habuit causam illum occidendi,* hic syllogismus exponit: Parricidii crimen est ejusmodi, ut accusator magnas causas afferre debeat, quare sit commissum: sed accusator Erutius nullam afferre causam potuit: ergo non est credibile Sex. Roscium sine causa occidisse Patrem suum.

Major syllogismi effertur exclamatione, & comparatione majorum, & apostrophâ ad accusatorem Erutium. *Num. 37 occidisse Patrem.*

Assumptio constat refutatione earum causarum, quas adfert Erutius: nam ex parte filii, fatente etiam Erutio, corrupti mores, audacia, luxuries, debita, cupiditas (quæ sunt indicia & causæ parricidii) per subjectionem removentur à Sex. Roscio. *Num. 39. Patrem occidit.* Deinde ex parte Patris, odium non fuisse, subjectione ac dilemmate ostendit Cicero. *Num. 41. rursus igitur eodem.* Nam primum odii argumentum (quod leviter adfert Erutius, & leviter diluitur) de relegatione filii in agros, benevolentiam & honorem, non supplicium & odium probat. *Num. 42. nescio, inquit* Confirmatur 1. ex eo quòd parens ei optima prædia colenda dederit. *Num. 43. quid ais Eruti.* Confirmatur 2. ex eo quòd patres familias mittant rus filios suos, non quòd probrosum sit, aut criminosum, sed quia honestum. *Ibid. patresfamilias* Hic captat Cicero Erutium, quem pugnare contra se arguit à contrariarum & pugnantium rerum conflictione: mordetque à parente. *Num. 44. vides, Eruti, quantum,* Confirmatur 3. Fabula Cæciliani senis *Num 46 ecquid tandem* Confirmatur. 4. exemplo multorum, qui istâ ætate agros colebant. *Num. 47. quasi vero,* Hic rursus parva est digressio in prædia diligenter à Sex. Roscio exculta, quæ nunc iniquè Chrysogonus possidet. *Num. 49. quid censes.* Confirmatur 5. exemplo Majorum, qui ab aratro arcessebantur, ut consules fierent. *Num. 50. ne tu Eruti.* Clauditur argumentum parva anacephaleosi. *Num. 51. Neq; ego hac.*

Alterum odii argumentum quod affert Erutius de exhæredatione

redatione filii, probari non potest: quare Cicero dialogismo, & concessione nugatorium argumentum irridet. *Num. 52. od:um igitur.* Digreditur in accusatores ineptos, qui suspicione & emolumento (uti Erutius) impelluntur ad causas, adductâ per ironiam comparatione canum, & anserum in Capitolio. *Num. 55. nemo nostrum est.* Redit ad Erutium, cujus negligentiam atque fiduciam in accusando Sex. Roscio ostendit prosopopeiâ & ethopeiâ *Num. 58. quid mihi.*

Complexionem syllogismi amplificat Cicero 1. conglobatione causarum parricidii, quæ nisi sint magnæ & probatæ ab accusatore, tantum crimen non est credibile. *Num. 61. de parricidio causa.* Amplificat 2. à testimonio naturæ. *Num. 63. magna est.* 3. præjudicio judicum Terracinensium *Num 64. non ita multes* 4. Ab exemplo Poetico Orestis, cæterisque fabulis, nec non malæ conscientiæ stimulis, cum anacephaleosi causarum parricidii. *Num. 66. videtisne quos* 5. A decretis majorum, præsertim Atheniensium. *Num. 69. quare hoc.* 6. A sapientia Romanorum, qui gravissima in parricidas supplicia constituerunt. Atque hunc locum exornat orator exclamatione, & eleganti distributione. *Num. 70. quanto majores nostri.*

Amplificatâ complexione Cicero redarguit impudentiam Erutii, qui hominem tanti sceleris apud prudentissimos Judices, nullâ prolatâ causâ accuset. *Num. 72. tanti maleficii.*

Prioris partis 2. argumentum, *Sex. Roscius non occidit Patrem suum, quia non habuit facultatem illum occidendi*, concessione Cicero ingreditur. *Num. 73. esto causam.*

Mox hoc dilemmate distribuit; si Sex. Roscius habuit facultatem occidendi Patrem suum, vel per se occidit, vel per alios, sive liberos, sive servos; neutrum; ergo.

Non per se occidit, quia Romæ non erat, quando Pater fuit occisus. *Num. 74. quomodo occidit.*

Non per liberos ex Ameriâ, qui non nominantur; nec per sicarios, quos non novit vir ruri assiduus. *Ibid. si per alios.* Hunc locum pulchrè interrogando concludit ab adjunctis, præsertim per præteritionem ab integritate & innocentia vitæ rusticæ, quam commendat similitudine & gradatione *Num. 75. qua in re.*

Nec verò occidit per servos, quos quotidie postulat in quæstio-

quæstionem: atque hoc Sex. Roscio non licere per adversarios, qui servos in honore ac pretio habent, expostulat Cicero exclamatione & apostropha ad Judices. *Num. 77. reliquum est.* Ex his cædem Sex. Roscii obiter in adversarios conicit. *Num. 78 dubitate.* Deinde parva anacephalcosi vana Erutii argumenta diluit. *Num. 79. nunc Eruti.* Mox iterum eum jugulat, cum probabilius sit istos noctu sicarios, qui Romæ Sex. Roscium occiderunt, esse adversarios. *Num. 80. ejusmodi tempus.* Demum reliquam Erutii criminationem insinuatione ac ironia dissolvit. *Num. 82. vereor ne.* Posterioris partis primum argumentum, *adversarii occiderunt Patrem Sex. Roscii, quia habuerunt causam illum occidendi,* proponit Cicero quodam proemio, se non tam accusare adversarios velle, quàm Sex. Roscium defendere: fit etiam parva excursio in Erutium, & in T. Roscium, & in Capitonem. *Num. 83. venio nunc.* Deinde argumentum hoc syllogismo conficit: cui cædes majori bono fuit, is majorem occidendi causam habuit: sed cædes Patris Sex. Roscii majori bono fuit T. Roscio quam Sex. Roscio: igitur ille potius, quàm hic, habuit causam occidendi.

Major nititur dicto L. Cassii, & comparatione judicis M. Fannii, cum ipso L. Cassio. *Num. 84. L. Cassius.*

Minor infertur per distributionem ex divitiis Sex. Roscii; ex mendicitate, avaritia, audacia, inimicitiis T. Roscii *Num. 86. in hac enim.*

Conclusio syllogismi fit utriusque per antitheses comparatione. *Num. 88 restat, judices.* Subjungitur digressio in Erutium, cujus dicendi facultatem Cicero irridet comparatione sui & accusatorum ad Cannas, & ad lacum Servilium occisorum. *Num 89. Hac tu Eruti.*

Posterioris partis secundum argumentum, *adversarii occiderunt Patrem Sex Roscii, quia habuerunt facultatem illum occidendi*, eleganti dialogismo, & comparatione dissimilium adjunctorum, & personarum proponitur, *Num. 92. videamus nunc ecqua.* Explicatur verò inductione per enumerationem eorum, quæ mortem Sex. Roscii sunt consecuta: quinque enim sunt indicia, quibus hæc facultas, & cædes Sex. Roscii in adversarios conicitur.

1. Est audacia T. Roscii, qui istic cum accusatore sedeat. *Num. 95. videamus nunc strictim.*

2. Est nuntius cædis magnâ celeritate factus per Glau-

Glauciam Roscio Capitoni: quam celeritatem orator (excusso leviter Glauciâ) pulchrè urget ab adjunctis loci, temporis, & personarum. *Num.* 96. *occiso Sex. Roscio qui primus.* Mox hypotyposi percussorem Roscii ostendit T. Roscium, qui illico cursorem Glauciam subornat Capitoni *Num.* 98. *non ne vobis.* Capitonem quoque hujus cædis conscium designat, præter alia ejus flagitia. *Num.* 99 *quid erat quod.* Deinde hujus testimonium, in propriâ causâ, & crimine reijcit exclamatione ironicâ, & comparatione Africani: *Num* 101. *veniat modo.* Tum apostrophâ redit ad T. Roscii audaciam, de quâ supra, & hanc communicatione reprimit. *Num.* 104. *quid tu vir optime.* Denique Chrysogonum, quippe ad quem celeriter etiam nuntius pervenerit, si non ipsius cædis, at avaritiæ, & communis prædæ insimulat. *Num.* 105. *age nunc.*

3. Est Capitonis perfidia in fallendis ad Syllam legatis: hanc perfidiam Cicero subjicit concessione, & ethopeiâ. *Num.* 109. *venit in decem.* Deinde amplificat duplici comparatione majorum; quarum 1. est hæc: in privatâ re nobis creditâ amicum fallere turpe est, quia fides & amicitia violantur; quantò igitur turpius Capitoni in Republicâ seu legatione ipsi creditâ, ex quâ Sex. Roscii fortunæ, & fama, & vita pendebat perfidum fuisse? *Num* 111. *in privatis rebus socium* Altera est hæc: turpe est eum, qui nobis rem suam & consilia communicat, socium fallere, quia hic nobis fidit; quanto igitur est turpius Capitoni, non unum in re pecuniariâ socium, sed novem in publico munere legatos fefellisse? *Num* 116. *videte jam porro.* Quare Cicero ex hac perfidiâ probabiliter cædem Sex. Roscii adscribit Capitoni, quia homo summè perfidus, non est alienus ab alio, maximoque scelere. *Num.* 118 *in ejusmodi vitâ* Confirmat ex eo quòd hic Capito sub gladiatore ex lanistâ magistro, brevi insignis discipulus evaserit. *Ibid quid tandem.*

4. Est servorum, quos adversarii, præsertim Chrysogonus, tantâ operâ & honore fovent, quæstio recusata sæpius à T. Roscio. *Num.* 119. *dixit jam antea,* Tamen non tam Chrysogonum accusat cædis (hæc enim tota ad Roscios pertinet, tametsi hos etiam leviter & ex necessitate accuset) quàm amicitiæ, & iniquæ venditionis bonorum Sex. Roscii. *Num.* 122. *quid igitur.* Porrò avaritiam Chrysogoni notatione & dubitatione arguit. *Num.* 124. *venio nunc ad illud.* Iniquam autem fuisse venditionem bonorum Sex. Roscii ostendit ab

ad-

adjunctis legis sive Valeriæ, sive Corneliæ, quæ proscriptorum tantum, aut eorum qui in adversariorum præsidiis occisi essent, aut malorum civium, præstitutâ die, bona vendi jubebat: Sex. autem Roscius nec proscriptus fuit, nec in adversariorum præsidiis occisus, nec malus civis, nec ejus bona ad præfixam in lege diem venierunt. *Num.* 125. *bonorum Sex. Roscii.* Verùm hic interjecta est duplex apostropha sive digressio: una ad Erutium, quâ Chrysogonum, non Syllam se dicit attingere. *Num.* 127 *in quem hoc dicam.* Altera ad judices, quâ dolorem suum & animi sensum exprimit. *Num.* 129. *verùm quæso.* Et quâ etiam paulò post Syllæ imprudentiam elevat factâ comparatione hujus hominis cum Jove. *Num.* 131. *placet igitur.*

5 Est Chrysogoni potentia, quâ Erutius & adversarii nituntur ad maleficium. *Num.* 132. *verùm ut hæc.* Istam Chrysogoni potentiam insectatur Cicero à prædiis, domo, supellectile, familiâ, servis, luxuriâ, sumptibus, & per ethopeiam ab habitu & superbiâ. *Num.* 133. *aptam & ratione:* Deinde longâ prolepsi nobiles viros conciliat: unum Chrysogonum in invidiam vocat, qui potentiâ suâ ac nobilitate abutitur, ut in fortunas alienas involet. *Num.* 135. *qua verò efficiat.* Hanc invidiam in Chrysogonum adauget exclamatione, & indignatione. *Num.* 141 *bene etiam.*

ANNOTATIO

Affectus contentionis sunt tres: 1. misericordia, in Sex. *Roscium, qui affectus tamen ferè totus reservatur in perorationem. 2. ironia in Erutium, quem Cicero argumentatione primâ contradicere sibi ostendit, & nugatorias causas afferre, ineptum accusatorem redarguens, comparatione canum & anserum in Capitolio, & ethopeia; denique impudentem, qui sine causa aliquem parricidii accuset. Secunda argumentatione, rursus illum suâ ipsius argumentatione jugulat, atque omnes hujus criminationes vel leviter & joco dissolvit vel præterit. Tertiâ argumentatione hujus facultatem dicendi irridet comparatione sui & accusatorum ad Cannas & ad lacum Servilium occisorum. Itaque Cicero passim excurrens insultat Erutio, mordetque modo à parente, modo à doctrinâ, modo ab impudentiâ.*

Tertius affectus est invidia in adversarios; primùm in T. Roscium,

scium, propter audaciam: Deinde in Capitonem propter perfidiam; tertiò in Chrysogonum propter avaritiam. T. Roscii audacia triplici ex capite invidiosa redditur, 1. ex eo quòd ipse cum accusatore sedeat. 2. quòd paratus sit in proprio crimine testari. 3. quòd percusso à se noctu Sex. Roscio cursorem Glauciam miserit, qui celerrimè cædem Capitoni conscio nunciaret: Capitonis verò perfidia ipso turpi crimine fallendi novem legatos, & flagitiosa vita fit odiosa. Chrysogoni autem avaritia, iniquâ emptione bonorum Sex. Roscii, præposterâ potentiâ, luxuriâ, superbiâ, nobilitate ad turpem rapinam conversa vituperatur. Atque hunc affectum invidiæ in avarum Chrysogonum inchoavit orator in exordio, & narratione, hic in contentione adauxit distributione, & longa prolepsi, cum exclamatione & indignatione; Mox in peroratione ad summum perducet.

PERORATIO.

PEroratio commiserationem movet, 1. patheticâ per repetitionem & antitheses & subjectiones prosopopeiâ, quâ Sex. Roscius fortunas suas omnes concedit Chrysogono, modò vitam non auferat. *Num.* 143. *verùm hæc.* 2. Apostropha Ciceronis ad Chrysogonum, cujus crudelitatem exclamando, & comparando accusat. *Num.* 146. *facis injuriam.* Exponitur magis ista crudelitas ex opposita Cæciliæ, & Ciceronis misericordia. *Num.* 147. *nisi hoc indignum.* 3. deprecatione ad judices, ne istam Chrysogoni immanitatem ferant: quod exclamatione, & consequentibus Reip. periculis, & similitudine è bello petitâ Cicero detestatur. *Num.* 150. *verùm si à Chrysogono.* Demum Judices hortatur ad munus suum fortiter contra hujuscemodi crudelitatem, & adversarios exequendum. *Num.* 194. *homines sapientes.*

ANNOTATIO.

In hac peroratione enumeratio argumentorum vel nulla est, vel permixta amplificationi, & affectibus.

Affectus verò insignis in Sex. Roscium movetur magis proposita crudelitate adversariorum; quam è Republica tollere & fortis & sapientis est Iudicis.

PRO Q. ROSCIO COMOEDO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

C. *Fannius Cherea servum suum Panurgum communem cum Roscio ea lege fecit, ut is à Roscio arte histrionica institueretur, quæstusque inter eos communis esset. Institutum artificio comico Panurgum, Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor à Roscio datus fuit, qui Flavium judicio damni injuria dati Roscii nomine persequeretur, non secùs atque si res sua esset. Lite constituta Roscius sine Fannio cum Flavio decidit HS centum millibus, hoc est 2500. coronatis. Deinde C Pisone teste & arbitro Roscius Fannio pro opere, pro labore, quòd cognitor fuisset, quod vadimonia obiisset certam pecuniam dedit hac conditione, ut si quid Fannius pro sua parte servi interempti à Flavio exegisset, partem ejus dimidiam Roscio dissolveret. Post triennium Fannius, qui diceret se à Flavio nihil abstulisse, Roscium cum eo de tota re pro societate decidisse, Roscium in jus vocavit, & HS quinquaginta millia, hoc est 1250. coronatos dimidiam scilicet partem ejus pecuniæ quam Roscius à Flavio abstulerat, petiit. & sponsione Roscium lacessivit, ni sibi ille HS quinquaginta millia deberet. Datus igitur Iudex à Prætore fuit C. Piso cum hac formula, si paret Roscium Fannio HS. quinquaginta deberet. Quod Cicero enumeratione causarum debitionis falsum esse docet: neque societatis nomine quicquam à Roscio peti posse probat.*

Quæstio est in genere judiciali; an Roscius certam pecuniam Fannio debeat ex societate.

Stylus acutus.

EXOR-

SYNOPSIS

Exordium deest huic orationi, & primum contentionis argumentum, & peroratio.

PROPOSITIO

Roscius certam pecuniam non debet Fannio ex societate.

ARGVMENTA

1. Quia Fannius mutuuo nihil dedit.
2. Fannius societatis nomine pecuniam non expendit.
3. Roscius nihil promisit.

ARGVMENTATIO.

2. Argum. neque tabulis suis Fannius, neque adversariis probare potest se societatis nomine pecuniam expendisse; igitur Fannius societatis nomine pecuniam non expendit.

3. Argum. nullum probari potest adjunctum promissionis: igitur Roscius nihil promisit.

1. ARGVMENTATIONIS AMPLIFICATIO ET AFFECTVS.

1. Cur credatur potius tabulis Fannii, quam Roscii? nam in illis nomen Roscii non est adscriptum.

2. Nec in adversariis nomen Roscii toto triennio fuit scriptum: deinde adversaria non habent in judicio eam vim, quam tabulæ. Adde, Fannius pro certá pecuniá ad arbitrum confugit.

1. ARGVMENTATIONIS.

Quo loco, quo die, quo tempore, quo teste, aut data, aut expensa, aut stipulata pecunia sit, ostendi non potest.

CONFVTATIO Saturii.

Saturius Roscii famam læsit quando Fannium ab hoc fraudatum dixit. Nam 1. optimus est vir Rosc. etiam testimonio ipsius Saturii, qui sibi cõtradicit. 2. callidior est Fannius, quam ut se fraudari passus fuerit à Roscio. 3. Nullam habuit causam Roscius fraudandi Fannii. 4. Fannius non arbitrum pro socio adegit Roscium, neque pactionis tabulas potest ostendere. 5. Panurgi quæstus pertinet magis ad Magistrum Rosc. quã ad Fannium. 6. Rosc. decidit cũ Fannio: quod confirmant tres fide digni testes.

CON-

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Roscius certam pecuniam Fannio non debet ex societate. Distributio seu argumenta sunt hæc tria (quamquam primum desideratur) 1. quia Fannius mutuo nihil dedit. 2. quia Fannius societatis nomine pecuniam non expendit. 3. quia Roscius nihil promisit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis secundum Argumentum, *Fannius societatis nomine pecuniam non expendit*, hoc Enthymemate tractatur: neque tabulis suis Fannius, neque adversariis probare potest se societatis nomine pecuniam expendisse: igitur Fannius societatis nomine pecuniam non expendit.

Antecedentis 1. pars, *de tabulis*, Amplificatur 1. prosopopeià, quia Fannius integrâ non sit fide, ut ipsius tabulis credatur; hicque repugnent tabulæ Roscii. *Num.* 1. *is scilicet.* Amplificatur 2. concessione, exclamatione, quia Fannius in suis tabulis accepti, & expensi Roscii nomen non adscripserit. *Num.* 2. *sed ego copia.*

Antecedentis 2. pars, *de adversariis*, amplificatur indignatione, & interrogatione, quia adversaria non habeant eandem vim quam tabulæ: atque hoc argumentum testimonio C. Pisonis, & consuetudine confirmatur. *Num.* 5. *nimium cito.* Deinde gradatione & prolepsi urgetur Fannius, ratione temporis, quare per triennium Roscii nomen in adversariis non scripserit. *Num* 8. *Illud verò.* Præsertim urgetur Fannius suomet testimonio, quia pro certâ pecuniâ ad arbitrum confugerit: nam qui compromissum facit, & arbitrum sumit, certam sibi pecuniam non deberi indicat: cur igitur nunc ab arbitro ad Judicem iverit Fannius? *Nu.* 9. *sed hæc quanquã.*

Propositionis tertium argumentum, *Roscius nihil promisit*, hoc Enthymemate conficitur: nullum potest probari

id, quod exegit Roscius, commune societatis factum non esse: 1. Quia Roscius suam partem potuit ex societate petere. *Num.* 51. *Iam intelligis.* 2. quia alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus: Roscius autem cognitor non est factus: quomodo igitur alteri petiit? atque huic argumento junctum est simile. *Num.* 54. *quod si quisquam.* 3. Quia stultus fuit Roscius, qui ex jurisperitorum consilio & auctoritate restipularetur, si sine cautione & repromissione nihilominus debeat *Num.* 56. *perstat in sententia.*

ANNOTATIO.

Restat in hac oratione mutila solùm confirmatio, & confutatio: confirmatio maximè ex loco extrinseco seu tabulis petitur; & deinde ab adjunctis promissionis. Confutatio tum à personis Roscii, & Fannii, & servi Panurgi, & testium; tum à causis, & iterum ab adjunctis promissionis ducta est. In hoc lis tota vertitur, an Roscius pro societate, non pro se tantum dederit: & hoc maximè argumento, inquit Manutius, ad criminationem Fannii repellendam Cicero utitur, quòd is, accepta à Roscio pecuniâ, quia cognitor ejus fuerat, repromisisset, & stipulatus esset, si quid à Flavio exegisset; dimidiam ei se daturum. Quo sibi nullam à Roscio ex vetere decisione deberi pecuniam indicavit. Plura ex hac oratione non habemus.

VERRINA I.
SEV DIVINATIO
Argumentum, Quæstio, Stylus.

C*Verres, per triennium Siciliæ præfuit; ubi cum avarè multa, crudeliter, libidinosè gessisset; repetundarum à Siculis postulatus est. Ii sibi patronum ob eas causas, quæ in hac oratione exponuntur Ciceronem delegerunt. Sed cum accusandi munus ad se potius pertinere Q. Cæcilius, qui Verris quæstor fuerat, contenderet; ortâ contentione, Cicero hanc orationem habuit; quæ divinatio dicitur, quia Iudices, remotis testibus & tabulis, argumenta sola sequantur & quasi divinent uter debeat accusare. Quæstio hujus divinationis est in genere deliberativo, an Cicero sit eligendus accusator Verris, an Cæcilius.*

Dicendi character est mediocris ac temperatus.

AMPLIFICATIO ET AFFECTUS.

Siculi, quibus à Verre factæ sunt injuriæ, multis testibus, magna cum laude, ob præturam bene gestam, actorem Ciceronem rogarunt, repudiato Cæcilio æmulo. Nam in Cicerone est accusatoris integritas & dicendi facultas: Cæcilius nec verè accusabit Verrem, nec pro magnitudine criminum, graviter & copiosè contra Hortensium, frustra adjutus à duobus ineptis subscriptoribus. Quòd si Cæcilius injurias à Verre accepit, at Siculi graviores acceperunt; si inimicus Verri fuit, at rediit in gratiam: si & quæstor ejus fuit; at quæstor non debet prætorem suum accusare. Quare honestius est Ciceroni, clarissimorum virorum exemplo, sociorum, à quibus rogatus fuit, injurias persequi, quàm, Cæcilio suas.

PERORATIO.

Petit Cicero à Judicibus eligi accusator Verris, quia diligenter ac integrè salutem Reip. & sociorum defendit: quæ Cæcilius non spectat.

EXOR-

EXORDIUM.

EXorditur prolepsi Cicero à causis, quare nunc accusare Verrem petit, qui hactenus plures defendit. *Num.* 1 *si quis vestrum.* 1. causa est, quòd officio, & fide, & misericordia erga Siculos, apud quos quæstor fuit, ad id munus adducatur. *Num.* 2. *cum quæstor.* 2 Causa est quòd non tam accuset, quàm defendat. *Num.* 5. *quo in negotio.* 3. quòd hoc tempore nihil Reip. utilius possit præstare, quam flagitiosum hominem accusare. *Num.* 6. *quòd si.*

ANNOTATIO.

Tribus istis, quas Cicero affert, causis accusandi Verrem, captat benevolentiam Iudicum, tum à suâ personâ seu officio, tum à suo in laborantem Remp. studio: quod studium exclamatione & modico affectu, atque amplificatione præ se fert. Accuratum est etiam hoc exordium, & grave numeris periodisq.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: Cicero eligendus est accusator Verris, non Cæcilius. Distributio seu argumenta sunt: quia Siculi volunt Ciceronem, nolunt Cæcilium; & Verres non vult Ciceronem, vult Cæcilium.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

TOta contentionis argumentatio est ratiocinatio, licet partes sint inter se mixtæ: sed hoc plerumque fit apud oratores.

Major propositio, *ille debet constitui actor, quem maximè velint esse ii, quibus facta sunt injuriæ; & quem minimè velit is, qui injurias fecit*, breviter effertur. *Num.* 10. *ego sic intelligo,*

Probatio majoris, *quia lex de repetundis pecuniis est constituta eorum causa, quibus facta sunt injuriæ*, sequitur paulò infrà. *Num.* 17. *reliquum est.*

Minor

Minor propositio seu assumptio, *atqui Siculi, quibus facta sunt injuria, volunt Ciceronem, nolunt Cæcilium*: *& Verres, qui fecit injurias, non vult Ciceronem, vult Cæcilium*, sequitur etiam infrà. *Num.22. at enim solum.*

Probatio minoris est quadripartita 1. pars, *Siculi volunt Ciceronem, quia illum sibi ob præturam probè cognitum rogarunt, ut causam suam susciperet*, supra subjuncta est majori propositioni cum apostropha, & digressione, In Cæcilium. *Num.11. in hac causa.* Confirmatur auctoritate plurium testium. *Num.13. Deinde sunt testes.* Hancque voluntatem Siculorum modestè refert Cicero ad suam laudem. *Num.15. at enim cur.* 2. pars, *Siculi nolunt Cæcilium, quia hunc neque probè noverunt, neque rogarunt.* Prosopopeiâ, & interrogatione, & repetitione constat. *Num.19. Sicilia tota.* 3. pars, *Verres non vult Ciceronem, quia novit hunc habere omnes partes & virtutes optimi accusatoris.* Et 4. pars, *Verres vult Cæcilium, quia hunc novit nullam accusatoris partem ac virtutem habere*, paucis exponitur. *Num.22. alterum illud credo.* Hic digreditur Cicero in Hortensium, quem prosopopeiâ vocat in invidiam, ne suffragetur Cæcilio *Num.23. itaque magnus.* Et paulò post ipsum deterret, ne defendat Verrem, nova dicendi ratione proposita. *Num.25. huic ego homini.* Redit ex digressione, resumitque tertiam & quartam partem probationis minoris: quas partes (quia in his maximè videtur contentio consistere) dissimili sui & Cæcilii comparatione amplificat per apostropham, & distributionê, & communicationem. *Num.27. tu verò Cæcili.* Primùm accusatoris integritatem negat esse in Cæcilio, qui ex Sicilia litteras in Verrem non deportat: sed asportat, ut suspicantur Siculi. *Num.28. hic ego de te.* Deinde Cæcilius firmus verusque accusator Verris esse non potest, quia cum ipso rediit in gratiam. *Num.29. deinde accusatorem.* Adde quòd Cæcilius criminum in re frumentaria, ac furtorum societate implicatus, aut multa silentio prætermittet, aut quomodo ista accusabit? Adverte dilemma. *Num.30. video enim.* Ciceró autem liberè proferet singula. *Num.34. hac tu scis.* Postea repetitione, & insigni communicatione facultatem oratoriam in Cæcilio requirit Cicero quam sibi non arrogat ita (etiamsi longo usu & exercitatione comparatam) ut pro magnitudine copiaque criminum, possit copiosè & graviter de Verre apud Judi-

eos dicere. *Num.* 35. *quid illa Cæcili.* Tum prolepsi suum ipse (quamquam à puero exercitatissimus in causis) timorem, & curam profitetur: quæ desiderari in Cæcilio significat. *Num.* 40. *fortasse dices.* Venustè auget difficultatem à personâ Hortensii, contra quem Cæcilius debet dicere: Cicero hunc non reformidat. *Num.* 44 *nunc ne illud.* Postremò irridet Cæcilium, & ejus subscriptores, Apuleium, & Allienum, quorum futili opera fretus, nec paratus aliunde descendit ad acre certamen. *Num.* 47: *esto ipse nihil.* Certè Allienum festiva similitudine à Græcis actoribus sumpta bene robustum in clamando describit. *Num* 48. *deinde, ut opinor.* & ejusmodi subscriptores, custodesque adeo contemnit, ut non sigillatim, aut certo loco velit illis egere, aut respondere. *Num.* 50. *quibus ego non.* Absoluta argumentatione, sequitur confutatio Cæcilii, qui triplici ex capite contendit esse accusator Verris. 1. ob injurias à Verre acceptas. 2. ob immicitias. 3. ob quæsturam, quam Prætore Verre exercuit. 1. Cicero non negat injurias Cæcilio à Verre factas: verùm quia Siculi graviores acceperunt, debent hi potius, quàm ille, ulcisci & accusare Verrem. *Num.* 52, *verum ut.* 2. quæ inimicitiæ possunt esse inter Cæcilium, & Verrem, quando parva aut nulla inimicitiarum fuit causa? quando Cæcilius cum Verre in gratiam rediit? Prius probatur ipso Agonidis Lilybætanæ judicio, cum parva digressione ad ingenium Verris. *Num* 55. *at eam tibi* Posterius brevi repetitione, & dilemmate stringitur. *Num.* 58. *hic tu si.* 3. nec debet Cæcilius idcirco accusare Verrem, quod ejus quæstor fuit, & hac in re præponi Ciceroni; imò verò propter hanc causam debet rejici: nam Cæcilius non potest injurias, quando nullæ sunt, sibi à Verre illatas sine vituperatione, aut aliquo scelere persequi. *Num.* 59. *quid si ne.* Deinde in Quæstorem non cadit Prætorem suum accusare, quem parentis loco habere debet. *Num.* 61. *at vide quid.* Quod Exemplis majorum probatur. *Num.* 63, *neque ferè unquam.* Adde quòd honestius est Ciceroni sociorum, à quibus rogatus fuit, injurias persequi & ulcisci, quàm Cæcilio suas. Quod itidem probatur, & amplificatur pluribus exemplis clarissimorum virorum P. Gabinii, M. Catonis. C Domitii, L. Lentuli & P. Africani. *Num.* 63. *semper hac causa.*

ANNO

ANNOTATIO.

Amplificatio & affectus elegans est ille in probatione minoris per dissimilem Ciceronis & Cæcilii comparationem, præsertim in oratoria facultate; ubi primùm Cicero communicatione Cæcilium admonet difficultatis Verrem accusandi; summumq; ipsi timorem, quamquam in causis sit sæpè versatus, modestè aperit: deinde ipsum, & subscriptores deridet, quasi jam superior. Demùm absolutâ argumentatione de reliquo confutat, & rejicit Cæcilium.

PERORATIO.

IN peroratione pergit Cicero paulò majore affectu ostendere honestatem diligenter ac integrè defendi Rempub & ejus socios atque amicos. *Num.70. & profectò* Rursus amplificat dissimilem sui & Cæcilij comparationem in accusando Verre; nam Cæcilio nec salus Reip. nec propria laus, aut fama cordi est: quæ sunt vehementer proposita Ciceroni. *Num.71 quamobrem hoc.* Quare apostrophâ ad Judices petit præ Cæcilio eligi accusator Verris. *Num. 73. quapropter Iudices.*

ANNOTATIO.

In hac, licèt brevi peroratione Cicero colligit argumenta per orationem sparsa: Cæcilium nec integrum, nec diligentem, nec Reip. amantem, nec eloquentem esse Oratorem præ se; perficitq; illum, quem maximè in exordio inchoavit, affectum de suo ergà laborantem Remp. studio.

II. VERRINA,

Seu

PROOEMIUM I. ACT. IN VERREM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Victo Cæcilio, & accusatione ad se delata Cicero cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies centum & decem, & cum L. Tullio Fratre Patruele totam provinciam colligendis litteris in Verrem, & denuntiandis testimoniis peragrasset diebus quinquaginta: Romam reversus, cùm id videret agi, ut à M. Glabrione Prætore, & ab iis Iudicibus, qui tum erant, ad alium annum, aliumque Prætorem res tota transiret, eripereturque sibi reus, patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc Consules futuri erant, hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret; sed tantùm citaret testes, ad unumquodque crimen expositum, & eos Hortensio interrogandos daret. Consilium autem suum Cicero in hac oratione exponit. Freig.

Quæstio est in genere deliberativo, an novo genere sit accusandus Verres.

Stylus est temperatus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Ab occasione, quam judices habent tollendi infamiam judiciorum.

PROPOSITIO. Novo genere est accusandus Verres.

ARGUMENTUM. Quia Verres Ciceroni, & judicibus insidiatur.

ARGUMENTATIO. Verres grandem habet pecuniam paratam Judicibus, & Ciceroni, quâ sperat se illos corrupturum: ergo Verres Ciceroni, & dicib us insidiatur.

AMPLIFICATIO ET AFFECTUS. Quoniam flagrante judiciorum infamiâ magna est pecuniæ vis, Cicero audaciam Verris in dicendo, & stultitiam in agendo reddit odiosam, ac metuendam judicibus; ejusque spem non in honesto præsidio, sed in pecuniâ Siciliensi & sceleratissimâ vitâ positam infringit, subjunctâ narratione. Vehementer etiam carpit Hortensium, & Metellos, quibus patronis nititur Verres causam suam in annum sequendum producere. Verùm judices cohortatur ad severè judicandum, datâ divinitus opportunitate. Postremò, quod vult maximè, suum consilium exponit, novo genere accusandi Verrem.

PERORATIO. Orator pergit Judices, nominatim M. Glabrionem Prætorem cohortari ad severitatem, ac integritatem contra sceleratum & insidiosum Verrem, præstito novo accusandi genere.

EXORDIUM.

Exorditur Cicero ab occasione, quam habent Judices, sedandi turpitudinem, atque infamiam judiciorum, reo in judicium adducto C. Verre. *Num 1. quod erat.* Atque hæc est finalis causa, quare ipse Cicero ad accusandum Verrem accesserit. *Num. 2. huic ego causa.*

ANNOTATIO.

Orator benevolentiam captat à suo officio, & voluntate restituendi amissam judiciorum existimationem: & datâ opportunitate tacitè Iudices monet atq; hortatur ad idem consilium: qui præcipuus est affectus totius orationis.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: novo genere est accusandus Verres.

Distributio seu argumentum, quia Verres Ciceroni, & Judicibus insidiatur.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis argumentum, *Verres Ciceroni, & Iudicibus insidiatur* Hoc Enthymemate exponitur. Verres grandem habet pecuniam paratam Judicibus, & Ciceroni, quâ sperat se illos corrupturum: ergo Verres Ciceroni, & Judicibus insidiatur.

Antecedens artificiosè Cicero ingreditur, partim timore, ne se vi pecuniæ corrumpi sinat, partim oratione Verris, qui audacter sibi nihil metuendum esse dictitat, quia tantum rapuerit, ut id multis satis esse possit; magnum porrò in pecunia præsidium sit. *Num 3. equidem ut.* Non solùm audaciam Verris in dicendo, sed ejus etiam in agendo stultitiam Ciceroni infensam reddit: quia inquisitorem pecunia induxerit, qui

qui ut prior accusaret, breviorem, quàm Cicero, diem sibi in Achaiam postulavit; ipse autem Verrem non accusavit, sed Ciceroni menses tres eripuit ad agendum maximè appositos. *Num.6. quòd si quam.* Nunc idem Verres pecuniâ cogitat procellam temporis devitare, hoc est, in sequentem annum, apud M. Metellum sui amantissimum, cui quæstio repetundarum obtingere debet, causam protrahere. *Num. 7. Nunc homo.* Atque ex his Orator vanam spem Verris amplificat non in aliquo honesto præsidio, aut in alicujus eloquentia aut gratia collocatam; sed in pecunia. *Num 9. quòd si non modò.* Magis amplificat hanc spem vanam ex vita & copia criminum Verris; utiturque pulcherrimâ distributione, & enumeratione magistratuum & scelerum. *Num. 10. etenim quod est.*

Concludit vanam esse spem Verris, præsertim in nobilium virorum (hi sunt Hortensius, & tres Metelli) præsidio positam *Num. 15. Quæ cùm ita sint.* Quod ut meliùs ostendat, præmittit hanc narrationem de spe, quam habuit Verres corrumpendi judicii: 1. redemptio judicii facta est, id est, Verres dedit negotium corrumpendi peritis hominibus, qui sibi Judices emerent; factâ verò Judicum sortitione & rejectione, cùm ii Judices remansissent, apud quos religio & veritas plùs, quàm pecuniâ posse videretur, renunciata est à redemptoribus de corruptione desperantibus, tota illa conductio. *Num. 16. quam spem nunc.* 2. Comitiis consularibus cùm factus esset Consul Hortensius, Verris patronus; C. Curio gratulatus est Verri, & palàm renuntiavit Verrem ipsis comitiis, & isto Consule esse absolutum: de qua re Cicero queritur brevi subjectione, & insinuatione. *Num. 17. ecce autem repentè.* 3 Cùm Metellus anno sequenti quæsiturus esset de repetundis, altera gratulatio facta est Verri: hic interim ædilitate Ciceronem dejicere conatus est. Quod sollicitum reddidit Oratorem, qui simul accusare, & petere ædilitatem debebat. *Num. 21. ecce autem illis.* 4. Hæc sunt Verris consilia (vide prosopopeiam.) ut sublatis, quos pecunia non posset corrumpere, severis Judicibus, apud M. Metellum causa dicatur; quem prætorem homini perditissimo esse amicum Cicero apostrophâ reprehendit. *Num. 26 posteaquam illa.* Absolutâ narratione Orator primùm communicatione Judicibus proponit novo genere, non perpetuâ oratione accusandum esse Verrem, ne elabatur *Num. 32. nunc*

ego

ego Iudices. Deinde apoſtrophâ adverſatur acriter Hortenſio, qui cupiditate & dominatione judiciorum defendere putat Verrem. *Num.* 33. *res omnis mihi.* Et quamquam erit tum Conſul Hortenſius, ipſe Cicero ædilis; hic tamen omnia ſe diligenter ſeverèque dicturum eſſe pollicetur; quæ ante decem annos flagitioſè in rebus judicandis facta ſunt: quantò magis ea, quæ in hoc judicio committi intellexerit. *Num.* 37. *erit tum Conſul.* Poſtremò adhortatur Judices, ut illam turpitudinem atque infamiam Judiciorum tollant, 1 objectâ ſpe ac nefariâ opinione Verris. *Num.* 42. *ô commemoranda judicia.* 2. allatis Q. Catuli, & Cn. Pompeii teſtimoniis. *Num.* 44 *neque hoc Q. Catulum.* 3. propoſitâ populi Rom. famâ, & opportunitate divinitùs datâ condemnandi perditiſſimi hominis rei. *Num.* 46. *nunc autem.* 4. paratâ induſtriâ ſtrenui Oratoris, qui accuſabit Verrem. *Num.* 48. *poſtremò ego.*

ANNOTATIO.

Callidè fingit ſe Orator timere inſidias, ſeu pecuniam *Verris, ut plerosq; Iudices vel tacitè commoneat officii, vel etiam reprehendat, quos eſſe corruptos videt in hac infamia & turpitudine judiciorum. Et quidem avocans orationem à cæteris, unum Hortenſium, & tres Metellos vocat in invidiam, propterea quòd hi ſceleratum hominem, audacter ac ſtultè pecuniâ ſollicitantem judicia, ac protrahentem foveant; quibus novum accuſandi genus minitatur. Itaq; tota Ciceronis Contentio vergit eò, ut territis adverſariis (quod accidit) illo novo genere agendi citiùs condemnetur Verres.*

PERORATIO.

Cicero promiſsâ ſeveritate & conſtantiâ in Verrem, aut in alios cives improbos, hortatur M. Glabrionem Prætorem, ad ſeveritatem, integritatem, fidem, religionem, adjunctâ ipſius majorum laude. *Num.* 50. *quapropter primùm.* Deinde ſuum officium ſignificat: 1. ſe non paſſurum diutiùs hoc judicium differri. *Num.* 53. *mihi certum eſt.* 2. ſe novo genere accuſandi teſtes ad ſingula crimina accommodaturum. *Num.* 55 *faciam hoc non novum.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Prosequitur eum affectum, ut Iudices, nominatim Prætor Glabrio, turpitudinem atq; infamiam judiciorum deleant; atque ad id operam suam pollicetur: in quo iterum benevolentiam captat.

III. VERRINA
Seu
LIB. I. ACT. II.
IN C. VERREM.
Argumentum, Quæstio, Stylus.

MAlitiam Verris, & Hortensii, Ciceronis consilium vicit. Illi causa diffisi, spem omnem in sequentis anni Prætore *M. Metello & in ipso patrono Verris Hortensio, Quintoq; Metello, qui futuri Consules erant, reponentes, curam omnem, industriamq; suam in eximendo tempore, ducendaq; re defixerant. Contra Cicero, cognitis insidiis, omissa oratione perpetua, causam per testes, tabulas, auctoritates egit: interrogandi testes, argumentandi, dicendiq; facultate Hortensio tradita, orationem illi quoque perpetuam eripuit. Quo deterritus Hortensius, desperato patrocinii sui exitu, agenda causa consilium abjecit. Verres autem ipse tanquam convictus, in exilium sponte discessit. Sequentes igitur quinque libros Cicero non dixit, sed cùm vellet omnem vim & rationem accusandi in uno reo ostendere, quinque hos libros ad eloquentiæ laudem domi scriptos edidit. Hic primus accusationis liber (quæ est Verrina tertia) exponit ante acta, id est, ea crimina quæ Verres ante præturam Siciliensem in quæstura, legatione, & prætura urbana commisit. Secundus liber explicat crimina in Sicilia. Tertius est de frumenti criminibus. Quartus, de signis. Quintus, de suppliciis,* Manut.

Quæstio est in genere judiciali, an C. Verres sit absolvendus crimine repetundarum.

Stylus est tenuis; interdùm assurgit, ut in exordio, & in quibusdam affectibus, SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Ab audacia, amentia, impudentia Verris, qui in judicium venit; ut scelerum suorum majus supplicium quærat Diis, & Judicibus, & Populo Rom. contra illum iratis. Cicero etiam reddit rationem primæ actionis suæ, hoc est, cur non perpetua oratione, sed testibus, tabulis, litteris accusarit Verrem; nempe ad tollendam judiciorum infamiam, quâ jam diu laborat senatorius ordo.

PROPOSITIO.

Verres non est absolvêdus crimine repetundarum.

ARGUM.

Quia Verres in iis magistratibus, quos gessit, fur, & sceleratus fuit.

ARGUMENTATIO.

Verres in quæstura, & legatione Asiatica, in Prætura urbana & Siciliensi, fur & sceleratus fuit: igitur Verres in iis magistratibus, quos gessit, fur, & sceleratus fuit.

AMPLIFICA-

1. In quæstura Verres pecuniam sublatam avertit, nec illius rationes retulit: Deinde perfidè prodito Consule Carbone, & relicta sorte, ad Syllæ partes transfugit.

2. In legatione Asiatica, prodito etiam Dolabella, in itinere pecunias exegit à magistratibus, & crudeliter extorsit: tum multa furta ac sacrilegia commisit in omnibus ferè templis, Athenis, Deli, Chio, Tenedo, Samio, Aspendi: ex quibus Orator in affectus erumpit, adducto dissimili exemplo majorum, ac Imperatorum

TIO ET AFFECTUS.

torum Populi Romani; refellitque duas prolepses Verris Postea Lampsaci libidinibus & cupiditatibus exardens, filiam Philodami per vim rapere voluit; Philodamum, quòd conatibus obstitisset, cum filio capite mulctandum curavit: apud Milesios autem publicam è classe navem accepit, & vendidit: atque in tutela Malleoli ita perfidus fuit, ut illum, corrupto codice, fortunis patris everterit: denique Miliades afflixit imperato frumento, & iniquissimè æstimato, cujus rationes cum ad ærarium non retulit, illas pecunias extraordinarias confecit.

3. In Prætura urbanâ, primùm jurisdictione & edictis iniquis P. Annii filiam, & gentem Minuciam, & Hæredes P. Trebonii & M. Octavium ligurem justis hæreditatibus privavit: Deinde in exigendis Sartis tectis, latrocinia sua incœpit ab æde Castoris, ingenti damno afficiendo Pupillum Junium: tertiò Judicium in Prætura publicum exercuit, & in subsortitione Juniana tabulas suas corrupit.

EXOR.

EXORDIUM.

CIcero incipit ab audacia, amentia, & impudentia C. Verris, qui ad judicium adiit. *Num. 1. neminem vestrum.* Concessione istam Verris impudentiam adducit in odium, quia majori Ciceronis, & Judicum laude præsens damnabitur. *Num. 2. patior Iudices.* Eleganter autem odium impudentis Verris à conglobatis efficientibus causis scelerum in Deos, & in homines, *Num. 6 tametsi de absolutione.* Auget etiam à causa finali, quod videatur Verres non damnationem solùm, sed insigne avaritiæ supplicium quærere. *Num. 8. neq; iste mihi.* Quod amplificat à consequentibus. Nam si nocentissimus Verres, Diis hominibusque invitis, absolvetur aliquorum Judicum sententiis; nunquam tamen ex manibus populi Rom. eripi potest, hoc est, vivus à populo discerpetur propter repetundas. *Num. 9. nam quis hoc.* Quatuor autem causas repetundarum enumerat: peculatum, crimen majestatis, jus libertatis, testes. *Num. 10. his ego Iudicibus.* Post hæc deflectit Cicero, & reddit rationem primæ actionis in Verrem: 1. quare nomen Verris detulerit. *Num. 15. mea quidem.* 2. quare profectus sit in Siciliam. *Num. 16. in Siciliam.* 3. quare Judices rejecerit. *Num. 17 Romam ut.* Quâ in actione quidem Cicero non solùm duplex accusatoris onus, fidei scilicet & diligentiæ sustinet; sed etiam consilii fructum retulit, victo Verre, ad existimationem populi Rom *Num. 19 itaq; Iudicibus.* Jam & ipsi Judices onus suum, quod est de homine improbissimo severè judicare, probare debent. *Num. 22. vos quod ad.*

Ad prolepsim Hortensii querentis oppressum esse Verrem, Cicero respondet ironicè, se jam morem illi gerere, id est, uti oratione perpetua: priore autem actione sibi eo tempore uti licuisse, quod lex dabat: *Num. 24. nunc ne novo.* 2. respondet se ademisse Hortensio comperendinatum, id est, causæ iterùm agendæ molestiam; quare non esse quòd queri Hortensius debeat, si Cicero veterem legem Aciliam omnium mitissimam restituit, quæ Judicibus vel citò absolvendi, vel tardè condemnandi potestatem dabat. *Num. 25. causam enim.* 3. respondet causam Verris esse satis cognitam, quia testes sunt auditi, & prolatæ tabulæ. *Num 27. verùm si causam.* Denique respondet Hortensio se idcircò priore actione, non perpetua oratione, sed testibus, tabulis, litteris, aucto-

auctoritatibus accusasse Verrem, ne interposito accusatore, & binis ludis, dum Cicero sui legitimis horis in dicendo uteretur, in annum sequentem integra res ad Metellum Prætorem, aliosque Judices veniret. *Num.* 30. *interposuisti accusatorem.*

ANNOTATIO.

Accommodatè ad contentionem incipit Cicero ab impudentia C. Verris, ejusq; causam amplificat: quia maximorum scelerum ac furtorum (quæ posteà explicabuntur) comes sit impudentia. Verùm ipsi, præter odium, spem absolutionis omnem præscindit propter repetundas, si vivus ex manibus populi Rom. eripitur. Confirmat etiam consilium primæ actionis suæ, & prolepsim Hortensii dissolvit, quo procliviùs judices adducat ad furta, sceleraq; Verris audienda, & severè plectenda. Deniq; hoc exordium continet aliquos affectus, & amplificationes reliquæ orationis, captatq; Orator benevolentiam à fide, diligentia, & studio liberandi senatus ista judiciorum infamia.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Verres non est absolvendus crimine repetundarum.

Distributio seu argumenta sunt hæc: quia Verres in iis magistratibus, quos gessit, fur, & sceleratus fuit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis Argum. *Verres in iis magistratibus quos gessit, fur & sceleratus fuit.* Hac inductione exponitur: Verres in quæstura, legatione Asiatica, prætura urbana, & Siciliensi fur & sceleratus fuit: igitur Verres in iis magistratibus quos gessit fur, & sceleratus fuit.

Præmissa elegante præteritione per insinuationem in re turpi, tam ipsa contentionis distributio quàm argumentatio expressa est. *Num.* 32. *nunc mihi temporis.*

prima pars inductionis, *Verres in quaestura fur & sceleratus fuit*, amplificatur indè, quòd quaestor Verres, aversâ publicâ pecunia, Consulem Carbonem, & exercitum, furti causa, non defendendae nobilitatis, deseruerit. *Num* 34. *Quaestor ex S.C.* Quòd istius pecuniae rationes non retulerit, nec minutim, & articulosè probarit. *Num.*36. *videamus rationes.* Quòd prodito Consule suo (qui si aliis malus fuit, at non Verri) relicta sorte, ad Syllanas partes transfugerit. Haec perfidia ex communi periculo obiter exaggeratur odio, & exclamatione, cum transitione ad alteram partem. *Num.*37. *quòd si illinc.*

Secunda pars inductionis, *Verres in legatione Asiatica fur & sceleratus fuit*, primùm perstringitur praeteritione multorum furtorum, & nefariae proditionis Cn. Dolabellae, contra quem falsum testimonium dixit. *Num.*41 *itaq; idem iste.* Deinde amplificatur distributione sex criminum legati Verris. 1. Crimen in itinere circa exactiones fuit, quando magistratum Siconium (adverte amplificationem per incrementum) nummos poposcit, & amicum hominem fumo excruciavit. *Num.* 44. *Nam ut iste.*

Secundum crimen est furtorum, & sacrilegiorum. Nam Athenis ex aede Minervae grande auri pondus abstulit ; & Deli, ex fano Apollinis multa signa : quod crimen Orator ab adjunctis, loci praesertim, & comparatione Persarum, & apostropha ad improbissimum Verrem amplificat. *Num.*45. *jam qua iste.* Chio signa pulcherrima, Tenedo ipsum Tenem Deum, Samio Iunonem Samiam sustulit in aedes suas, multis testibus. *Num* 49. *Chio per vim.* Aspendi non aliqua item signa, sed omnia asportavit (ubi est jocus de Aspendio Cytharista) & Pergae fanum Dianae spoliarit. *Num.*53 *Aspendium vetus.* Ex his furtis & sacrilegiis prorumpit Cicero in affectum odii comparatione majorum, ac dissimili exemplo olim M. Marcelli, L. Scipionis, Flaminii, L. Pauli, L. Mummi, & hodie P. Servilii, qui omnia spolia ex istis partibus vi, exercitu, imperio capta, & signa Romam in publicum reportarunt: quantò magis id facere debuit Verres, qui sociorum atque amicorum urbes adiit legationis jure & nomine ? *Num.* 54. *qua malum est ista.* Affectui subjuncta est duplex prolepsis: 1. solvitur inversione: signa Verris, & tabulae pictae non ornamento fuerunt urbi foroque Rom. sed acerbo & lugubri spectaculo: quia socii populi Rom. sua viderunt turpi furto ablata, & palàm exposita ad corrumpendos judices.

Num.

Num.58 dices tuaquoq;. Altera prolepsis (quòd Verres ea signa emerit) refellitur ex eo, quòd nusquam in tabulis Verris, aut ejus patris, istiusmodi emptio inveniatur. *Num 60. hic egonon.*

3. Crimen in libidinibus & cupiditatibus versatur; cæterisque prætermissis, uno selecto Verris facto amplificatur, quòd Lampsaci Filiam Philodami per vim rapere voluerit, & quòd Philodamum ipsum, quia ipsius libidinibus obstitisset, cum filio capite mulctandum curaverit. Est insignis hæc narratio oratoria; habetque eas partes: 1. Verres venit Lampsacum (nobile oppidum, cives quieti) ad janitorem quendam hospitem. *Num 62. at credo in hisce.* 2. Audiens ex suo comite Rubrio, esse Philodami filiam eximia pulchritudine, cùm ipse hospitis relinquendi causam reperire non posset, migrare Rubrius, & ad Philodamum deduci jussit. *Num.63 ut mos erat.* 3. Philodamus vi, & contra jus recipere talem hospitem coactus, tamen splendidè & humaniter apparat convivium. *Num. 65, quod ubi est.* 4. Calente convivio (est hic elegans dialogismus, & hypotiposis) vis affertur filiæ Philodami, fitque domi pugna, & cædes. *Num. 66. Tum Rubrius istius.* 5. Lampsaceni Cives postridie mane consilium capiunt expugnandi domum Verris, huncque occidendi (simili exemplo Adriani) nisi civium Rom. auctoritas intercessisset. *Num.68. postridie mane.* Hìc digreditur Cicero, & comparatione Adriani Prætoris miratur Verrem evasisse, cùm ipse, multis testibus, causam illius tumultus neque veram dicere, neque falsam confingere audeat. *Num. 70. sic ipse multò sceleratior.* Ad prolepsim Verris & Hortensii respondet, Verrem à C.Nerone non absolutum esse improbitatis; sed quia cædes facta esset, Philodamum & ejus filium esse damnatos: verùm ista damnatio cujusmodi fuerit, jam videbitur. *Num.71 nisi verò illud.* 6. Duplex fuit actio ad damnationem Philodami: in prima actione, Judice Dolabella extra provinciam suam, apposito accusatore, nullo defensore, amplificata est causa Philodami. *Num. 72. audite quæso.* In secunda actione, nimis timido atque demisso Nerone, urgente Dolabella, Philodamus cum filio condemnatus est: Mox Orator commiserationem movet ab adjunctis, maximè personarum Philodami, & ejus filii, Neronis, Lampsacenorum, Dolabellæ, Verris. *Num. 75. quid ego nunc.* Præcipuè hujus damnationis causam insectatur, nempe libidinem Verris con-

firmatque testimonio. *Num 77. Verres ne tibi.* Tum apostropha ad Judices, & iterùm ad Verrem nullum ipsi perfugium in hoc judicio futurum; sed Lampsacenorum, qui sunt lenissimi, & populo Rom. amicissimi, causam probatum iri denuntiat *Num. 81. huic homini.* Neque rursus Verres ad Neronis judicium confugiat: cùm enim publicas sibi legato injurias à Lampsacenis factas ulcisci Romæ debeat, exemplo M. Scauri, privatas suæ libidinis solùm persequitur, mirabili cæde Philodami, & ejus filii. *Num. 83. quid si doceo.*

4. Crimen fuit avaritia erga Milesios, à quibus publicam è classe navem accepit & vendidit; quod exclamatione, & numero testium (licèt tabulæ non extent) Cicero exaggerat, *Num. 86. magnum hoc Lampsacenum.*

5. Crimen fuit in tutela Malleoli, quem perfidus Verres, corrupto codice, fortunis patris evertit. Hoc crimen prosopopeia Malleoli defuncti amplificatur. *Num. 90. C. Malleolo quæstore.*

6. Crimen Miliades tangit: nam civitatem afflixit, imperando frumentum, & iniquissimè æstimando; & rationes ad ærarium non referendo. *Num. 95 pro quæstore verò.* Hinc illæ pecuniæ extraordinariæ, quas unde habeat, non constat, ex tabulis: cùm tamen eas tractent Posthumii, *Num. 100. Hinc illa extraordinaria.*

Tertia pars inductionis, *Verres in pratura urbana fur & sceleratus fuit*, faceta transitione, & præteritione dividitur in iniqua edicta, & in sarta tecta exigenda: Jurisdictio & iniqua edicta Prætoris Verris amplificantur quadruplici ex capite seu narratione.

1. Narratio est de P Annio: is non census fecit testamentum, & filiam scripsit hæredem, lege nullâ prohibente: lege enim Voconia vetabatur tantum, qui census esset mulierem suis bonis hæredem instituere. *Num. 104. P. Annius Asellus.* Eam hæreditatem Verres designatus Prætor, ut Annii filiæ adimeret, atque in hæredem substitutum transferret, edicto denunciavit, se mulierculis, quæ hæredes sive à censis, sive à non censis factæ essent, non daturum possessionem. Ubi iterùm est jocus in Verrem à Chelidone, & cupiditate. *Num. 105. iste Prætor.* 4. illi quidem jure prætorio hoc licebat; verùm in eo peccatum est, quod etiam in tempus præteritum edictum valere voluit, cùm satis constet, leges in futurum, non in præteritum valere. *Num. 106. dic quæso cætera.* Confirma-

firmatur inductione aliarum legum, in quibus præteritum tempus reprehenditur *Num.* 108 *in lege Voconia.* Deinde differt edictum, quod est annuum, à lege, quæ est perpetua. *Num.* 109 *qui plurimum.* Tum illud edictum Verris parùm cautum, unius tantum hominis causa, & in posterum, & cupiditate pecuniæ scriptum est; quod nemo est imitatus. *Num.* 110. *ac si hoc juris.* Concludit narrationem Cicero pathetico affectu naturæ erga liberos. *Num.* 112. *atque ego non dubito.*

2. Narratio est de testamento Minucii: cujus hæreditas lege ad gentem Minuciam veniebat; verùm correcto edicto Verres, & unius hominis causâ conscripto, effecit, ut possideret is, qui occupaverat hæreditatem, cùm ad eum lege non veniret. *Num.* 115 *cognoscite aliud.* Quod facinus Cicero variè exagitat ex tabulis, & communi jure Romæ & in Sicilia, & postremò facetiis in edicta Verris. *Num.* 117. *jam hoc ridiculum est.*

3. Narratio (factâ commemoratione crudelitatis, & superbiæ C. Verris) est de hæredibus P. Trebonii: nam Verres liberto, qui jurarat ex mortui voluntate, hæreditatem ademit: iis, qui propter legem Corneliam (hæc lex vetabat proscriptum juvari) noluerant jurare, hæreditatem dedit. Hoc est quidem Prætoris officium, quod est æquum decernere; non de Cornelia lege (quæsitorum hoc est munus) cogitare, quæ pœnas irrogat, non ei, qui jus dicit, sed ei qui proscriptum juvat. *Num.* 122 *in plebem verò.*

4. Narratio est de M. Octavio Ligure, à quo iniquissimè Verres pecuniam canibus suis, id est, circùm se servis, petiit; cùm illi pridem hæreditas, & ante Verris edictum jure venisset *Num* 125. *verùm ut ex uno.*

Alterum crimen in sartis tectis exigendis constat longâ narratione de cæde Castoris, ad damnum pupilli Iunii. Hoc crimen ingreditur Orator testimonio multorum *Num.* 128. *in sartis tectis.* Atque impudens Verres latrocinia incepit ab æde Castoris: de qua æde cùm cognoscendi & judicandi potestatem haberet, statim pupillum Iunium prædam esse voluit, accersito Q. Rabonio. *Num* 133. *venit ipse.* Parentes Pupilli, & ejus tutor M. Marcellus, improvisâ calamitate nunciata, frustrà conveniunt; hic Verrem, illi Chelidonem: de qua muliere est indignatio, confirmato testimonio etiam Domitii adolescentis. *Num.* 125. *nova res atque.* Interim Rabonius grandem affert pecuniam

Verri, ut pupillus ab ea controversiæ molestia liberetur: at Verres (adverte prosopopeiam) spe majoris pecuniæ, locat opus, neque illud à pupillo redimi sinit. *Num.* 140. *rejecti à Chelidone.* Quam injuriam Cicero amplificat à persona pupilli, & ejus tutorum, & Prætoris Verris, qui iniquè locavit opus non tanti pretii. *Num.* 144 *hic te si res ipsa.* Ad prolepsim Verris (qui negare poterat locationis utilitatem ad se pervenire, quia poterat aliquis de populo ad redimendum opus accedere) respondet Cicero omnes, uti pupillum, occisos esse; ac neminem propter præstitutũ diem operi absolvendo, ad id negotium accessisse; itaque locus factus est soli Rabonio, quem Verres apposuit; qui tamen ista die opus non absolvit; neque Verres pecuniam à Rabonio pro opere acceptam in suas tabulas retulit, ne suum furtum patefaceret. *Num.* 148. *at enim pupillo.* Denique Verres remisit D. Bruto CX. millia, ne hic rem sermonibus dissiparet; igitur Verri proposita fuit hæc præda, seu pecunia hujus operis. *Num.* 150. *nam quid argumentamur.*

Post narrationem excitat Orator misericordiam, producto in conspectum (querente Hortensio) atrato Junii filio, sensuque matris, & tutorum. *Num.* 151 *hic etiam priora.* Comparatione verò eorum, quæ Verres gessit in Phrygia, Pamphilia, Sicilia, & hic in æde Castoris, magnam ipsi comparat invidiam. *Num.* 154. *quæremus etiam.* Postremò insectatur Verrem, quòd judicium in prætura publicum exercuerit; publica enim judicia ad Prætorem urbanum non attinebant; sed ejus erat in privatis causis jurisdictio. *Num.* 155 *atque etiam.* Præsertim quòd in subsortitione Juniana corruperit tabulas suas, & sustulerit Judicum nomina, quæ scripserat anteà ex ista subsortitione, alios autem Judices reposuerit, ut omnis ad Junium pertinere culpa videretur, qui proptereà tanquam auctor corrupti judicii damnatus est. *Num.* 157. *nam de subsortitione.*

ANNOTATIO.

Orator inductione recenset C. Verris furta & scelera in quæstura, legatione, & prætura urbana: quæ narrationibus oratoriis, & interjectis motibus indignationis atque odii amplificat. Magna est porrò suavitas in his narrationibus, & simplex perspicuitas, quæ sine satietate delectet: nam quando res est longior, facetiæ ac varius sermo effugit tædium.

Non est peroratio; nam hæc oratio videtur connexa cum sequenti.

IV. VER-

IV. VERRINA

Seu

LIB. I. ACT. II.

IN C. VERREM,

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Tota Pratura Siciliensis accusatio quatuor criminum genera complectitur; de jurisdictione, de frumento, de signis, de suppliciis; qua quatuor sequentibus distributa libris argumento non indigent.

Quæstio est in genere judiciali, an C. Verri Sicilia Pratori sit parcendum.

Stylus est ferè tenuis.

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Cicero probat diligentiam ac fidem suam erga Siculos, civesque Rom quando illorum causam contra sceleratum Verrem, ejusque fautores suscipit.

Digreditur etiam in laudem Siciliæ à dignitate, utilitate, amicitia istius insulæ.

PROPOSITIO.

C. Verri Siciliæ prætori non est parcendum.

ARGUMENTA.

Quia C. Verres Siciliæ Prætor nulli homini, aut rei pepercit; sed omnium communis hostis, prædoque fuit.

ARGUMENTATIO.

1. Argument. Verres iniquissimè ob pecuniam rogavit, & judicavit, de Dione, Sosippo, & Epicrate fratribus, Heraclio, Epicrate Bidino, Sopatro, Sthenio: igitur C. Verres Siciliæ prætor, nulli homini pepercit; sed omnium communis hostis, prædoque fuit.

2. Argum. Verres jurisdictionem, & honores senatorios, sacros, censorios, venales habuit; statuas extorsit; in furtis collusit cum publicanis. ergo C. Verres Siciliæ prætor nulli rei pepercit; sed omnium communis hostis prædoque fuit.

AMPLI-

AMPLIFICATIO ET AFFECTUS.

5. ARGUMENTAT.

Verres Dionem, Haleſinum, duos fratres Soſippum & Epicratem Agyrinenſes hæreditate ſpoliavit, Veneris nomine & impudente calumnia.

Heraclium Syracuſanum & Epicratem Bidinum, per ſubornatos palæſtritas, operâ adminiſtri cujuſdam Volcatii non tantùm legitima hæreditate, ſed bonis etiam patriis evertit.

Sopatrum Heraclienſem, ſine conſilio, & rei patrono, neglecto etiam C. Sacerdotis judicio, rei capitalis condemnavit.

Sthenium Thermitanum hoſpitem ſuum ſumma cupiditate, ſtupro, crudelitate, abſentem, ſine argumento, teſte, accuſatore, exemplo damnavit.

6. ARGUMENTAT.

Verres Halcſinis, & Agrigentinis honore ſenatorios vendidit: ſacros item honores vendidit Theomnetto Syracuſano, & Climachiæ Cephaleditano: Cenſorios verò paſſim; nam turpiſſimo mercatu indicto, ſine comitiis, domi Verris cenſura omnium civitatum emebatur, Timarchide adminiſtro.

Averſâ pecuniâ, ſine modo, ab invitis per vim ac metum extorſit ſtatuas; & ſtatuarum nomine magnas pecunias, in omnibus ferè Civitatibus Siciliæ: ipſi autem poſtea Syracuſani, Tauromitani, Tyndaritani, Centuripini iſtas ſtatuas dejecerunt in odium Verris.

Iniit ſocietatem cum L. Carpinatio, Publicanorum Magiſtro: hic furtorum ſocius, litteras Decumanorum (quæ condemnaſſent Verrem) & decreta, & tabulas removit: quæ Cicero magna fide ac diligentia inveſtigavit, & tandem ex duobus libellis omnes Verris fraudes manifeſtè cognovit.

PERORATIO. Apoſtropha ad Hortenſium quòd ſine pudore, ac diſſimili exemplo oratorum, defendat Verrem.

EXORDIUM.

Cicero causam Siciliæ, & populi Rom. suscepit accusando Verrem, præmissis multis ejus furtis & flagitiis. *Num* 1. *Multa mihi.* Digreditur in laudem Siciliæ, 1. à dignitate, & vetustate amicitiæ cum Romanis. *Num.* 2. *atque adeò* Confirmatur ea laus testimonio P. Africani. & M Marcelli. *Num* 3. *itaque majoribus*, 2. Ab utilitate istius insulæ, quæ populum Rom. frumento, pecunia, mercatura, vectigalibus semper juvit. *Num.* 5. *quando illa*, 3. Ab incolarum fide, & amore erga Romanos & tolerantia injuriarum. *Num.* 7. *jam verò.* Atque iidem Siculi pertulissent etiam Verrem, si is humano modo peccasset. verùm ipsi contra hunc sceleratum Prætorem Romæ auxilium, & (est reditus ex digressione) accusatorem Ciceronem postularunt. *Num.* 9. *hunc denique ipsum.* Tanto animo omnes Siculi (exceptis Mamertinis, quorum laudatio discutietur quartò libro) instituerunt accusationem adversus Verrem, ut non reformidarint fautores Verris, ac L. Metellum Prætorem, qui ipsi successit. *Num.* 12. *hi porrò qui.* Neque Verrem soli Siculi persequuntur, sed etiam cives Rom. qui in Sicilia negotiantur. *Num.* 15. *at enim istum.*

ANNOTATIO.

Orator istius diligentia, ac fidei suæ erga Siculos, Civesq; Rom. commendatione utitur, & digressione in laudem Siciliæ, ut & apud Iudices Siculi plus auctoritatis habeant in sua causa, & ipse orator plus attentionis & benevolentiæ in reliqua contentione.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc, C. Verri Siciliæ Prætori non est parcendum.

Distributio, seu argumenta: quia C. Verres Siciliæ Prætor nulli homini, aut rei pepercit: sed omnium communis hostis prædoque fuit. *Num* 17. *quapropter istius.*

CON-

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, C. *Verres Siciliæ Prætor nulli homini pepercit; sed omnium communis hostis prædoque fuit*, exponitur hoc Enthymemate: C. Verres Siciliæ Prætor iniquissimè ob pecuniam cognovit & judicavit de Dione, Sosippo & Epicrate fratribus, Heraclio, Epicrate Bidino, Sopatro, Sthenio: igitur C. Verres Siciliæ Prætor nulli homini pepercit; sed omnium communis hostis prædoque fuit.

Antecedentis 1. Pars, *de Dione*, præmisso joco in nomen Verris, 1. hac narratione exponitur: Verres audiens à quadruplatoribus magnam Dioni obvenisse hæreditatem, quæ Ericinæ Veneri deberetur; apposito ad hoc negotium Turpione, condemnat Dionem, sed hæreditatem illam ad se transfert, Veneri nihil tribuit, ut eum Veneri absolvisse, sibi condemnasse videretur. *Num.* 19. *quo die Siciliam.* Fraus Verris testimonio multorum confirmatur. *Num.* 23. *quid ego nunc.*

Antecedentis 2. pars, de Sosippo, & Epicrate fratribus, 2. narratione constat: Verres impudente calumnia, duobus & viginti annis post mortem patris, ab his fratribus Veneris nomine pecuniam petiit, & judicio rapuit. *Num.* 25. *accipite aliam.* Prolepsis seu defensio Verris rejicitur ex eo, quòd licet ad Volcatium pecunia ista pervenerit, Verres tamen causa sit imperans ac moralis numeratæ, seu raptæ pecuniæ: quæcumque igitur Verris comites faciunt, censeri debet Verres fecisse; alias istam defensionis rationem multi pariter tentarent. *Num.* 26. *at enim ad Verrem.* Amplificat Cicero quàm periculosa sit ista per comites defensionis ratio, ex communi officio Præsidum, & exemplo Africani. *Num.* 28. *qua de re Iudices.* Amplificat etiã ex Prætoris potestate, qui Judices quos vult, jurisque formulã dat: quod fecit improbus prætor Verres, pluribus judiciis, utens Judicibus (inter hos Cicero fingit Balbum, qui in hac Verris causa Judex etiam sedebat) Romanis (cum dari Siculos oporteret) qui à voluntate Verris, ejusque præscripta formula discedere sine capitis periculo non possent. *Num.* 30. *Dubium nemini est.*

Ante-

Antecedentis 3. pars, *de Heraclio*, 3. hac narratione ostenditur: audiens item Verres à Cleomene & Æschrione magnam Heraclio pecuniam venisse ex testamento propinqui sui, ut statuas in palæstra deberet ponere, subornavit, qui negarent id ex testamento fecisse. *Num.* 35. *Heraclius est.* Vocatur Heraclius in judicium; cumque Siculorum jure Judices sortiri vellet ex lege Rupilia, negavit Verres se Judices ex lege Rupilia sortiturum : quinque Judices, quos ei libuit, dedit: quòd amplificat affectu odii Cicero. *Num.* 37. *scribitur Heraclio.* Postero die cum Heraclius non adesset amens Verres damnari absentem imperat, non jam à quinque Judicibus, sed à tribus è lege Rupilia : quod iterum odit Cicero. *Num.* 41. *verùm ut institui.* Ad prolepsim, hoc est, si dicitur ista hæreditas Syracusanis data, tamen id impunè non licet Verri Heraclio eripere, quòd tradat palæstritis: multò minùs bona patria: de quo per concessionem subjicitur tertius affectus odii. *Num.* 45. *Ergo, inquiet, aliquis donavit.* Augetur affectus ab adjunctis dispertitorum bonorum miseri Heraclii, cum rumore populi & clamore in furto manifesto *Num.* 46. *qui simul ac profugit.* Rursus ad prolepsim, Cicero tabulis & testibus arguit malitiam Verris, qui spoliata urbe, & sublatis festis, ut Verrea reponeret (de quo est ironica indignatio) genero, & suis, & Syracusanis ita pecuniam dabat, ut ad se rediret ; itaque à se ipso infamiam averteret. *Num* 49. *& tamen ajunt eum.*

Antecedentis 4. pars, *de Epicrate Bidino*, 4. hac narratione exprimitur: obvenerat Epicrati hæreditas etiam legitima, quando hunc palæstritæ Bidenses bonis evertere cogitaverunt, numerata non Prætori Verri ad cautionem, sed cuidam Volcatio pecunia, quæ deinde ut supra, ad ipsum perveniret. *Num.* 53. *quàm facilè serpat.* Re cognita Heraclius fugit, ne sibi, uti Heraclio, præsenti dica scriberetur; & Rhegii palæstritas malè accipit. *Num.* 55 *per quendam eorum.* Illis spe sua frustratis, pecuniã referri jubet Verres, per Volcatium, qui Prætoris infamiam, quoniã tentatum erat pecunia judicium, cum suâ ignominia liberavit: verùm Orator hæc iniqua Verris judicia, & collusiones pecuniarum, & fraudem Bidinorum, argumentis demonstrat. *Num.* 56. *Redeunt illi Rhegio.* Denique nova calumnia ita rem ad extremum deduxit Verres, ut & hæreditas Heraclii, & bona patria majori lucro, & callida arte furandi, ad se pervenirent.

Num.

Num. 60, *cum omnia.* Postremo loco commemorat Cicero, quomodo biennio post L. Metellus restituit Heraclium, & Epicratem: at Letilius legatus à Verre venit, qui ita terruit miseros Siculos, ut nisi Cicero præsens contra pugnasset, tam multos testes sceleris Verris, evocare Romam non posset. *Num.* 62. *hic nunc de miseria.*

Antecedentis 5. pars, *de Sopatro.* 5. narratione effertur: Sopater ab inimicis suis, apud C. Sacerdotem Prætorem rei capitalis accusatus, & facilè eo judicio liberatus, iterum restitutus est reus apud Verrem. *Num.* 68. *Iam verò in rerum.* Timarchides administer Verris, Sopatrum adegit ad pecuniam. *Num.* 69. *intereaistius.* Cui secundò cum Timarchides majores pecunias peteret, negavit Sopater se daturum, atque securus ad Judicium cum suis defensoribus venit. *Num.* 70 *iterum ad Sopatrum.* Dimisso à Verre consilio, sola cohorte retenta, Q. Minutius, qui Sopatrum defendebat, noluit dicere, sed à subselliis discessit, adverte dialogismum. *Num.* 71. *cognoscite hominis.* Æstuans Verres (vide ethopeiam) quid ageret, Sopatrumne pecuniosum absolveret, an innocentem reum sine patrono, atque advocatis, ipse Prætor sine consilio, & rescisso C. Sacerdotis judicio damnaret: repentè citatis testibus & breviter auditis, hominem condemnavit. *Num.* 74, *ipse quamquam est.* Hic de more Orator post narrationem concessione insultat iniquo Judici Verri. *Num.* 76. *retinete, retinete,* Mox ejus flagitium exaggerat amplificatione per incrementum *Num.* 78. *etenim si illud.* Et comparatione Balbi & Staleni (qui cum ab Oppianico, ut absolveretur, pecuniam accepissent, eum tamen postea condemnaverunt) hunc hominem è numero Judicum amandandum concludit, omniaque testibus confirmat. *Num.* 79, *quem mihi tu.*

Antecedentis 6. pars, *de Sthenio.* 6. narratione distribuitur. 1. Verres maxima cupiditate, contra jus hospitii, multa signa abstulit à Sthenio. *Num.* 82. *dixi jam antea.* Et simul cum ex civitate (quam P. Africanus ornarat) plura antiquissima & venustissima vellet auferre, Sthenius vehementissimè restitit. *Num.* 85 *interea cupiditate* 2 Verres stupro conjunctior novis hospitibus, seu inimicis Sthenii, ficta accusatione de literis publicis corruptis cum ille Romam profugisset, absentem sine ullo argumento, sine teste, sine exemplo damnavit. *Num.* 85 *itaque iste vehementer.* 3. idem Verres pari

pari crudelitate, deferente Pacilio quodam homine egente & levi, Romæ de hac injuria, in Senatu facta attentione, deprecante Verris patre, & litteras ad filium mittente, tamen Sthenium rei capitalis affinem citari jubet. *Nu.* 94. *ea postquã.* Non respondente Sthenio (interseritur hic parva digressio seu apostropha in Verrem, qui nec patris nec salutis suæ rationem habuit) non respondente etiam accusatore; cum uterque citaretur, ausus est hominem condemnare. *Num.* 98. *si abs te istam.* Postea sibi timens Verres non confugit ad id, quod defendi poterat, recipi nomen absentis licere; sed in laqueos se induit, corrumpendo tabulas, & in iis tollendo, quod erat testatum omnibus, & lituris faciendo Sthenium coram delatum esse. *Num.* 100. *nuntiabatur illis.* Deinde Verres alia dementia, Sthenio, homini Siculo, cognitorem adscripsit Romanum, ignobilem, inimicum Sthenio, familiarem Verri, quem Cicero describit hypotiposi, facta prius sustentatione. *Num.* 105. *videte porrò.* Concluditur narratio affectu odii in Verrem, à persona Sthenii, 1. hujus laus & merita amplificantur testimonio Siculorum, & Cn. Pompeii. *Num* 110. *at quem hominem.* 2. fit dissimilis comparatio flagitiosi Verris, & Sthenii. *Num.* 114. *denique nunc vide* 3. Ea est causa Sthenii, ut hanc, vel si non esset conjuncta cum communi causa Siculorum, solùm contra Verrem, susciperet orator exemplo multorum. *Num.* 117. *hic ego si.*

Propositionis 2. Argumentum, *C. Verres Siciliæ Prætor, nulli rei pepercit, sed omnium communis hostis prædoq; fuit,* hoc pariter enthymemate exponitur: C. Verres Siciliæ prætor jurisdictionem, & honores senatorios, sacros, censorios venales habuit, statuas extorsit, in furtis collusit cum publicanis: ergo C. Verres Siciliæ Prætor nulli rei pepercit; sed omnium communis hostis prædoque fuit.

Antecedentis pars 1. *de jurisdictione, & honoribus senatoriis venditis,* patet plurium testimonio. *Num.* 119. *audistis ob jus.* Nominatim testimonio Halesinorum, quorum leges à Senatu datas evertit iste prætor, *Num* 122 *Halesini pro multis.* Item testimonio Agrigentinorum, quorum omnia jura pretio Verres exæquavit. Idem fecit Heracliæ. *Num.* 123 *Agrigentini de Senatu.*

Antecedentis pars 2. *de venditis honoribus sacris*, narratur duplici facinore: 1. Syracusis Verres falsa sortitione, Theomnasto Jovis sacerdotium dedit. *Num.* 126. *hoc idem*

trans-

transfero. 2. Cephaledii exempto de fastis uno, dimidiatoque mense, Climachiam juvenem sacerdotem creavit. *Num.* 128. *Cephaledii mensis est.*

Antecedentis pars 3. *de venditis honoribus censoriis*, describitur ex eo, quòd quasi concordiæ causa, sed revera turpissimo mercatu indicto, sine comitiis, domi Verris, censura omnium civitatum emeretur. *Num.* 131. *jam verò Censores.* Fit digressio per Ethopeiam in Timarchidem Verris administrum, qui in istis nundinis sua molestia consequebatur, ut ad Verrem, nulla sollicitudine, summa pecunia referretur. *Num.* 133. *iam hic Timarchides.* Deinde apostropha ad Verrem, probat alterum pecuniæ quæstum ex positis ipsi statuis *Num.* 137. *jam hoc impudentissimè.* Probat etiam iniquos census istius provinciæ, quando Censores non legibus essent facti; nec pœnam legibus constitutam metuerent: propterea Q. Metellus, licet amicus Verris, tamen hujus census magna ignominia sustulit, & Peducæanum censum observari jussit. *Num.* 138. *itaque Censores.*

Antecedentis pars 4. *de extortis statuis*, certa est testimonio etiam Verris, qui statuarum nomine magnas pecunias abstulit: quæ quidem pecuniæ, sive sint consumptæ, sive consumendæ; tamen hoc ferendum nullo modo est tantam à sociis pecuniam auferri. *Num.* 141. *& quoniam de ea.* Deinde ex statuis averti pecunia domum non potest, statuarum modus quidam esse debet, illas ab invitis exigi non oportet: quæ tria commisit Verres. Primum dilemmate probatur *Num.* 143 *quòd si quem.* Alterum subjectione ostenditur ex numerata Timarchida pecunia. *Num.* 144. *quòd verò modum.* Tertium affertur testimonio omnium civitatum Siciliæ, quæ vi ac metu adductæ, pecuniam statuarum nomine contulerunt. *Num.* 145. *quòd si hoc.* Et confirmatur novis quatuor postulatis omnium Siculorum 1. propter injurias Verris, ut ne cogantur statuas Prætori ponere, antequam discesserit, sed ut ipsis ne liceat 2. ut Rom. magistratus posthac Decumas lege Hieronica vendant. 3. ne in cellam quod imperatur æstiment. 4. ne absentis nomen recipiatur. His subjicitur dialogismus. *Num.* 146. *nam legationes.* Prolepsim Verris, seu ejus defensionem ex odio aratorum rejicit orator, hoc dilemmate: aratores vel honoris causa, vel metu statuam Verri posuerunt: si prius, non oderunt: si posteriùs, sunt coacti pecunias dare. *Num.* 149. *videe &*

& perspico. Clauditur dilemma exclamatione seu concessione ironica. *Num.* 151. *ô causam singularem!* Jam descendit Orator in specie ad civitates Siciliæ, à quibus Verres statuas extorsit: Syracusis & alibi statuas Verris quasi à communi Sicilia datas cavillatur. *Num.* 154. *venio nunc.* Ostendit enim multis testimoniis, & legationibus, & accusationibus omnes Siculos Verri esse inimicissimos, nec ipsi quemquam honoris causa statuas erexisse : ubi simile est dilemma, ac prius de aratoribus. *Num* 155. *quamobrem? qui hoc.* præsertim amplificat statuas Verris nullâ religione (qua maximè ducuntur Græci, ut apud Rhodium constat, ex intacta Mithridatis Regis statua) dejectas 1. à Tauromitanis. *Num.* 158. *de homine.* 2. Tyndaritanis, & Syracusanis. *Num.* 160. *Tindaritani dejecerunt.* 3. à Centuripinis publico consilio, atque auctoritate ; nisi Metellus eas statuas reposuit : de quo queritur Cicero. *Num.* 161. *Centuripinorum senatus.* Concludit Orator quasi anacephaleosi omnibus Siculis odio esse Verrem, nec ipsi spem ullam esse posse in istis statuis, quas extorsit. *Num* .165. *jam igitur est.*

Antecedentis pars 5. *de collusione in furtis cum Publicanis,* infertur ex familiaritate & conjunctione Verris cum L. Carpinatio, publicanorum magistro, qui cum antè sæpius de injuriis furtisque Verris litteras ad socios misisset ; postea furtorum socius fuit Verri. *Num.* 169. *nisi fortè quod.* Itaque Carpinatius apud socios, præsertim Decumanos effecit, ut litteræ, quæ condemnando Verri essent, removerentur : quod fide & religione testium confirmat Cicero. *Num.* 172. *ad extremum verò.* Atque ex his litteris ita remotis Orator contra Hortensium assumit licere sibi plus dicere de criminibus Verris, & Judici plus suspicari : ubi dilemma est, & subjectio. *Num.* 176. *At vide quid.* Tum præteritione & concessione venit ad fidem ac diligentiam suam, quâ ista Decumanorum decreta, & remotas litteras investigavit ; ut jam Verres manifestis criminibus absolvi non possit *Num* 179. *quod cùm ita sit.* Primùm narrat quomodo apud L. Vibium eo ipso anno magistrum, duos à L. Canuleio missos libellos invenerit, ex quibus sui prætoris furta cognorit. *Num.* 181. *nam quòd in.* Deinde narrat, quomodo in tabulis sociorum, quæ removeri honestè non potuerunt, deprehenderit litteras circa nomen Verrutii, &

qui

qui sit iste Verrutius noluerit Carpinatius dicere; quibus apertè convincit Verrem. *Num.* 186. *Nunc ad sociorum.*

ANNOTATIO.

Contentionem Cicero variis narrationibus oratoriis confirmat, amplificatque: post narrationes autem ferè singulas digreditur in affectus contra sceleratum Verrem, atque perpetuo instat absolvi Verrem à judicibus Rom. non posse, quem omnes Siculi oderunt & legationibus suis damnarunt.

PERORATIO.

Convicto Verre Cicero ad Judices, & ad defensorem Verris Hortensium se convertit, proposito dissimili exemplo veterum oratorum, Crassi, & Antonii, qui nunquam reum omni ex parte turpem ac sceleratum defendere ausi sunt. Adverte subjectionem. *Num.* 191. *sic habent se.*

ANNOTATIO.

Insinuatio est in reprehendendo Hortensio; ipsique jam prolatis tabulis, & testibus, & argumentis insultat. Caterùm utrum hac sit peroratio, an in Hortensium digressio, dubium est.

V. VERRINA

Seu

LIBER III. ACT. II. IN C. VERREM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Argumentum vide in superiore oratione. Quæstio est in genere judiciali, an in causa frumentaria improbus sit Verres. Stylus tenuis quidem, sed interdum assurgit amplificationibus, præsertim post narrationes.

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Ab onere seu necessitate vitæ integerrimæ, quam Cicero suscipit in accusando consceleratissimum Verrem.

PROPOSITIO. In causâ frumentaria improbus est Verres.

ARGUMENTA. Quia in frumento Decumano, & empto, & æstimato magnas Siculis injurias fecit.

AMPLI-

ARGUMENTATIO,

1. ARGUMENTI.

Verres exigit Decumas ad arbitrium Decumanorum sublata lege Hieronica, & pecunias frumentario nomine maximas cepit: igitur Verres in Decumano frumento magnas Siculis injurias fecit.

2. ARGUMENTI.

Verres maximo atque impudentissimo furto publicam empti frumenti pecuniam in proprios quæstus convertit: igitur Verres in empto frumento magnas Siculis injurias fecit.

3. ARGUMENTI.

Verres & imperavit majorem tritici numerum, quàm legibus liceret, & æstimatione auxit, ut pro ternis sestertiis ternos denarios à civitatibus exigeret: igitur Verres in æstimato frumento magnas Siculis injurias fecit.

AMPLIFICATIO, ET

1. ARGUMENTATIO.

Verres optimam legem Hieronicam commutare ausus est, & improbis tribus edictis exigere Decumas pro arbitrio Decumanorum, qui erant, æquè ut ipse, nequam & improbi: præsertim facta collusione inter hos & recuperatores, quos Prætor Verres dabat ex sua cohorte. Deinde confutatur Verres ad utilitatem ærarii Decumas vendidisse pluris, quàm cæteri Prætores; & accusatur in-

2. ARGUMENTATIONIS.

Empti frumenti publicam pecuniam Verres fœneratus est, avertit, detraxit: quæ & multorum testimonio confirmantur, & in his improbitas Verris arguitur.

AFFE-

5. ARGUMENTATIONIS.

In æſtimato frumento duplex fuit Verris quæſtus, tam iniquus, ut nullius unquam Prætoris exemplo, nulla Senatus auctoritate, ſummo Reipubl. periculo, maxima totius Siciliæ vaſtatione, & luctu factus ſit.

... ductione, & enumeratione plurium privatorum hominum, & civitatum, à quibus Verres frumentario nomine pecunias eripuit; tum convincitur litteris L. Metelli, teſtimonio Apronii, ſermone Decumanorum, ſponſione P. Rubrii, denique epiſtola Timarchidis.

... NIS. AFFECTUS.

PERORATIO. Commiſeratione digni ſunt aratores Siculi: acerrimè puniendus Prætor Verres.

EXOR-

EXORDIUM.

INtegerrimæ vitæ onus suscipit is, qui alterum accusat, *Num* 1. *omnes qui*. Confirmatur testimonio L. Crassi. *Num. 2 ita hic iudices.*

Cicero hoc onus seu necessitatem integrè vivendi ampliùs suscipit, quàm cæteri: quia omnis sceleris affinem hominem accusat. *Num. 4. atque hoc ego.* Atque hæc integritas Ciceronis facit, ut sibi dissimilem studiis & voluntatibus Verrem habeat inimicum: contrà verò Hortensius, & adversarii illum ament, atque defendant, quia nec castè, nec integrè versantur. Quæ elegantissimè indignatus Cicero per enumerationem scelerum Verris, & repetitiones, & antitheses, & ethopeiam adversariorum amplificat. *Num. 6. & in hoc homine.*

ANNOTATIO.

Hoc exordio Cicero benevolentiam Iudicum conciliat ab integritate suæ vitæ, & ratione accusandi Verrem, non proprio commodo, sed utilitate Reip. Auget istam benevolentiam, opposita Hortensii, & adversariorum corruptione, & incontinentiâ. Mox in Contentionis propositione attentionem, in partitione docilitatem comparabit.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: in causa frumentaria improbus est Verres. *Num.* 10. *verùm hac dicentur.*

Distributio seu argumenta sunt hæc tria: 1. quia in Decumano frumento. 2. in empto, 3. in æstimato magnas Siculis injurias fecit. *Num.* 11. *in hac causa.*

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum. *Verres in Decumano frumento magnas Siculis injurias fecit*, hoc Enthimemate complexus est: Verres exegit Decumas ad arbitrium Decumanorum, sublata lege Hieronica; & pecunias frumentario nomine maximas cepit: igitur Verres in Decumano frumento magnas Siculis injurias fecit.

Antecedentis primam partem ingreditur descriptione juris, & vectigalium Siciliæ, quæ Verres convellere & commutare ausus est. *Num.* 12. *inter Siciliam.*

Mox istam audaciam cavillatur acri ironia ab ingenio Verris, cujus est res novas excogitare, confirmatque invidiosâ enumeratione plurium ejusdem edictorum. *Num.* 16. *qua in re.* Deinde accusat ab adjunctis legis Heronicæ, acutè & diligenter scriptæ, quam Verres injussu populi Rom. sine Senatus auctoritate, cum detrimento Siciliæ, & Reip. avertit. *Num.* 17. *quamobrem novam.* Tum insectatur ab improbis & novis edictis per certos nequam Decumanos, quorum princeps describitur Apronius. *Num.* 21. *cum hæc essent.* Primùm edictum (ut arator tantum det, quantum Decumanus ediderit) recenset dialogismo aratoris, qui de Verris injuria conqueritur, & Decumani. *Num.* 25. *primum edictum.* Ejus verò iniquitatem 1. exagitat à persona recuperatorum quos dabat ex sua cohorte Verres. Hic alter est dialogismus aratorum & Verris. *Num.* 26. *Negat me recitare totum.* 2. Exagitat ab istorum recuperatorum (quos rursus describit,) collusione cum Decumanis: nam in tantis incommodis aratorum, injuriisque Decumanorum, nullum ex isto edicto non modò factum, sed ne postulatum quidem judicium fuit. *Num.* 29. *atque ut intelligatis.* Tertiò exagitat ironia, & octuplici judicio in Decumanos, tantum quadruplici in aratores, quasi Verres in eos sit lenior: deinde à clausula edicti, quâ lepidè se furari putat, cum hoc judicium recuperatorum in utriusque arbitrio relinquit; non enim erat dubium, quin hos Judices Decumani postularent. *Num.* 34. *erit tamen.* Secundum edictum: (ne quis frumentum de area tolleret,

ante-

antequam cum Decumano pactus esset) arguit quòd sit peculiare,& novum, Verrisque proprium, non cum aliis commune Prætoribus: ex quo non Siculorum modò, sed equitum etiam Rom. incommodum sequeretur. *Num.36. quid illa cujusmodi.*

Tertium edictum: (ut arator Decumano, quo is vellet, vadimonium promitteret) reprehendit ab astuto contrahendi quæstus consilio: nam aratores miseri, ne tam longè. v.G. à Leontino usque ad Lilybæum ire cogerentur, quavis etiam iniquissima conditione cum Apronio paciscebantur. *Num.38. Iam verò illud.*

Clauditur prima pars antecedentis parvâ subjectione. *Num 39. quid igitur.*

Antecedentis secunda pars, *Verres pecunias frumentario nomine maximas cepit,* constat confutatione primùm: nam Orator defensionem Verris,seu prolepsim (dicebat se ad utilitatem ærarii Decumas magni vendidisse, & pluris, quàm cæteri Prætores) refellit primò ironicâ subjectione, ab innocentia,& diligentia,& ingenio Verris.*Num.40. sed vos fortasse.*

Refellit secundò dissimili exemplo,& auctoritate superiorum Prætorum, L.Hortensii, Cn Pompeii, M.Marcelli,in exigendis Decumis. *Num.41. quare igitur.*

Refellit tertiò dissimili exemplo Q.Metelli, qui successit, ejusque litteris ad Siciliæ civitates; neque enim is ad consequendos honores minùs, quàm Verres, locupletare ærarium studuit,sed non istâ ratione. *Num.43. successit tibi.* Refellit quartò judicio publico Siculorum, qui Verrem absentem accusarunt,cùm adhuc Siciliæ præesset. *Num. 45. Quid? Metello.*

Refellit quintò ab agrorum solitudine, & vastatione, adjectâ indignatione seu apostrophâ ad Verrem. *Num. 46. non mehercule.*

Refellit denique sextò,manifesto furto Verris, qui cum suis nequam Decumanis sociis pecunias non minùs domum suam avertit,quàm ad ærarium Romanum misit insigni Siciliæ & Reip. injuria. *Num.49. magno tu Decumas.*

Antecedentis pars eadem constat deindè inductione, seu enumeratione plurium privatorum hominum, & civitatum, à quibus Verres frumentario nomine pecunias eripuit.

Primò à Nymphone,qui per istos optimos recuperatores

condemnatus est, antequam planè constitit. **Num. 53. *Etenim quum iam.***

Secundò à Xenone, qui metu virgarum magis, quàm judicii, quod ejus colonus peccasset, tantùm Decumanis, quantum Verres imperavit, exsolvit. *Num 55 Xenonis Meneni.*

Tertiò à Polemarcho, & Eubulide, qui pugnis & calcibus concisi, tantùm frumenti promittere & dare coacti sunt, quantum libuit Prætori, & Apronio *Num. 56. Polemarchus est.*

Quartò à Sostrato, Numerio, & Nymphodoro fratribus: Nymphodorum Apronius suspendi jussit in oleastro Ætnæ in foro. *Num. 57. Sostratus est.*

Digreditur Cicero præteritione Verris in Apronii regnum sceleráque non tantùm contra Siculos, sed etiam contra Rom. *Num 58. contempsit Siculos.*

Præsertim injurias C. Matrinio, & Q. Lollio factas commemorat. *Num. 60 qui C. Matrinium.*

Concludit hanc partem antecedentis de privatorum hominum injuriis, apostrophâ ad Verrem, & anacephalæosi criminum Apronii. *Num 64. Iamne intelligitis.* Jam de civitatibus: primò Agyrinenses, quasi contra edictum Prætoris fecissent, quòd addere Apronio lucrum noluissent, terruit primùm, & recuperatores se de cohorte sua daturum minatus est. *Num. 67. ac primùm.* Deinde cùm illi perstarent, damnatò virgas ad necem intentavit: quàm ut ipsi ignominiam effugerent, rogaverunt ut sibi suos agros vacuos Apronio tradere liceret *Num. 69. tum iste.*

Digreditur Cicero obiter in defensorem Verris Hortensium, & subjectione ista præclara Prætoris edicta, & recuperatorum judicia, & Apronii lucrum, & virgarum metum commemorat, ut dicatur Verres magno Decumas vendidisse. *Num 70 hac lege* **Iudices** Tum ubi virgarum metum Agyrinenses, quod imperatum esset, facturos se esse dixerunt, tyrannicè Verres imperat Agyrinensibus, ut Decumas ipsi publicè accipiant, Apronio lucrum dent tritici medimna XXXIII. insuper ut probetur frumentum, addi imperat nummos, medimna LX quæ omnia litteris publicis, & auctoritate testium confirmantur. *Num. 71. virgarum metu.*

Secundò Herbitenses pariter coegit Verres tribus annis sibi, & Apronio, & duobus Decumanis suis Æschrioni, & Decimo (quorum uxores Pippam, & Tertiam habebat) dare lucrum

lucrum & triticum, quantum vellet. De quo plures, ut solet sunt facetiæ Ciceronis, & comparatio Verris cum Regibus Persarum. *Num.75 Etenim deinceps.*

In fine conflat Verri odium à gemitu Herbitensium civium, & fuga aratorum, tum comparatione Syllæ: quia Verres de eo, quod ex Decumis Æschrioni venditis populo Rom. debebatur, demere ausus est, amore Pippæ. *Num. 79. Atq; ego nunc.*

Tertiò Segestensium Decumas cùm vendidisset Docimo quinque millibus medimnûm, atque in tabulas retulisset posteà, cùm tria millia de capite demeret (quæ Tertiæ Mimæ donavit) tabulas corrupit, & scripsit vendidisse duobus millibus; ita rursus minùs dedit populo Rom. quàm Mimæ. *Num. 83. Atq; in hoc.*

Quartò Liparenses Valentio accipere Decumas, & numerare coguntur lucri XXX. millia: quæ injuria exaggeratur ab adjunctis civitatis, & apostrophâ ad Verrem. *Num. 84. A. Apronius est.*

Quintò idem fit Tissensibus. *Num. 86. quid ergo à Tissensibus.*

Sextò Amestratini pecunias per Heraclium Legatum numerare coacti sunt, cum ipsis reliqui nihil fieret ex magnis Decumis. *Num. 88 quid Amestratini.*

Septimò Petrini & Halicienses etiam immunes non fuerunt ab istius Prætoris vi & injuria. *Num. 90. Petrini cum.*

Octavò ex Segestanis tres præcipuè affecit contumelia, Dioclem, Brocchum & Cassium: quam contumeliam Orator amplificat ex dignitate senatoria per incrementum. *Num. 92. Segestani item.*

Nonò Thermitani Inacharenses, Ætnenses, Calatini, Muticenses, Hiblenses vexati sunt à Verre. *Num. 99. Thermitani miserunt.*

Cicero apostrophâ ad Judices, commiserationem movet erga aratores, & multarum, præter duas, civitatum querimonias alio reservat. *Num. 102. patiemini Iudices.*

Decimò de agro Ætnensi hoc breviter dicit. (Cætera sunt publicis & privatis litteris consignata) uno anno CCC millia mod. tritici: & prætereà L millia lucri esse data Apronio. Cur Verres lucri tantum dat Apronio? an quia mino-

minoris Decumæ venierint, quàm essent, id est, quàm numerus earum esset pro exarato tritico? an verò & illæ satis magno venierunt, & hic tantùm frumenti, pecuniæque tantus numerus ab aratoribus per vim ablatus est? *Num.* 104. *Attendite Iudices*

Undecimò de agro Leontino magnos quæstus fecit, quod Cicero non ex ipsa Leontina civitate quæ defecit, nec ex tabulis Apronii, qui nullas confecit, cùm tamen ad istud negotium essent necessariæ, collegit, sed ex certa ratione Decumarum istius agri. *Num.* 109. *Verùm ut dixi.*

Rationem autem ac summam Decumarum agri Leontini arithmeticè Cicero supputat, & ostendit Apronium ipsum, & sibi Verrem (qui gloriabatur magno se Decumas vendidisse) dimidio plùs ex agro Leontino abstulisse, quàm populo Rom. miserit *Num.* 112. *in jugere Leontini.*

Non solùm Verres suâ libidine contra legem Hieronicam in vendendis Decumis istos quæstus fecit: sed novum lucrum addidit ad superiora: quod ubi alicujus agri Decumam venderet, â singulis Decumanis, præter Decumam, bina & terna millia nummûm sibi exigeret, quo nomine per triennium fecit fortasse IↃ *Num.* 118. *Iam iste homo.*

Ex quo vastatio Siciliæ, & imminutus aratorum numerus. *Num.* 120. *Vnde ergo hoc.*

Antecedentis pars eadem constat tertiò litteris L. Metelli, hancque partem Orator subjectione ingreditur. *Num.* 121. *quid vultis ampliùs?*

Mox ex initio epistolæ, interpretatur legem Hieronicam Siculis redditam, sublata Verrea, quia nec Decumæ magno vendi possent, nec reliqui in Sicilia aratores essent; de quo est acre odium in Verrem, & in Apronium, comparatione Hasdrubalis & Pœnorum exercitus. *Num.* 124. *recita de epistola.*

Rursùs aratorum penuriam ex iisdem litteris confirmat, & adauget. *Num.* 126. *recita cætera.*

Vectigalia etiam perdita ab avaro Verre, fugam, & mortem aratorum exaggerat. *Num* 128 *Atq; ut intelligatis.*

Antecedentis pars eadem constat quartò ex criminosa Prætoris Verris societate cum Decumanis: ac confirmatur primùm ex testimonio Apronii & sermone Decumanorum; nihil interim de fama consulente sibi Verre, cujus impudentiam redarguit Cicero. *Num.* 130. *attendite Iudices.*

Con-

Confirmatur deinde ſponſione P. Rubrii, quam ſponſionem Cicero multis interrogationibus urget, atque objicit Verri tacenti in hac re, & ſui capitis periculum negligenti. *Num.* 132. *eſto cætera negare.*

Confirmatur tertiò ſimili altera ſponſione D. Scandilii, quæ cùm omnibus eſſet manifeſta, & Scandilius poſceret de conventu recuperatores, de cohorte Verris recuſaret, impudens Prætor non putavit plus Romæ apud lectiſſimos Senatores Judices valituram eſſe pecuniam, quàm in Sicilia apud tres negotiatores metum. Quid ergo? ipſa maxima ſui invidia cogit Scandilium quinque millia nummûm dare, atque adnumerare Apronio. Adverte in hac narratiuncula plures ironias, & varios inſtandi, & ſuſtentandi modos. *Num.* 135. *Cum eodem Apronio.*

Concludit Cicero hanc narratiunculam, & præcedentes Antecedentis partes, quâdam anacephalæoſi, & apoſtrophâ ad Judices, ut ſeverè judicent de Verre. Ubi etiam Albam Æmilium mordaciter perſtringit. *Num.* 141. *omnia ſimul intelligere.*

Occaſione iſtius Albæ redit Orator ad prolepſim (de qua initio) eamque defenſionem Verris hoc argumento evertit, quòd Verres agri Leonini Decumas multis potuerit pluris vendere, quàm Apronio (quod de ſe teſtatur Q. Minucius, & ipſe Metellus judicavit, niſi ob præjudicium pepercit amico) at Verres nulli alii niſi Apronio ſuo Decumas vendere voluit, quo majorem quæſtum faceret. *Num.* 147. *Decumas agri.*

Antecedentis pars eadem conſtat quintò ex epiſtola Timarchidis quam facetè recitat Cicero ad odium Verris, & ejus comitum. *Num* 154 *venio nunc.*

Digreditur in id quod Timarchides etiam ſcripſit, Marcelli filium puerum eſſe: nam hunc filio Verris opponit, quem patris luxuria, atque avaritia corrupit; agitque ampliùs de educatione liberorum: poſteà claudit totam hanc partem de crimine Decumani frumenti. *Num.* 159. *nam quòd ſcribit.*

Propoſitionis ſecundum argumentum, *Verres in empto frumento magnas Siculis injurias fecit,* hoc Enthymemate Orator proſecutus eſt: Verres maximo atque impudentiſſimo furto, publicam empti frumenti pecuniam in proprios quæſtus convertit: ergo Verres in empto frumento magnas Siculis

Siculis injurias fecit. *Num.* 163. *sequitur ut de frumento.*

Antecedens clarè distribuitur in tres partes: primùm Verres eam empti frumenti pecuniam, cùm posita esset apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis fœneratus est: quod testimonio, & litteris P. Veltii comprobatum est, *Num.* 165. *in hac pecunia.*

Amplificat & urget Verrem Orator, quod negare furtum, aut defendere non possit. *Num.* 168. *quis enim hoc.*

Deinde Verres permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino; sed omnem pecuniam avertit: hoc Halesinus Æneas testatur. *Num.* 170. *& quoniam de illa.*

Amplificatur hoc furtum, præsertim de improbatione frumenti Siculi, retentaque contra leges pecunia publica. *Num.* 172 *quod vultis esse.*

Confirmatur crimen litteris publicis, & testimoniis Halesinorum: ac malè Verres ex mancipibus defensionem arripit; nam neque id, ut velit, & liceat, potest quidem, ob Volcatium & annulum, quo utitur ad obsignandas tabulas. *Num.* 175. *atque hac ita.*

Subjicitur parva digressio in Verris consuetudinem furandi, & impunitatis spem: sed jam tenentur, & manifesta furta divinitùs, ob scelera ejus in Carbonem, & in Dolabellam. *Num.* 177. *ô consuetudo.*

Denique novus ille Verris quæstus arguitur, quòd unum & idem frumentum ereptum aratoribus, & domi suæ conclusum, non semel, sed bis, neque uno, sed duobus pretiis vendiderit. *Num.* 178. *etenim novum quoque.*

Tertiò Verres, si cui civitati solvit, tantum detraxit, quantum libuit, nulli, quod debitum est, reddidit: quod certis hominibus fieri solebat, ut pro spectatione, ut pro collybo, ut pro cerario. *Num.* 180 *at enim frumentum.*

Præsertim scribæ suo de isti pecunia binas quadragesimas concessit, nullâ auctoritate, nullius Prætoris, vel Hortensii, vel Ciceronis exemplo. *Num.* 181. *scribæ nomine.*

Nam si viris bonis, atque honestis scribis certa est merces proposita, non tamen tanta pecuniæ partitio fieri debuit scribæ Verris, qui scenicus fuit ineptus, & nummulis corrogatis de Nepotum donis aliquam scribarum Decuriam emit. *Num.* 183. *quamobrem enim.*

Annulum verò aureum ipsi donatum à Verre, uti & alia dona tribus civibus Rom. cavillatur Cicero à prælis, victoriis,

riis, spoliisque Verris *Num.* 185. *Hic ille est.*

Propositionis tertium argumentum, *Verres in æstimato frumento magnas Siculis injurias fecit*, extremo hoc enthymemate conficit Cicero: Verres & imperavit majorem tritici numerum, quàm legibus liceret, & æstimatione auxit, ut pro ternis sestertiis ternos denarios à civitatibus exigeret: igitur Verres in æstimato frumento magnas Siculis injurias fecit. Antecedens sejunctione primùm & apostropha ad Hortensium proponitur. *Num.* 188. *dictum Iudices est.*

Deinde eadem apostropha, & concessione factum, quale sit expenditur. *Num* 191. *quaro nunc, &c.*

Tum iniquitas & impudentia Verris, qui contra leges numerum summæ tritici adjecit, & ternis sestertiis æstimavit, dialogismo arguitur. *Num.* 194. *Verùm enim verò.*

Crescit iniquitas Verris ex subita iniquitate aratorum. *Num.* 198. *hac deerat injuria.*

Atque ipsis aratoribus teste Sositeno hoc esset tolerabilius (non tamen æquum) frumentum in cellam gratis dare, quàm illud Prætori in cellam vendere cum æstimatione à Verre instituta. *Num.* 200 *quanquam hac omitto.*

Verùm istam cellam, seu æstimationem frumenti acerbiorem omnibus injuriis pati Sicilia non potest, referente Sophocle. *Num.* 203. *At enim istam.*

Jam prolepsim Verris, quòd alii idem fecerunt, vehementer Orator rejicit, quia sua defensione Hortensius non assequitur, ut Verres absolvatur, sed ne solus condemnetur, & exilii sui comites habeat, tum quia istis improborum exemplis laborat Resp. lugent omnes provinciæ, judiciorum metus concidit. *Num.* 205. *quid ad hac Hortensius.*

His improborum Prætorum exemplis opponit vetera exempla Africani, Catonis, Lælii; & recentia patris Catuli, Marii, Scævolæ, Scauri, Metelli: & domestica, P. Servilii, Q. Catuli filii, quorum nullus auctor istius æstimationis fuit. *Num.* 209 *tametsi qua ista.*

Nullo etiam in Sicilia exemplo Verres potest cellæ crimen defendere: non C. Marcelli exemplo, non Lepidi: an M. Antonii; at Verri perniciosius est imitatione Antonii factum suum tueri; non multis enim in rebus ejus improbitatem imitatus est. *Num.* 211. *At in Sicilia.*

Sacerdos frumentum æstimavit; at dissimili consilio & tempore, quàm Verres, aut Antonius; imò ille cum

arato-

aratorum commodo & voluntate. *Num.214. at idem fecit.*

Sex.quidem Peduceus, & C.Sentius nec in vilitate pecunias acceperunt, nec in caritate iniquè frumentum æstimarunt. *Num.216. nam de Sex.quidem.*

Concludit Cicero Apostrophâ ad Judices, si nullus præter Verrem magnas pecunias ab invitis civitatibus & aratoribus, Cellæ nomine coegit, severè in hunc animadvertendum esse: ne cæteris, qui in eadem esse culpa possint, impunitis, & licentia dari videatur, aut certè ne posteà ipsi Judices modum & finem libidini hominum constituere non possint: quod gradatione ostenditur. *Num. 218. nam per Deos.*

Altera apostrophâ Hortensium insimulat, si suo & Senatorum commodo defendere Verrem, & absolvere in isto æstimationis crimine cogitet: id enim turpe genus cogendæ infinitæ pecuniæ si inter Senatores sit, non abs re Prætor Cotta transferret judicia ad equestrem ordinem, qui ordo id nunquam commisit. *Num.222. quas ob res.*

Denique sine summo periculo Judices non possunt absolvere eum reum, qui, quod commisit, negare non potest. *Num. 224. atque utinam.*

ANNOTATIO.

Ne prolixa hæc contentio tædium pariat, Orator providet magnâ sermonis varietate, atq; ordine: nam in primis totam caussam frumentariam partitur perspicuè in tres partes: quarum prima est de frumento Decumano, quod ex decumis exigitur; altera de empto, quod præter Decumanum emit à Siculis Populus Rom. tertia de æstimato, pro quo pecuniam exigunt Mancipes æstimatione Prætoris. In his tribus partibus insigniter exponitur Verris fraus, & ingenium furandi: maximè descriptis per Ethopeias ejus administris, & injuriis privatorum hominum ac civitatum per narratiunculas expositis, tum convictis furtis plurium testium auctoritate, demùm accensa Iudicum severitate adversus improbum hominem, qui totam Siciliam afflixit. Atq; hic passim occurrit affectus misericordiæ in calamitosos aratores Siculos, cum odio iniqui Prætoris, & invidia eorum hominum, qui defendunt Verrem, aut cogitant absolvere.

PERO-

PERORATIO.

ORator anacephalæosi tres contentionis partes, seu factas à Verre Siculis injurias breviter subjicit oculis Judicum, hosque hortatur, ut Verre punito, relevati injuria Siculi coloni, in agros, atque in ædes revertantur. *Num. 226, quapropter cognita.*

ANNOTATIO.

Longissima contentioni convenit hac recapitulatio; ut sit rerum fusè dictarum, ne memoria Iudicum excidant, brevis, & summa, & artificiosa repetitio. Videtur autem Cicero eum affectum maximè colligere & prosequi, quem ubique sparsit, ut tantò major misericordia tribuatur aratoribus Siculis, quantò severior erit improbi Prætoris damnatio.

VI. VERRINA,

Seu

LIBER IV. ACT. II.

IN C. VERREM.

H*ic quartus liber de signis, est furtorum Verris expositio seu narratio, ad quam fit transitio, quasi è superiore orationis parte, sine exordio, distributione, argumentatione; subjicitur tamen transitioni propositio totius narrationis, & attentio petitur,* Num. 1. venio nunc.

SYNOPSIS

PROPOSITIO.		EXPOSITIO SEU NARRATIO.			
	Tota in Sicilia nihil neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri, reliquit Verres.		1. Messanæ triplex scelus cōtra C. Heium commisit. Ubi orator prolepsim Verris, & laudationē Mamertinorum elevat.	2. Phaleras Philarchi Centuripini sagax Prætor cum duobus venaticis canibus prædatus est.	3. Plures Lilybætanos, Pamphilum, Dioclem, Lælium, Diodorum Calidium, Papynium, pulcherrimis vasis & celato argento spoliavit;
	4. De Tyndaritanis variè varia. 5. De Haluntinis, opera Arthagati, vasa, pateras, annulos, lectós eripuit, instructâ officina.		6. Syracusis Antiochum Regem Syriæ, vasis ex auro, gemmisque, & præsertim candelabro Jovi dicato privatum ejecit è civitate.	7. Segestanis Simulachrum Dianæ eripuit, dejecto P. Africani monumento: de quò & indignatio.	8. Rursus à Tyndaritanis signum Mercurii vi & minis extorsit, crudelissimè ad statuam C. Marcelli alligato & cruciato Sopatro: de quo etiam est affectus.

9. Et

9 Et 10. nocturnis furtis, templorum ac populi spretâ religione, Apollinis & Herculis signa, Agrigentinis; Cybeles ornamenta, Enguinis; Cereris signum, Catinensibus; multa è Junonis templo, Melitensibus auferre conatus est.

11. Ipsis Syracusanis tabulas pictas in æde Minervæ, & valuas, & hastas, item simulachrum Pæanis, Aristæ, Jovis abstulit: amplificata Græcorum religione.

Narrationem claudit digressio.

EX-

NARRATIO.

Divisus est in undecim narrationes hic Liber.

PRima narratio incipit à Mamertina seu Messana civitate, in qua Verres tria scelera commisit contra C. Heium.

1. Ab hoc homine abstulit pulcherrima quatuor signa, Cupidinem è marmore, Herculem ex ære, duas Canephoras. *Num. 3. unde igitur potiùs.*

Amplificantur hæc furta exclamatione, comparatione, interrogatione per indignationem *Num. 7. proh Deum hominumq;.*

Ad prolepsim quòd Verres illa signa emerit, respondet Cicero primùm ironiâ; deinde duplici concessione: at esse contra legem (quam interpretatur & amplificat) ostendit Prætorem in provincia emere. *Num 8. sed quid ego.*

Respondet tertiò C. Heium ea signa non vendidisse, quia nec propter æs alienum, nec propter magnitudinem pecuniæ habuerit venalia. *Num. 11 quid igitur nobis.*

Respondet quartò ipsius Heii prolato testimonio. *Num. 15. quid mihi tam.*

Comparatione insultat Orator Verri à sua Messana civitate, cujus princeps Heius, & ad laudandum Verrem missus legatus, duplex testimonium contra Verrem dixit, unum de signis à se non venditis, alterum de Cybea nave (qua Verres exportavit) publicè coactis operis ædificata. *Num. 17. quid sedes Verres?*

Alterum scelus quod commisit Verres contra C. Heium fuit, quòd legatum misit Messanā, ut propter testimonia Heius ignominia afficeretur: ubi rursus Orator insultat Verri ab hujus laudatoribus Mamertinis. *Num. 18 qua quia dixit.*

Prolepsim Verris, quòd commodarit, seu faverit Mamertinis, diluit ostenso duplici detrimento, & Reip. & Siciliæ, quando id quod contra jus Imperii Rom. remisit Mamertinis, in Centuripinos & Halesinos transtulit. *Num. 20. at publicè commodasti.*

Deinde mos est iste prædonum favendi quibusdam civitatibus, in quas sese ipsi recipiant, confirmaturque exemplo Phaselis. *Num. 21 fecisti item ut prædones.*

Sic Mamertina civitas recipit Verrem, onerariam navem ei publicè ædificat; & quæ olim Catonis impedimenta retinuit propter XVIII. millia, nunc Verri non irascitur, majori sumptu sæpè facto in prandium Timarchidis, quàm quanti Catonis lis æstimata est: quia ipsa scilicet furtorum conscia est; quia vacationem sumptus, laboris, militiæ, rerum deniq; omnium per triennium consecuta. **Num. 22.** ***Mamertina Civitas.***

Hinc digressione Mamertinos laudatores Verris remittit defectu auctoritatis & apud Senatum, cujus dignitatem comminuit, relicto Senatore; & apud populum, quem offendit, acto in crucem P. Gavio Cive Rom. **Num. 24.** ***laudatum etiam.***

Tertium scelus quod commisit Verres contra C. Heium fuit, quòd Attalica peripetasmata abstulerit, idque omnibus testatum est *Num 27. quid illa Attalica.*

Secunda Narratio subjungitur dè Philarcho Centuripino, à quo Verres sagaciter & gratis phaleras abstulit, opera Cybiratarum fratrum, quos cavillatur Cicero à furtis, & similitudine ***Num. 29. quid? à Philarcho.***

Tertia Narratio complectitur plures Lilybætanos. A Pamphilo hydriam prætor abstulit, ablaturus etiam scyphos sigillatos, nisi fratribus Cybiratis pecunia fuisset data. Adverte dialogismum. ***Num. 32. verè me hercules.***

Fit parva digressio in nuperam cupiditatem Verris, etiam comperendinati in domo Sisennæ. ***Num. 33. at ita studiosus.***

A Diocle Pamphyli genero abstulit abaci vasa omnia: neque argenti quidquam Verres se in Sicilia coemisse litteris aut tabulis probare potest. ***Num. 35. Diocles est.***

A Cœlio vasa argentea, à Cacurio supellectilem, à Lutatio mensam, ab Apollonio argentum, à Lisone Apollinis signum abstulit. *Num 37. Tu à M. Cœlio.*

A Diodoro Melitensi toreumata, seu cælatum argentum cùm statim auferre non posset, propterea quòd ille rem dissimulasset, & Romam fugisset, cœpit furere Verres, (ut in fabulis Eriphyla) & Diodorum rei capitalis reum velle facere, & condemnare, nisi miser per triennium absens fuisset. ***Num. 38. sed quid ego.***

A Cn. Calidio equuleos argenteos abstulit; quos cùm à se emptos fingit Verres, nec tabulas potest ostendere, ridet Ciceró hominem, & simul indignans reprehendit, quòd nullius

Prætoris exemplo ab Equite Rom. vasa argentea eripuerit, aut vendenda postularit. *Num 42 Tum iste.*

A L. Papyrio turibulum hac ratione abstulit, ut emblema & artificium remiserit, argentum retinuerit. Vide Ironiam. Sic Verres (est parva digressio) pateras, & vasa sacra ubiq; in singulis domibus Siciliæ prædatus est, magno fletu muliercularum. Vide & hîc allegoriam. *Num. 46. num etiam de L. Papyrio.*

Quarta Narratio sequitur de Tyndaritanis, quorum quatuor recenset; de Eupolemo, Calactino, de Catinensibus, de Agyrinensibus, à quibus variè varia rapuit idem Verres. *Num. 48. hic nolite expectare.*

Quinta Narratio est de Haluntinis, à quibus Tyrannus Verres per Artagathum, omne argentum cælatum sibi deferri jussit, magnâ perturbatione totius civitatis. *Num. 51. Illa verò optima.*

Præcipuè Cicero officinam Verris describit, & exaggerat dissimili exemplo L. Pisonis *Num. 54 posteaquam tantam.*

Huic narrationi ex occasione adjungit aliam Orator de L. Titio, cui Verres annulum aureum detraxit è digitis. Item multas alias prætermittit, non de annulis solùm, sed etiam de lectis. *Num. 57 nullo modo possum.*

Sexta Narratio instituitur de Antiocho Rege Syriæ, quem fraudulentus Prætor vasis ex auro & gemmis spoliavit in convivio. *Num. 60. venio nunc.*

Deinde cùm audisset ei esse candelabrum exquisitissimum, eadem fraude sibi ad considerandum petiit, nec posteà reddidit; sed vi ac minis jussit Regem excedere è Sicilia. *Num. 64. Nunc reliquum Iudices.*

Facinus amplificat Orator, 1. à persona Regis Antiochi, & fama exterarum nationum. *Num. 67 quæ vox? quæ latera?*

2. Apostrophâ ad Q. Catulum. *Num. 69 hoc loco Q. Catule.*

3. Alterâ Apostrophâ ad Judices, ab adjunctis candelabri, quod est donatum Jovi in Capitolio. *Num. 71. vobis autem Iudices.*

Septima Narratio exponit simulachrum Dianæ à Segestanis ablatum. Hoc signum partâ victoriâ, Segestanis restituerat P. Scipio, uti alia multa aliis civitatibus Siciliæ. *Num. 72. Segesta est oppidum.*

Cùmque

Cùmque admodum esset pulchrum (est parva ejus descriptio) ardentissimè illud Verres à Segestanis petiit, ac tandem extorsit *Num.75.Erat admodum.*

Orator exaggerat hujus ablationem signi oppositâ religione ac fletu Segestanorum. *Num 77.videte quantâ religione.*

Exaggerat etiam ab hujus basi sublata,quæ P.Africani nomen incisum ferebat *Num. 78. quæ quidem scelere.*

Quare Apostrophâ objurgat P Scipionem adolescentem, quòd Verrem defendat *Num 79.Te nunc P Scipio.*

Scipionem Segestani orant, ut generis sui gloriam tueri velit. *Num. 80.adsunt Segestani.*

Suo etiam nomine Cicero illum admonet officii. *Ibid.quid aut his.*

Imò susceptà in causa Siculorum,& maximè in causa civitatis,repetit à Verre monumentum P.Africani. *Num. 81.est aliqua mea pars.*

Octava Narratio similiter exponit signum Mercurii à Tyndaritanis vi & minis extortum, crudelissimè ad statuam C.Marcelli alligato,& cruciato Sopatro. *Num.83 At hoc solum.*

Excipit Narrationem pulcherrima amplificatio per incrementum & dubitationem ab adjunctis facinoris. *Num. 88. Non possum dispositè.*

Præcipuè ab adjunctis statuæ C. Marcelli Siculorum patroni. *Num. 89 quid est hoc?*

In fine confirmatur facinus multis testibus contra defensionem Verris. *Num.91. Ac primò Iudices.*

Nona Narratio recenset nocturna Verris furta in templis: Apud Agrigentinos, præter signum Apollinis, simulachrum ipsius Herculis demoliri, ac rapere conatus est: sed accurrens tota civitas prædonem egit in fugam. *Num. 93. quid Agrigentino, nonne.*

Sic apud Assorinos nocturnus prædo fugatur. *Num. 96. hanc virtutem.*

Apud Enguinos,templum Cybeles spoliavit iis ornamentis,quæ intelligens ac temperans Scipio dederat religioni. *Num 97.Matris magna.*

Apud Catinenses in sacrario Cereris signum surripit, & scitè crimen in servum conjicit. Est hic indignatio seu apostropha ad flagitiosum Verrem. *Num. 99. audite etiam singularem.*

 Apud

Apud Melitenses, publicè spoliavit templum Junonis, quod facere nullus pirata quidem, nec ipse Rex Massinissa ausus fuit. Quare Orator rursus indignatur, & exclamatione insurgit in reum Verrem, facta quasi parva Anacephalæosi ipsius scelerum. *Num.103. Insula est Melita.*

Decima Narratio commemorat Cereris signum Ennensibus ablatum. Sed priùs facta transitione, repetitur altiùs fabula Cereris & Liberæ: quanta in religione hæ Deæ fuerint non solùm apud Ennenses, & Siculos, sed etiam apud Athenienses, & Romanos. *Num.105. Nimium mihi diu.*

Tum narratur, qualia Cereris signa, & quanto luctu Sacerdotum Verres asportarit. *Num.109. Non obtundam diutiùs.*

Amplificat Cicero hoc scelus apostrophâ ad Verrem, & comparatione *Num.112. Enna tu simulachrum.*

Rursus altera apostropha & testimonio Ennensium obtestatur Judices, ut tam insignem injuriam religiosis Siculis factam ulciscantur. *Num.113. Audistis Theodorum.*

Undecima narratio complectitur furta Syracusana: quibus præmittit Orator descriptionem urbis Syracusanorum; & dissimilem M. Marcelli comparationem, qui hanc urbem bello cepit ditavitque; at C. Verres pace eam vexavit, spoliavitque. *Num.115. unius etiam urbis.*

Deinde ipsâ eadem comparatione enumerat Cicero rapinas Verris; 1. in æde Minervæ tabulas abstulit, in quibus pugna Agathoclis, & imagines Regum Siciliæ, erant pulcherrimè pictæ. *Num. 122. ædes Minervæ.*

2. Magnificas ex auro atque ebore valvas illius templi abstulit. *Num.124. Iam verò quid.*

3. Gramineas hastas, & pulcherrimum saphonem (quod signum acri ironiâ Orator concedit Verri] pariter sustulit: *Num.125. Etiamne gramineas.*

4. Signum Pæanis, simulachrum Aristæi, & Jovis, & deinde ejus caput ex æde Liberi non dubitavit tollere: quæ religiosissima istic signa fuisse ostendit Cicero; præsertim Jovis signum, quia tria tantùm Jovis signa pulcherrimè facta toto orbe erant. *Num.128. quid signum Pæanis.*

Digreditur Cicero, & hujuscemodi spoliationes fuisse Græcis hominibus acerbiores alia quavis calamitate probat, tum religione, & ingenio istius nationis, tum exemplo majorum Romanorum, quia ea ipsis reliquerunt. Eo autem nunc est acerbior ista etiam spoliatio, quò magis est falsa & simu-

simulata istorum signorum emptio, aut venditio. *Num.* 131. *Jam illa quia.*

Addit Narrationem, quo pacto Syracusas veniens conquerendi causa de Verre, omnia hujus furta cognoverit, ex senatus, populique Syracusani testimonio. *Num.* 136, *atque ut cateros.*

Narrat etiam quo pacto à senatu laudatio Verris facta est, ad ridendum potiùs illum Prætorem; quia illo senatus consulto ea affinguntur Verri, quæ planissimè sunt falsa. *Num.* 141 *de laudatione autem.*

Deinde quo pacto idem Senatus decretam Verri laudationem sustulerit, frustra ac ridiculè ad Metellum Prætorem appellante Cœlio. *Num.* 145. *qua postquam.*

Denique narrat quo pacto Metellum Prætorem increpans ac terrens, Theomnasti autem insaniam perferens, potestatem habuerit, tabulas omnes litterasque deportandi Romam. *Num.* 147, *Cum ad prætorem.*

Extremum insultat impudenti atque arroganti Verri, comparatione hujus laudationis Syracusanæ, Mamertinæ, quam ironicè concedit ipsi. *Num.* 150. *laudent te sanè.*

ANNOTATIO.

Cicero narratione sua oratione peragrat Siciliam, & probatis testimoniis partitur in singulas civitates furta Verris.

Atque de harum Verrinarum narrationum probabilitate, brevitate, perspicuitate, suavitate diximus supra.

Apud Melitenses, publicè spoliavit templum Junonis, quod facere nullus pirata quidem, nec ipse Rex Massinissa ausus fuit. Quare Orator rursus indignatur, & exclamatione insurgit in reum Verrem, facta quasi parva Anacephalæosi ipsius scelerum. *Num.* 103. *Insula est Melita.*

Decima Narratio commemorat Cereris signum Ennensibus ablatum. Sed priùs facta transitione, repetitur altiùs fabula Cereris & Liberæ: quanta in religione hæ Deæ fuerint non solùm apud Ennenses, & Siculos, sed etiam apud Athenienses, & Romanos. *Num.* 1•5. *Nimium mihi diu.*

Tum narratur, qualia Cereris signa, & quanto luctu Sacerdotum Verres asportarit. *Num.* 109. *Non obtundam diutiùs.*

Amplificat Cicero hoc scelus apostrophâ ad Verrem, & comparatione *Num.* 112. *Enna tu simulachrum.*

Rursus altera apostropha & testimonio Ennensium obtestatur Judices, ut tam insignem injuriam religiosis Siculis factam ulciscantur. *Num.* 113. *Audistis Theodorum.*

Undecima narratio complectitur furta Syracusana: quibus præmittit Orator descriptionem urbis Syracusanorum; & dissimilem M. Marcelli comparationem, qui hanc urbem bello cepit ditavitque; at C. Verres pace eam vexavit, spoliavitque. *Num.* 115. *unius etiam urbis.*

Deinde ipsâ eadem comparatione enumerat Cicero rapinas Verris; 1. in æde Minervæ tabulas abstulit, in quibus pugna Agathoclis, & imagines Regum Siciliæ, erant pulcherrimè pictæ. *Num.* 122. *ædes Minerva.*

2. Magnificas ex auro atque ebore valvas illius templi abstulit. *Num.* 124. *Iam verò quid.*

3. Gramineas hastas, & pulcherrimum saphonem (c[illegible] signum acri ironiâ Orator concedit Verri] pariter [illegible] *Num.* 125. *Etiamne gramineas* [illegible]

4. Signum Pæan[illegible]
inde ejus capu[illegible]
ligiosissima [illegible]

ſimulata iſtorum ſignorum emptio, aut venditio. *Num.* 131. *Iam illa quia.*

Addit Narrationem, quo pacto Syracuſas veniens conquerendi cauſa de Verre, omnia hujus furta cognoverit, ex ſenatus, populique Syracuſani teſtimonio. *Num.* 136, *atque ut cæteros.*

Narrat etiam quo pacto à ſenatu laudatio Verris facta eſt, ad ridendum potiùs illum Prætorem; quia illo ſenatus conſulto ea affinguntur Verri, quæ planiſſimè ſunt falſa. *Num.* 141 *de laudatione autem.*

Deinde quo pacto idem Senatus decretam Verri laudationem ſuſtulerit, fruſtra ac ridiculè ad Metellum Prætorem appellante Cœlio. *Num.* 145. *quæ poſtquam.*

Denique narrat quo pacto Metellum Prætorem increpans, c terrens, Theomnaſti autem inſaniam perferens, poteſtatem habuerit, tabulas omnes litteraſque deportandi Romam. *Num.* 147, *Cum ad prætorem.*

Extremum inſultat impudenti atque arroganti Verri, omparatione hujus laudationis Syracuſanæ, Mamertinæ, uam ironicè concedit ipſi. *Num.* 150. *laudent te ſanè.*

ANNOTATIO.

Cicero narratione ſua oratione peragrat Siciliam, *& pretiis teſtimoniis partitur in ſingulas civitates furta Verris. Atque de* [illegible] *rinarum narrationum probabilitate, vitate, p*[illegible] *vitate diximus ſupra.*

VII.[illegible]

ipsius scelerum. *Num.103. Insula est Melita.*

Decima Narratio commemorat Cereris signum Ennensibus ablatum. Sed priùs facta transitione, repetitur altiùs fabula Cereris & Liberæ: quanta in religione hæ Deæ fuerint non solùm apud Ennenses, & Siculos, sed etiam apud Athenienses, & Romanos. *Num.105. Nimium mihi diu.*

Tum narratur, qualia Cereris signa, & quanto luctu Sacerdotum Verres asportarit. *Num.109. Non obtundam diutiùs.*

Amplificat Cicero hoc scelus apostrophâ ad Verrem, & comparatione. *Num.112. Enna tu simulachrum.*

Rursus altera apostropha & testimonio Ennensium obtestatur Judices, ut tam insignem injuriam religiosis Siculis factam ulciscantur. *Num.113. Audistis Theodorum.*

Undecima narratio complectitur furta Syracusana: quibus præmittit Orator descriptionem urbis Syracusanorum; & dissimilem M. Marcelli comparationem, qui hanc urbem bello cepit ditavitque; at C. Verres pace eam vexavit, spoliavitque. *Num.115. unius etiam urbis.*

Deinde ipsâ eadem comparatione enumerat Cicero rapinas Verris; 1. in æde Minervæ tabulas abstulit, in quibus pugna Agathoclis, & imagines Regum Siciliæ, erant pulcherrimè pictæ. *Num. 122. ædes Minervæ.*

2. Magnificas ex auro atque ebore valvas illius templi abstulit. *Num.124. Iam verò quid.*

3. Gramineas hastas, & pulcherrimum saphonem (… signum acri ironiâ Orator concedit Verri] pariter … *Num.125. Etiamne gramineas.*

4. Signum Pæanis, … inde ejus caput … ligiosissima … signum …

ſimulata iſtorum ſignorum emptio, aut venditio. *Num.* 131. *Jam illa quia.*

Addit Narrationem, quo pacto Syracuſas veniens conquerendi cauſa de Verre, omnia hujus furta cognoverit, ex ſenatus, populique Syracuſani teſtimonio. *Num.* 136, *atque ut cateros.*

Narrat etiam quo pacto à ſenatu laudatio Verris facta eſt, ad ridendum potiùs illum Prætorem; quia illo ſenatus conſulto ea affinguntur Verri, quæ planiſſimè ſunt falſa. *Num.* 141 *de laudatione autem.*

Deinde quo pacto idem Senatus decretam Verri laudationem ſuſtulerit, fruſtra ac ridiculè ad Metellum Prætorem ppellante Cœlio. *Num.* 145. *qua poſtquam.*

Denique narrat quo pacto Metellum Prætorem increpans : terrens, Theomnaſti autem inſaniam perferens, poteatem habuerit, tabulas omnes litteraſque deportandi Roam. *Num.* 147, *Cum ad præterem.*

Extremum inſultat impudenti atque arroganti Verri, mparatione hujus laudationis Syracuſanæ, Mamertinæ, iam ironicè concedit ipſi. *Num.* 150. *laudent te ſanè.*

ANNOTATIO.

Cicero narratione ſua oratione peragrat Siciliam, & pro- is teſtimoniis partitur in ſingulas civitates furta Verris. Atque de l[illegible] rinarum narrationum probabilitate, vitate, pe[illegible] vitate diximus ſupra.

VII. VER-

ipsius scelerum. *Num.103. Insula est Melita.*

Decima Narratio commemorat Cereris signum Ennensibus ablatum. Sed priùs facta transitione, repetitur altiùs fabula Cereris & Liberæ: quanta in religione hæ Deæ fuerint non solùm apud Ennenses, & Siculos, sed etiam apud Athenienses, & Romanos. *Num.105. Nimium mihi diu.*

Tum narratur, qualia Cereris signa, & quanto luctu Sacerdotum Verres asportarit. *Num.109. Non obtundam diutiùs.*

Amplificat Cicero hoc scelus apostrophâ ad Verrem, & comparatione. *Num.112. Enna tu simulachrum.*

Rursus altera apostropha & testimonio Ennensium obtestatur Judices, ut tam insignem injuriam religiosis Siculis factam ulciscantur. *Num.113. Audistis Theodorum.*

Undecima narratio complectitur furta Syracusana: quibus præmittit Orator descriptionem urbis Syracusanorum; & dissimilem M. Marcelli comparationem, qui hanc urbem bello cepit ditavitque; at C. Verres pace eam vexavit, spoliavitque. *Num.115. unius etiam urbis.*

Deinde ipsâ eadem comparatione enumerat Cicero rapinas Verris; 1. in æde Minervæ tabulas abstulit, in quibus pugna Agathoclis, & imagines Regum Siciliæ, erant pulcherrimè pictæ. *Num. 122. ædes Minervæ.*

2. Magnificas ex auro atque ebore valvas illius templi abstulit. *Num.124. Iam verò quid.*

3. Gramineas hastas, & pulcherrimum saphonem (… signum acri ironiâ Orator concedit Verri] pariter …
Num.125. Etiamne gramineas.

4. Signum Pæanis, … inde ejus caput … ligiosissima ist… signum …

simulata istorum signorum emptio, aut venditio. *Num.* 131. *Iam illa quia.*

Addit Narrationem, quo pacto Syracusas veniens conquerendi causa de Verre, omnia hujus furta cognoverit, ex senatus, populique Syracusani testimonio. *Num.* 136, *atque ut cateros.*

Narrat etiam quo pacto à senatu laudatio Verris facta est, ad ridendum potiùs illum Prætorem; quia illo senatus consulto ea affinguntur Verri, quæ planissimè sunt falsa. *Num.* 141 *de laudatione autem.*

Deinde quo pacto idem Senatus decretam Verri laudationem sustulerit, frustra ac ridiculè ad Metellum Prætorem appellante Cœlio. *Num.* 145. *qua postquam.*

Denique narrat quo pacto Metellum Prætorem increpans e terrens, Theomnasti autem insaniam perferens, potestatem habuerit, tabulas omnes litterasque deportandi Romam. *Num.* 147, *Cum ad pratorem.*

Extremum insultat impudenti atque arroganti Verri, comparatione hujus laudationis Syracusanæ, Mamertinæ, quam ironicè concedit ipsi. *Num.* 150. *laudent te sanè.*

ANNOTATIO.

Cicero narratione sua oratione peragrat Siciliam, & protis testimoniis partitur in singulas civitates furta Verris. Atque de h[illegible]rinarum narrationum probabilitate, vitate, pe[illegible]vitate diximus supra.

VII. VER-

Prætoris exemplo ab Equite Rom. vasa argentea eripuerit, aut vendenda postularit. *Num 42 Tum iste.*

A L. Papyrio turibulum hac ratione abstulit, ut emblema & artificium remiserit, argentum retinuerit. Vide Ironiam. Sic Verres (est parva digressio) pateras, & vasa sacra ubiq; in singulis domibus Siciliæ prædatus est, magno fletu mulierecularum. Vide & hîc allegoriam. *Num. 46. num etiam de L. Papyrio.*

Quarta Narratio sequitur de Tyndaritanis, quorum quatuor recenset; de Eupolemo, Calactino, de Catinensibus, de Agyrinensibus, à quibus variè varia rapuit idem Verres. *Num. 48. hic nolite expectare.*

Quinta Narratio est de Haluntinis, à quibus Tyrannus Verres per Artagathum, omne argentum cælatum sibi deferri jussit, magnâ perturbatione totius civitatis. *Num. 51. Illa verò optima.*

Præcipuè Cicero officinam Verris describit, & exaggerat dissimili exemplo L. Pisonis *Num. 54 postea quam tantam.*

Huic narrationi ex occasione adjungit aliam Orator de L. Titio, cui Verres annulum aureum detraxit è digitis. Item multas alias prætermittit, non de annulis solùm, sed etiam de lectis. *Num. 57 nullo modo possum.*

Sexta Narratio instituitur de Antiocho Rege Syriæ, quem fraudulentus Prætor vasis ex auro & gemmis spoliavit in convivio. *Num. 60. venio nunc.*

Deinde cùm audisset ei esse candelabrum exquisitissimum, eadem fraude sibi ad considerandum petiit, nec posteà reddidit; sed vi ac minis jussit Regem excedere è Sicilia. *Num. 64. Nunc reliquum Iudices.*

Facinus amplificat Orator, 1. à persona Regis Antiochi, & fama exterarum nationum. *Num. 67 quæ vox? quæ latera?*

2. Apostrophâ ad Q. Catulum. *Num. 69 hoc loco Q. Catule.*

3. Alterâ Apostrophâ ad Judices, ab adjunctis candelabri, quod est donatum Jovi in Capitolio. *Num. 71. vobis autem Iudices.*

Septima Narratio exponit simulachrum Dianæ à Segestanis ablatum. Hoc signum partâ victoriâ, Segestanis restituerat P. Scipio, uti alia multa aliis civitatibus Siciliæ. *Num. 72. Segesta est oppidum.*

Cùmque

Cùmque admodum esset pulchrum (est parva ejus descriptio) ardentissimè illud Verres à Segestanis petiit, ac tandem extorsit *Num.75.Erat admodum.*

Orator exaggerat hujus ablationem signi oppositâ religione ac fletu Segestanorum. *Num 77.videte quantâ religione.*

Exaggerat etiam ab hujus basi sublata,quæ P.Africani nomen incisum ferebat *Num.78. qui quidem scelere.*

Quare Apostrophâ objurgat P Scipionem adolescentem, quòd Verrem defendat *Num 79.Te nunc P Scipio.*

Scipionem Segestani orant, ut generis sui gloriam tueri velit. *Num. 80.adsunt Segestani.*

Suo etiam nomine Cicero illum admonet officii. *Ibid.quid aut his.*

Imò susceptâ in causa Siculorum,& maximè in causa civitatis,repetit à Verre monumentum P.Africani. *Num. 81.est reliqua mea pars.*

Octava Narratio similiter exponit signum Mercurii à Tyndaritanis vi & minis extortum, crudelissimè ad statuam C.Marcelli alligato,& cruciato Sopatro. *Num.83 At hoc solum.*

Excipit Narrationem pulcherrima amplificatio per incrementum & dubitationem ab adjunctis facinoris. *Num. 88. non possum dispositè.*

Præcipuè ab adjunctis statuæ C. Marcelli Siculorum patroni. *Num. 89 quid est hoc?*

In fine confirmatur facinus multis testibus contra defensionem Verris. *Num.91. Ac primò Iudices.*

Nona Narratio recenset nocturna Verris furta in templis: apud Agrigentinos, præter signum Apollinis, simulachrum ejus Herculis demoliri, ac rapere conatus est: sed accursus tota civitas prædonem egit in fugam. *Num. 93. quid Agrigentino, nonne.*

Sic apud Assorinos nocturnus prædo fugatur. *Num. 96. ... c virtutem.*

Apud Enguinos,templum Cybeles spoliavit iis ornamentis quæ intelligens ac temperans Scipio dederat religioni. *Num 97.Matris magna.*

Apud Catinenses in sacrario Cereris signum surripit, & crimen in servum conjicit. Est hîc indignatio seu apostropha ad flagitiosum Verrem. *Num. 99. audite etiam singulam.*

 Apud

ſimulata iſtorum ſignorum emptio, aut venditio. *Num.* 131. *Jam illa quia.*

Addit Narrationem, quo pacto Syracuſas veniens conquerendi cauſa de Verre, omnia hujus furta cognoverit, ex ſenatus, populiſque Syracuſani teſtimonio. *Num.* 136, *atque ut cæteros.*

Narrat etiam quo pacto à ſenatu laudatio Verris facta eſt, ad ridendum potiùs illum Prætorem; quia illo ſenatus conſulto ea affinguntur Verri, quæ planiſſimè ſunt falſa. *Num.* 141 *de laudatione autem.*

Deinde quo pacto idem Senatus decretam Verri laudationem ſuſtulerit, fruſtra ac ridiculè ad Metellum Prætorem appellante Cœlio. *Num.* 145. *quæ poſtquam.*

Denique narrat quo pacto Metellum Prætorem increpans ac terrens, Theomnaſti autem inſaniam perferens, poteſtatem habuerit, tabulas omnes litteraſque deportandi Romam. *Num.* 147, *Cum ad prætorem.*

Extremum inſultat impudenti atque arroganti Verri, comparatione hujus laudationis Syracuſanæ, Mamertinæ, quam ironicè concedit ipſi. *Num.* 150. *laudent te ſanè.*

ANNOTATIO.

Cicero narratione ſua oratione peragrat Siciliam, *& probatis teſtimoniis partitur in ſingulas civitates furta Verris.*

Atque de harum Verrinarum narrationum probabilitate, brevitate, perſpicuitate, ſuavitate diximus ſupra.

VII. VERRINA

Seu

LIBER V. ACT. II. IN C. VERREM.

Argumentum, Quæſtio, Stylus.

Magnus defenſor, & amicus Verris fuit Q. Hortenſius, quem Cicero præſertim invento genere agendi novo, ſic compreſſit, ut obmutuerit. Hac autem oratione, cum Hortenſius ille Verrem eſſe abſolvendum contenderet, propterea quòd bonus eſſet Imperator, & in dubia Reip. tempora reſervandus: Cicero oſtendit C. Verrem non modò non habuiſſe in bello fugitivorum ac prædonum ullam Imperatoris virtutem, ſed contrà in utroque bello libidinosè, avarè, crudeliter verſatum eſſe. Quare ſeveritatem judiciorum adverſus hunc hominem eſſe exercendam.

Eſt hac oratio in genere demonſtrativo: nam ironiâ ferè perpetuâ C. Verris Imperatoris virtutes, hoc eſt, quatuor flagitia, avaritia, Majeſtas diminuta, libido, crudelitas vituperantur.

Status ſeu Quæſtio eſt, an C. Verres ſit bonus Imperator.

Dicendi character copioſus, atque amplus paſſim amplificationibus, affectibuſque.

SYNOP-

EXORDIVM. Cicero nihil Hortensium, qui contendere audeat Verrem esse bonum Imperatorem, ac propterea judicio esse absolvendum.

PROPOSITIO. C. Verres non est bonus Imperator.

ARGVMENTA. 1. Quia in bello fugitivorum.
2. In bello prædonum nullam exercuit Imperatoris virtutem.

ARGUMENTATIO

1. ARGVMENT. 1. C. Verres Siciliam adversus fugitivos non modò non defendit; verum etiam commovit sua avaritia, & neglexit sua luxuria: igitur Verres in bello fugitivorum nullam exercuit Imperatoris virtutem.

ARGVMENT. Quando prædones vexarunt Siciliam, C. Verres maxima admisit crimina avaritiæ, Majestatis diminutæ, libidinis, crudelitatis: igitur Verres in bello prædonum nullam exercuit Imperatoris virtutem.

AMPLIFI-

1. ARGVMENTATIO. Si quod bellum fuit fugitivorum in Sicilia (satis tuta ipso situ, & institutis, & fide) illud extinxit M. Crassus, non Verres: qui Prætor ut quæstus faceret, plures conjuratos servos, dominosque absolvit. Deinde negligens & mollis in obeundâ provincia, totus fuit in conviviis, & turpi amore mulierculararum.

2. ARGVMENTAT. Jam in bello prædonum, 1. sordidus Verres rapinis ac fraudibus undique pecuniam coegit; præsertim ex illa nave Cybea, quam furtis onustam deportavit è Sicilia: cum antea Mamertinis potiùs, quàm aliis populi Rom. fœderatis sociis magnas immunitates dedisset, cupiditate pecuniæ.

2. Reus

2. Reus est majestatis, quia captum fortè Archipiratam, quem statim publicè oportuit securi percussum esse, non populo spectandum dedit, neque in latomias, sed procul ad Centuripinos amandavit: pòst, hujus aliorumque piratarum loco Cives Rom. obvoluto capite necavit. Denique nullo Prætoris exemplo, privatus ac sine imperio illum populi Rom. hostem domi suæ servavit; qui si aufugisset, aut fuisset mortuus, quanta trepidatio civitatibus Siciliæ restabat?

3. Libidinosus Prætor amisit classem populi Rom. nam poculis intentus, hanc remige, milite, victu non instruxit, huicque præfecit Cleomenem hominem ebriosum, & Syracusanum, cujus uxorem amabat; itaque hæc classis inops & infirma brevi in piratas incidit, capta, subversa, incensa est, in ipso portu Syracusano, maxima populi clade atque opprobrio.

4 Crudelis in Navarchos, Civesque Rom. fuit, illos comprehendi innocentes jussit, impunè relicto Cleomene: ac parentes quidem frustra Verrem deprecati, celerem filiorum necem ac sepulturam redimere à crudelissimo lictore debent. Cives Rom. virgis cæcidit nullo discrimine: plures conjecit in latomias, atque in crucem egit, contra jus, dignitatem, fiduciam populi Rom. quin ipsam crucem Mamertinorum movit, & in conspectu Italiæ fixit.

PERORATIO.

1. Enumeratio criminum Verris.

2. Affectus seu obtestatio Deorum ac Dearum, quos impius Verres læsit.

CATIO ET AFFECTUS.

EXOR-

EXORDIUM.

STatim principio exordii proponit Cicero ironicè defensionem Imperatoris Verris ab Hortensio susceptam. *Num.* 1. *Nemini video.*

Mox ironiam lepidè auget dubitatione. *Num.* 2. *quid agam Iudices,*

Et facto M. Antonii Oratoris. *Num.* 3. *non possum.*

ANNOTATIO.

Illa est insinuatio oratoris, dum statim principio exordii utitur ironia ad fiduciam suæ causæ ostendendam, debilitandumque adversarium.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: C. Verres non est bonus Imperator. Effertur per concessionem. *Num.* 4. *non agam.*

Distributio seu argumenta propositionis sunt: quia C. Verres, neque in bello fugitivorum (quæ est prima pars contentionis) neque in bello prædonum (quæ est altera) ullam exercuit Imperatoris virtutem.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRimam Contentionis partem, seu de bello fugitivorum hoc enthymemate Cicero complexus est: C. Verres Siciliam adversus fugitivos non defendit, sed commovit suâ avaritia, neglexit sua luxuria: igitur C. Verres in hoc fugitivorum bello nullam exercuit Imperatoris virtutem.

Antecedentis pars prima, *C. Verres Siciliam adversus fugitivos non defendit*, probatur subjectione a b adjunctis

1. Quia fugitivorum bellum non fuit in Sicilia à C. Verre,

re, sed in Italia à M Crasso, & Cn. Pompeio confectum. *Num 5. quid dices.*

2. Quia Sicilia consilio & virtute M Crassi, non Verris, tuta fuit à fugitivis. *Ibid obstitisti videlicet.*

3. Tuta fuit situ & natura loci. *Num. 6 At cum in Italia.*

4. Tum maximè tuta fuit institutis & decretis Prætorum, qui illic ante Verrem fuerunt, ac præsertim securitate. L. Domitii. *Num.7. contagio autem ista.*

5. Etiam tuta fuit fide, & animo Siculorum erga Romanos. *Num. 8. Ergo his institutis.*

Antecedentis 2. pars, C. *Verres Siciliam commovit sua avaritia,* probatur 1. quia Leonidæ conjuratos servos pecunia absolvit. *Num. 9. quid igitur.*

Hanc Verris avaritiam Cicero amplificat 1. sustentatione. *Num.10 quid deinde?*

2. Apostrophâ, præteritione, concessione, *Num. 11. quid hoc loco.*

3. A communi metu civitatum. *Num. 12. quid ais bone custos.*

4. Exclamatione ironicâ, & festiva comparatione Verris cum summis Imperatoribus. *Num. 14. ô præclarum Imperatorem.*

Neque solùm servos pecunia absolvit, sed dominos etiam sine culpa comprehendit, ut vel inde quæstum faceret: quod plurium exemplis compertum est. *Num. 15. quid hoc.*

Maximè exemplo Apollonii, quem tam diu Verres torsit in carcere, dum se homo dives pecuniis redemisset. *Num.16. quid de Apollonio.*

Præclara est hæc narratio, quam de more exprimit orator ab adjunctis pulchrâ hypotyposi Deinde concessionem, seu præteritionem elegantem adjungit. *Num. 19. quod si ab Apollonio.*

Tum Hortensii prolepsim manifestâ Verris (qui Apollonium numeratâ pecunia dimisit) avaritiâ refellit, & apostropha ad Judices capitalem hujusmodi quæstum condemnat. *Num.22. prævideo enim.*

Consequens Enthymematis, *igitur in hoc fugitivorum bello nullam exercuit Imperatoris virtutem*, ironia & anacephalæosi interseritur, addita dubitatione, quæ sit transitio ad tertiam partem. *Num. 25. cupio mihi Iudices.*

Antecedentis tertia pars, *C. Verres Siciliam neglexit sua luxuria,*

luxuria, probatur ab itineribus luxuriosis, per tria tempora, hyemis, veris, & æstatis. *Num. 26. itinerum primum.*

Nam hyeme Syracusis, urbe commodâ, ferè perpetuò in conviviis, nunquam extra tectum visus est. *Ibid. primùm temporibus.*

Vere autem Verres non in equo, sed in lecticâ mollissimè rosis coronatus breve iter faciebat, & tantisper auditis magistratibus veneri & libero reliquum tempus tradebat. *Num. 27. Cum autem.*

Hic pulchrâ hypotyposi, & faceta similitudine pugnæ Cannensis, recenset convivia Imperatoris Verris, non sobria, non pudica. *Num. 28. quo loco.*

Æstate verò quando prætoris est obire provinciam, iste Hannibal æstiva castra amœno in loco ad Syracusas figebat. *Num. 29. Cum verò æstas.*

Ubi non cum hoste prælia, sed cum muliere Tertia, & nequam asseclis, & adulto filio, convivia instituebat. *Ibid. in eum autem.*

Cum interim inter muliercularum voces & cantus jus fieret in foro *Num. 30. ut per eos dies.*

Ad hæc digreditur Cicero in affectus, ridetque Hortensium, qui ejusmodi Imperatorem defendit, addito rursus xemplo M. Antonii oratoris *Num. 32. hunc tu igitur.*

Objectâ etiam tota Verris militiâ, qui cum adolescens in leatoris Placentini castris militaret, sæpe ære dirutus, hoc st, omnia stipendia aleâ perdidit. *Num. 33. Dii faciant ut.*

Postea vir factus & Prætor populi Rom. audax & impudiis miles fuit: quod duplici facinore per præteritionem proitur. *Num. 34. Iam verò cum.*

Deinde exclamando, & digrediendo rursus assurgit con1 Verrem, propositâ sui & illius comparatione: nam Cicein obeundis magistratibus sibi à populo Rom. mandatis, se curatum, & temperantem, & pium erga Deos exhibuit. *um. 35 ô Dii immortales.*

Contrà, Verres in suo Prætoris munere negligens, libidi-ius, impius extitit. *Num 37. tu cum esses.*

Postremò Verres cum ex urbe Tempsa fugitivorum relias expellere posset, nullum responsum Valentinis dedit, entus suæ Tertiæ. Itaque tunc omnes Verrem voce damant, quem postea tabellis judicialibus damnaturi erant *n. 38. nisi fortè Italici.*

Secun-

Secundam Contentionis partem, seu de bello prædonum, pari Cicero, ut primam, enthymemate complexus est: C. Verres in bello prædonum maxima admisit scelera, avaritiæ, Majestatis diminutæ, libidinis, crudelitatis: ergo neque in hoc prædonum bello ullam exercuit Imperatoris virtutem.

Antecedens prolepsi, distributione, attentionis renovatione proponitur. *Num.* 41. *Esto nihil.*

1. Quod non imperavit Mamertinis (quia clam ipsi pecunias dederant) certum numerum navium, nautarum, & militum, more cæterorum Prætorum. *Num.* 42. *Rem navalem.*

Deinde quòd Cybea nave maxima, donata ipsi à Mamertinis, & publico sumptu ædificata, privatim usus sit, ad furta, & prædas è Sicilia deportandas. *Num.* 43. *navem verò.*

Digreditur prolixius Cicero triplici prolepsi; priore, (inserta per apostropham ad Verrem & Hortensium concessione tam insolentis, & contra famam, legesque ædificationis navium, *Num.* 44. *quid mihi,*)

Refellit, negatque Verrem quidquam è suo expendisse ad Cybeam navim ædificandam, quia neque id testimonio Heji Principis Mamertini, neque publicis usquam tabulis proditur. *Num.* 46. *Verùm hæc omnia.*

Altera prolepsi reprehendit Verrem comparatione parium, quare potiùs Mamertinis, (imminuta populi Rom. auctoritate) quàm Tauromantinis, qui pariter fœderati erant, navem non imperavit. *Num.* 48. *at enim idcirco.*

Deinde quare alias immunitates Mamertinis dederit, præsertim frumentum non emendi. *Num.* 51. *Denique cum ex senatus consulto.*

Cum tamen frumentum non solùm à Tauromantinis, sed etiam à Netinis, quia pecunias non dederant, exegerit. *Num.* 55. *Age porrò tu.*

Posteriore prolepsi negat Verrem meritò laudari à solis ex tota Sicilia Mamertinis, quorum quidem laudatio ex utilitate proficiscitur. *Num.* 56. *hic mihi etiam.*

Confutato Verre, ex digressione redit ad eam navem, quam à Mamertinis Verres acceperat ad prædas, contra leges; & quam navem ipsis remiserat contra fœdera: hancque improbitatem geminam accusat. *Num.* 58. *Verùm ut ad classem.*

Addit & alias fraudes seu prædandi rationes, quibus iste

qua-

quæstum & pecuniam faciebat. *Num. 59. habetis unius.*

Exclamatio hanc partem antecedentis concludit. *Num. 61. hunccine hominem.*

Majestas diminuta inde censetur, quod adducta prædonum nave, & avidissimè exinanita (adverte hypotyposim) Piratas, & ipsum Archipiratam dimiserit, acceptâ pecuniâ. *Num. 62. cum propter istius.*

Dimissum autem Archipiratam esse patet, quia illum nemo vidit Syracusis, tametsi omnis populus illum cernere vinctum cupiisset. *Num 64. Conjectura bona est.*

Quare dissimili exemplo P. Servilii Verres in odium adducitur, quia jucundissimo spectaculo privaverit populum. *Num. 65. unus plures.*

Quia anxius, (quod sustentatio exprimit) ubi hunc prædonem suum custodiret, non in latomias Syracusanas (quarum brevis est descriptio) neque Lylibæum, neque Panormum, sed ad Centuripinos homines rerum imperitos amandavit. *Num. 67. Age porrò.*

Quia Syracusanis animadvertentibus non omnes piratas, neque Archipiratam ipsum interfici, Verres horum loco cives Rom. supposuit obvolutis capitibus, ne cognoscerentur. Hic est præteritio cum doloris sensu, & parva anacephalæosi. *Num. 70. Interea Syracusani.*

Quia teste M. Fannio (quod Cicero exclamatione & subjectione exaggerat) metuente conscientia, civem Rom. non Archipiratam, securi percussum esse fassus est. *Num. 72. At quemadmodum.*

Quia hunc Archipiratam nullo Prætoris exemplo, tamdiu apud se servavit. *Num. 94. Verum si crimen.*

Augetur crimen, & audacia, quia vel privatus ac sine Imperio, istum Populi Rom. hostem domi suæ retinuit. *Num. 75. Verum esto.*

Crimen amplificatur magis subjectione, & comparatione à consequentibus, si ille prædo profugisset, aut fuisset mortuus. *Num. 76 Quid si pridie.*

Libido Verris fuit ejusmodi, ut ab illa Romanorum classis amissa sit. *Num. 79 Hac tanta præda.*

Nam ab illa libidine, Verris negligentia in paranda classe, & convivia quotidie luxuriosa, & impudicus amor mulierculariun profluxit. *Ibid. nam æstate.*

Ab illa libidine præfectura classis Rom. collata est Cleo-

 meni,

meni, cujus uxorem amabat Verres. *Num.* 81. *Erat. Nic.*

Hanc classis præfecturam exclamatione expostulat orator mandatam, præ aliis, homini Siculo, & quidem Syracusano. *Num.* 82 *Accipit navem.*

Indignationem per antitheses auget dissimili exemplo M. Marcelli, & Majorum, quibus Syracusanorum fides semper suspecta fuit. *Num.* 83. *Itaque vir ille.*

Ab illa libidine classis Romana propugnatoribus, & remigibus inops infirmaque soluit ex portu, spectante & molliter vestito Verre. *Num.* 85. *egreditur.*

Hæc classis præfecto Cleomene ebrioso, brevi esuriit & ad se piratas allexit. *Num.* 86. *posteaquam.*

Tum Cleomenes per avaritiam præsidio, etiam terrestri destitutus, Centuripinâ nave, celerrimâ & fortissima fugam cœpit. *Ibid. Cleomenes autem.*

Reliquæ naves ducem secutæ, partim in fuga captæ sunt, partim submersæ, partim noctu incesæ. *Nu.* 89. *pelorum versus*

Quare in exclamationes, & affectus prorumpit Cicero, deploratque hanc populi Rom. cladem. *Num.* 91. *ô tempus miserum.*

Mirificè etiam describit istius cladis nuncium ab adjunctis temporis, & loci, & personarum, Cleomenis (in quem jocatur ab uxore & disciplina militari) & Verris, & Syracusanorum, qui tantum non Verrem, sicut Uticenses Adrianum, prætorem occiderunt, *Ibid. atque eadem nox.*

Præterea cladem amplificat ex eo, quod jam victores piratæ paucis navibus intrarint in portum Syracusanum, seu intimam urbis partem, quò hostium nullus, ne Carthaginensium quidem, penetrare hactenus potuit. *Num.* 94. *Confirmant ipsi se.*

Denique quòd in eo ipso portu, in quo Atheniensium classis victa est, insultat hostis classi Rom. frugibus, milite, remigibus destitutæ: hoc urbis ludibrium exclamatione rursus deploratur. *Num.* 97. *hic te Prætore.*

Crudelitas Verris primùm in navarchos, deinde in cives Rom. sæviit: in navarchos quidem, quia cum videret varios de sua libidine, atque avaritia sermones haberi (mirare in his & sequentibus hypotyposes; nam est rerum gestarum talis expressio, ut adhuc geri, & ante oculos esse videantur) consilium cepit navarchos convocandi, à quibus testimonium favens extorqueret, quod statim in tabulas publicas referri curaret. *Num.* 99. *posteaquam è portu.* Ve-

Verùm cum hoc sibi nihil profuturum cognosceret, statim omnes suæ avaritiæ testes de medio tollere statuit. *Num.* 102. *derisum credo.*

Excepto tamen Cleomene, de quo est elegans per prosopopœiam deliberatio. *Num.* 103. *occurrebat.*

Et dialogismus. *Num.* 104. *Cleomenem vocat.*

Igitur repentè comprehendi navarchos jubet, quasi classem prodidissent. *Num.* 105. *hac posteaquam.*

Spectat ista Cleomenes, familiariter Prætori adstans; atque accusator decernitur Nævius Turpis, vir Verri appositus. *Num.* 106. *cùm hac fierent.*

Interim lugere parentes, & deprecari filiorum sortem, & vincula: nominatim duo hospites Verris, Dexio & Sthenius; sed frustra. *Num.* 107 *veniunt Syracusas.*

Quam inhumanitatem orator amplificat à parentis utriusque lachrymis, & senectute, & jure hospitii. *Ibid. pater aderat.* Subjecta correctione per comparationem. *Num.* 108. *sed quid ego.* Et paulò post dialogismo. *Num.* 109. *catenas habebat.*

Heraclius homo innocens in simili calamitate, & causa fuit. *Num.* 110. *dicit etiam.*

Heracliensis item Furius, qui magna cum libertate, tum integritate accusans, minitansque Verri, necatus est. *Num.* 111. *Fuit in illis.*

Hic Cicero Verris crudelitatem erga Siculos opposità populi Rom. elementia redarguit. *Num.* 113. *Ne multa, Iudices.*

Philargi etiam Centuripini supplicium modò attollit incremento, modò extenuatione deprimit, ut miseris navarchis & parentibus misericordiam imploret apud Judices. *Num.* 114. *Nihil addi*

Nam commiserationem elicit primò proposita ianitoris carceris seu lictoris crudeli prosopopœià. *Num.* 117. *Aderat ianitor.*

2. Subjectà ad motum exclamatione, quòd parentes non jam celerem filiorum necem, sed ipsam sepulturam redimere oportuerit. *Num.* 118. *O magnum.*

3. Geminâ, & vehementi prosopopœia: una ad Verrem, quem numero testium adhuc superstitum magnæ crudelitatis & avaritiæ convincit. *Num.* 120. *Quis tum fuit.* Altera ad Judices per communicationem. *Num.* 122. *per Deos immortales.* 4. Pathetica prosopopœia Tyndaritanorum civium. *Num.* 123. *Cum mihi Tyndaritani.* g 2 Hæc

Hæc prosopopoeia gravior fit tum dissimili P. Africani, & Verris animo erga Tyndaritanos, tum cognatione, & privilegiis istius civitatis. *Num.* 124. *Vestros quondam.* Crescit etiam prosopopœiæ vis dubitatione per subjectionem, bonorumque omnium concessione, quæ Verres nefariè ex hac urbe, & tota Sicilia abstulit. *Num.* 125. *quo confugient.*

5. Proposito Siculorum præsertim duorum parentum, Dixionis, & Sthenii squallore, ac luctu, tum uxorum liberorumque gemitu, nec non totius Siciliæ querimonia, quæ Ciceroni est delata, *Num.* 127. *hoc jam ornatu.*

Quod reliquum est, affert Cicero aliquot prolepses, ne ullo pacto defendi possit Verres in hac erga navarchos crudelitate: non enim incertos fortunæ aut belli exitus Cicero objicit Verri, sed avaritiam in instruenda Rom. classe. *Num.* 130. *quapropter.*

Nec ipse objicit Verri (utique prætori) supplicium securis usurpatum; verùm arguit illud supplicium sine causa, cum crudelitate, probis navarchis, spectante maximè reo Cleomene inflictum esse. *Num.* 132. *etiam illud.* Tertiò non negat à familiari & paterno amico Hortensio Verrem defendi, sed vel à patre quidem suo defendi negat: quod perelegante certè prosopopoeia per anacephalæosim expressum est. *Num.* 135. *Hic tu etiam.*

Crudelitas Verris in cives Rom. Tria suppliciorum genera exercuit, virgarum, carceris, crucis. Hunc locum magno animi sensu aggreditur Cicero. *Num.* 138. *Satis est factum.*

Virgis cædi jussit multos, nulla, aut levi ex causâ, præsertim C. Servilium, de quo est pulchra hypotyposis. *Num.* 139. *Virgis quàm multos.*

In carcerem seu in latomias conjecit plures: cujus sceleris indignitas petitur à jure, ac libertate civium Rom. cum apostrophâ ad Judices, & repetitione ad Verrem. *Num.* 142. *Nam quid ego.*

Augetur indignatio seu avaritia Verris, cum odiosa comparatione ejusdem cum piratis Siciliæ (quos poetæ finxerunt) Dionysio, Phalari, Charybdi, Scylla, Cyclope. *Num:* 144 *Atque erat ista libido.*

Commovetur magis affectus voce ac imploratione miserorum Civium Rom. qui ferè omnes (ut Syracusanorum litteræ testantur, & convincunt Verrem) necati sunt. *Num.* 146. *His institutis.*

In-

nflammatur idem maximè motus exemplo Majorum, qui primè injurias nomini Rom. factas ulti sunt, & comparatione Scytharum. *Num.* 148 *si quis Rex.*

Concludit Cicero gemina prolepsi Verrem tot criminibus implicatum pœnas non evasurum. *Num.* 150. *si me hercu-*

1. Prolepsis est: etsi illi fuerint Sertoriani milites, quos cavit Verres, tamen clementia Senatus, Populique Rom. ditum in patriam impetrarant; atque Pompejus ipse illos fidem suam receperat. *Ibid quid enim defendit.*

2. Prolepsis est: non tantùm Sertorianos milites, sed liberos etiam mercatores (quod testantur Puteoli, P. Gavius. L. avius, aliique) conjecit in carcerem, & occidit obvolutis capitibus. *Num.* 152. *malo mehercules.*

Hanc mercatorum sortem miseram amplificat Cicero à benignitate populi Romani erga socios, & à periculis quæ illi mercatores subeunt in mari. *Num.* 156. *post hanc illorum.*

In Crucem egit P. Gavium Consanum Civem Rom. cujus supplicium narrare incipit orator, pathetica dubitatione. *Num.* 157. *Nam quid ego.* Prosequitur elegante in paucis hypotyposi. *Num.* .59. *Gravius hic.* Post exclamationem narrationem subjicit ad motum de libertate Civis Rom. *Num.* 161. *O nomen dulce.*

Subjicit & prolepsim, quæ Verrem plurium, & sua ipsius confessione convincit, atque jugulat, istum Gavium Consanum non speculatorem fugitivorum, sed civem Rom. fuisse, istumque in tormentis clamitasse, se civem esse Rom. *Num.* 163. *Nunc quoniam.*

Quare communicatione multa rursus amplificat, de jure, ac dignitate, ac fiducia civis Rom. quem tamen Verres tollere in crucem ausus est, *Num.* 165. *Si tu apud Persas.*

Sed vehementiùs assurgit amplificatio altero Verris facinore: quo crucem Mamertinorum loco movit, & in conspectu Italiæ fixit, ut se non jam P. Gavii; sed communis libertatis infestissimum hostem exhiberet. *Num.* 168. *sed quid ego.* Gradatio amplificationem istam graviorem reddit. *Num.* 169. *facinus est.* Altera item gradatio & comparatio per apostropham penè lachrymas & commiserationem erga navarchos, severitatem verò judiciorum erga Verrem elicit. *Num.* 170. *si hac non ad cives.* Cæterum si fortè absolvatur Verres (adverte insinuationem:) quod non est probabile,

Cicero fidem suam studiumque erga Remp. ista accusatione probavit. *Num.* 172. *A me tametsi.* Hortensium monet per existimationem suam, per susceptos in Republ. honores; per cætera ornamenta, desistat ulteriùs Verrem defendere. *Num.* 173. *Quamobrem te.* Denique promulgatâ jam lege, ut equites Rom. judicent, si quid à novis Judicibus committetur in hoc Verris judicio contra Rempubl. comminatur Cicero (adverte repetitionem) se ad populum Roman. causam esse acturum. *Numer.* 176. *ego mei.* Nec propterea dubitat nobilium virorum invidiam, atque inimicitias suscipere, exemplo M. Catonis, Pompeij, Fimbriæ, Marii, Cœlii. *Num.* 179. *Quæret aliquis.*

ANNOTATIO.

Contentionis propositio est perspicua. Argumentatio autem duplici Enthymemate constat.

Prioris Enthymematis tripartitum antecedens continet ironiam Imperatoris Verris, & confutationem Hortensii : Nam Cicero primò negat C. Verrem defendisse Siciliam. 2. Demonstrat capitalem avaritiæ quæstum exercuisse, quod indignando, sustentando, contedendo, & irridendo ostendit 3. Verris luxuriam facetiis, & argutis similitudinibus describit; insultans & aspergens crebrâ digressione Hortensium istius præclari Imperatoris defensorem. Posterioris Enthymematis quadripartitum antecedens habet insignes affectus, atque amplificationes quatuor criminum Verris: avaritiæ, majestatis diminutæ, libidinis, crudelitatis; propter quæ Cicero vocat C. Verrem in invidiam & in odium. Primùm avaritiam insectatur ex immunitatibus, quas dedit Mamertinis, & ex dimisso Archipirata, quem tamdiu domi suæ servavit. Deinde libidinem, & negligentiam Prætoris in instruenda classe, ejusque præfecturam homini Syracusano traditam indignatur, accusat, queritur, exclamat sæpius, dissimilia majorum exempla affert: turpem verò fugam navium, ac illarum incendium multis exclamationibus, & adjunctis deplorat: sed præcipuè affectum odii tractat objecta commiseratione navarchorum (fit enim ut flexi ad misericordiam animi, gravioris odii flammam concipiant contra sævum hominem) hæ sunt autem commiserationis causæ: comprehensio, & carcer innocentum navarchorum; contra impunitas Cleomenis, luctus ac deprecatio parentum, senum, & amicorum, & hospitum

spitum Verris, feritas atque avaritia Lictoris, vexatio, atque inhumatio corporum, querimonia Tyndaritanorum, totiusque Sicilia: qua tantis amplificationibus figurisq; sententiarum, prasertim prosopopœjis, narrationibus, exclamationibus, apostrophis, dubitationibus efferuntur, ut nihil videatur ad hos concitanda miserationis industrias addi posse. Verùm adauget Orator, atque accumulat odium Verris, majore misericordia erga cives Rom. quos ille virgis plurimos cadere, conijcere in latomias ferè innumeros, agere in crucem honestissimos quosque contra jus, & dignitatem, & fiduciam urbis, imo crucem in conspectu Italia figere non dubitavit. Hanc crudelitatem novis hypotyposibus, exclamationibus, apostrophis, comparationibus, gradationibus, sic etiam exaggerat, ut lachrymas civibus Rom. & sibimetipsi, & vel ipsis saxis propemodum moveat. Ita profectò magnus Orator apicem duorum horum affectuum, misericordia, & odii, attigisse crederetur, nisi restaret peroratio.

PERORATIO.

HÆc peroratio est illustris; fitque anacephalæosi hujus, & aliarum Verrinarum, recensendo illius crimina per obtestationem Deorum, ac Dearum, quos ipse læsit, aut quorum templa spoliavit. *Num. 183 Nunc te Iupiter.*

In fine breviter se commendat Cicero à fide sua in Remp. quod alibi sæpius facit.

ANNOTATIO.

Majus quoddam reperit Orator humano odio: Deos praterea, Deasq; vehementi apostropha obtestatur, per Verris furta, libidinem, avaritiam, & omnia flagitia, ut impium hominem terris invisum perdant. Atque ita factum est: nam C. Verres à populo Rom. in exilium missus, postea socius Deorum, ac Dearum Damonum fuit.

PRO M. FONTEIO

Argumentum, Quæstio, Stylus.

M. *Fontejus, Galliâ per triennium post præturam administratâ, Romam reversus, postulantibus Gallis repetundarum accusatur à M. Platorio, defenditur à Cicerone actione secundâ, consulatum gerentibus, quantum consequi conjectura liceat Q. Hortensio, & Q. Metello, cum judicia per tres ordines Aurelia lege administrarentur.*

Quæstio est in genere judiciali: an M. Fonteio Prætore oppressa fuerit ære alieno Gallia.

Stylus partim subtilis, partim mediocris, propter laudem M. Fonteii.

SYNOP-

SYNOPSIS

PROPOSITIO. M. Fonteio prætore non oppressa fuit ære alieno Gallia.

CONFVTATIONIS.

1. PARS. M. Fonteio Prætore nulla pecuniæ versura facta est, quia probari non potest pecuniam Fonteio esse datam: imò honestissimi quique laudant Fonteium ob res gestas in provincia, quæ difficulter paret; pauci, iique hostes vituperant.

2. PARS. M. Fonteius ex munitione viarum nô fecit quæstum; quia omnes coegit ad muniendas vias, & multorum operam improbavit: deinde non solus præfuit muniendis viis.

3. PARS. M. Fonteius novum vini portorium non instituit. *Probatio desideratur in Cicerone.*

DIGRESSIO. Sapientis est autem judicis Romani non credere Gallis testibus, inimicis, cupidis, à religione remotis: potiùs testimonio civium Rom. credendum est, & integritati virtutique M. Fonteii, quæ duabus accusationibus lædi non potuit.

PERORATIO. Misericordiæ affectus erga M. Fonteium, propter integritatem vitæ, nobilitatem generis, virtutem militarem, amicas provincias, matrem, ac sororem Vestalem, quæ pro ipso supplicant.

CONTENTIO.

EX hac mutila oratione sola superest contentionis illa pars, quæ confutatio dicitur; habetque tres partes: 1. M. Fonteio Prætore, nulla pecuniæ versura facta est. 2. Fonteius ex munitione viarum non fecit quæstum. 3. Novum vini portorium non instituit.

Confutationis 1. pars, *M Fonteio Pratore nulla pecunia versura facta est*, concessione urgetur, quia nullo teste, aut tabulâ probari potest, pecuniam Fonteio datam, sive à Gallis, sive à civibus Rom. *Num. 1. Hoc Pratore.*

Deinde amplificatur rebus gestis M. Fonteii in ea provincia, cui difficile est imperare. *Num. 2 proh Dii immortales.*

Tertiò confirmatur testimoniis eorum, qui amici sunt Fonteio, quique legatos ad eum in judicio laudandum miserunt (ut sunt Massilienses, & Narbonenses,) non verò audiendi qui sunt inimici *Num. 4. Hac qui gessit.*

Adde: major est hominum honestissimorum copia, qui M. Fonteium Prætorem defendunt, & laudant, quàm inimicorum, qui oppugnant. *Num. 6. Quid si majorem.*

Confutationis 2. pars, *M. Fonteius ex munitione viarum non fecit quæstum*, brevi conficitur ex eo, quòd coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt: deinde quòd alii præfuerunt isti munitioni. *Nu. 7. objectum est etiam.*

Confutationis 3 pars, *M Fonteius novum vini portorium non instituit*, desideratur in Cic. Tantùm dicitur eò majorê injuriam affingi Fonteio, quo graviùs est crimen, in singulas amphoras quaternos denarios portorii nomine exegisse. *Num. 9. cognoscite nunc.*

Sequitur elevatio testimonii Gallorum amplificata hoc syllogismo: sapientis est Judicis non credere inimicis, & cupidis, & à religione remotis testibus: tales sunt Galli: igitur non his credendum.

Major explicatur officio Judicis, qui vult esse prudens & rectus; præsertim in dubia causa. *Num. 11 At hoc Galli.*

Confirmatur exemplo eorum judicum, qui clarissimis etiam viris, ut Cæpionibus, Metellis, Scauro, Crasso, testibus non crediderunt. *Num. 13. An verò vos.*

Assumptionis 1. pars, *testes Galli sunt inimici Fonteio*, comparatione infertur ex causis inimicitiæ.

2. Pars, *testes Galli sunt cupidi*, eadem comparatione ostēditur,

ditur, opposita vel collata accusatoris Induciomari temeritate, atque audacia, cum consideratione & pudore Judicum. *Num. 17. si qui ob aliquod.*

3. Pars, *Galli sunt à religione remoti*, probatur ab effectis bellorum, & hostiarum, quas immolant. *Num 20. an verò istas nationes.*

Complexio syllogismi amplificatur comparatione, & contraposito, & Ethopeia. *Num. 22. Cum his vos testibus.*

2. Amplificatur integritate causæ, ac virtute M. Fonteii, quæ pluris apud Judices esse debet, quàm inanes minæ Gallorum testium *Num. 24. si M. Fonteium.*

3. Amplificatur à consequentibus, si Gallorum minæ profuerint contra civem Rom. eluditque Cicero has minas, excitando Imperatores, qui rursus contra istas nationes dimicent. *Num 26. magna mehercule.*

4. Amplificatur honestate & innocentia vitæ M. Fonteii, quæ duabus accusationibus lædi non potuit: proposito dissimili exemplo Scauri, Aquilii, Cottæ, Rutilii, Pisonis. *Num. 27. quid si in turpi.*

ANNOTATIO.

Maximè causam hanc tuetur Cicero rebus gestis & integritate vitæ M. Fonteii; ac ne Gallorum testimonia Fonteium urgere videantur, ea Orator infringit, partim in specie afferendo ex ipsa etiam Gallia Massiliensium, & Narbonensium testimonia pro Fonteio, partim in genere Gallorum fidem rejiciendo, ab adjunctis testium, qui non debent esse inimici, cupidi, à religione remoti; quales esse Gallos demonstrat.

PERORATIO.

Cicero multis conglobatis rebus, quæ pro Fonteio supplicant, excitat Judices ad misericordiam: primùm præter integritatem vitæ supplicat generis antiquitas, continua prætura in ista familia, recens memoria patris interfecti. *Num. 30 frugi igitur hominem.*

Deinde virtus militaris M. Fonteii, propter quam reservandus est in dubia Reip. tempora tot jam Imperatoribus amissis. *Num. 32. quare si.*

3. Amicæ M. Fonteio duæ provinciæ Macedonia, & Hispania; duæ urbes Massilia, & Narbonensis colonia, omnes item cives Rom. qui contra impetus terroresque Gallorum defendunt M. Fonteium, & Remp. *Num. 34. ac infestis prope.*

4. Lacrimæ ac complexus Matris, & Sororis Sacerdotis Vestæ. *Num.* 36 *quod si tantus.*

5. Perturbatus animus fortis viri, cui potiùs fuisset Gallorum telis, quàm injuriis interire cum ignominia. *Num.* 38. *videtisne subitò.*

Concludit M. Fonteium civitati, & suis amicis, non hostibus Gallis dedendum. *Num* 39. *& quo periculo.*

ANNOTATIO.

Adjuncta uti ad exordium sæpissimè, sic interdùm etiam ad perorationem magnam vim habent. concitantq; affectus, si conglobantur. Eo artificio Orator captat misericordiam M. Fontejo, collectis omnibus propè adjunctis hujus judicii, seu causæ. Addit prætereà actionem (qua nihil est potentius ad movendos animos) vel mulierum parentum, vel amicorum, vel ipsius etiam Fonteii, qui omnes supplicant.

PRO A. CÆCINNA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

HÆres uxoris suæ Cæsenniæ. A. Licinius Cæcinna Volaterranus, fundum repetit à Sex. Æbutio, qui viva Cæsennia, cùm ejus cognitor esset, in actione fundum illum emerat, nec tamen ante obitum Cæsenniæ possederat: eâ verò mortua, statim in eum, tanquam suum venerat. Cæcinna cùm in rem præsentem ex conventu cum amicis venisset, ut de fundo moribus deduceretur, vi, hominibus armatis repulsus ac prohibitus, impetrat à prætore interdictum, de vi hominibus armatis, ut, unde dejectus esset, eò restitueretur. Æbutius contrà dejectum esse negat, rejectum ait. Indè oritur quæstio de verbis interdicti, aliter ea Cicerone, aliter Æbutio interpretante: in eo facta sponsio est. Verùm hæc ampliùs in Narratione Manut.

Quæstio est in genere judiciali. an Cæcinna ex interdicto debeat restitui in fundum quem occupavit Æbutius.

Stylus subtilis, excepto exordio.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM.

Cæcinna considerate in agro cessit audaciæ Aebutii, & nunc constanter in judicio resistit improbitati. Atque hanc audaciam, ac improbitatem, quando impudenter fatetur AEbutius, quid tardant recuperatores judicare? an propter jus civile? non est hoc proprium uni Cæcinnæ. An propter æstimationem AEbutii? eò maturius est judicandum, quo turpiùs est factum. An Cæcinna debet confligere leviore actione? non est alia ratio, nisi interdicto possessionem repetere; neque porro est judicis actionem præscribere.

NARRATIO.

Cæsennia mandatum dedit AEbutio fundum emendi, eumque ex sextula hæredem fecit, illa mortuâ & hærede Marito relicto, AEbutius, vî, armatis militibus, Cæcinnam fundo prohibet: hic interdictum à prætore impetrat, ut unde dejectus esset, eò restitueretur. Ille restituisse se dixit; in eamque rem sponsio facta est.

PROPOSITIO.

Cæcinna ex interdicto debet restitui in fundum, quem, occupavit AEbutius.

ARGUMENTA.

1. Quia Cæcinna vi de fundo est dejectus ab Æbutio.
2. Quia Cæcinna cum fundum possedit.

ARGU-

ARGUMENT. AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

ARGVMENTATIONIS.

1. ARGVM.

AEbutius homines armavit, qui Cæcinnam dejicerent de fundo: igitur Cæcinna vi de fundo est dejectus ab AEbutio.

2. ARGVM.

Cæcinna fuit Cæfenniæ hæres, & pro hærede se gessit; item denuntiavit AEbutius Cæcinnæ, & Cæcinna moribus se deduci noluit: denique jus Civitatis non est Cæcinnæ ademptum; igitur Cæcinna eum fundum possedit.

Ridiculus est ac stultus cum testibus suis AEbutius, qui dicat se non dejecisse Cæcinnam de fundo; sed prohibuisse armatis hominibus ne accederet, ac propterea Cæcinnam non debuisse ad interdictum confugere: quasi vero alia sit actio, aut re ipsa non sit idem, vi prohibere & dejicere. Quod si quis in verbo latere velit callidè, aut ad verba rem deflectere, nulla lex, nullum fœdus, nullum etiam interdictum erit, quin infirmari, ac convelli possit. Itaque non verba, sed res, nec futilia verborum tendicula sunt admittenda, sed juris civilis ratio in causis retinenda.

2. ARGVMENTAT.

Nec lex Syllæ obstat in hac causa Cæcinnæ, nec ipsi (quia Volaterranus esset) potuit adimere libertatem aut Civitatem.

PERORATIO.

Judices spectare debent virtutem Cæcinnæ, non istam Syllanorum temporum rationem, quæ est extra causam.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero statim initio comparat invidiam Æbutio, qui magnâ audaciâ Cæcinnam vi, hominibus armatis de fundo dejecit; & nunc pari impudentia, seu malitia, quasi bonam causam habere videatur, in judicium venit. Judicum autem gratiam conciliat Cæcinnæ, qui considerate in agris cessit audaciæ; & nunc constanter in judicio resistit improbitati. *Num.* 1. *si quantum.*

Auget Cicero causæ suæ fiduciam ex Æbutii confessione, & testibus. *Num.* 3. *itaq; longè alia.*

Deinde non minùs callidum, quàm impudens consilium Æbutii excutit, quando hic de jure civili (quod est commune omnibus) an Cæcinna sit ex illis quibus Sylla civitatem ademit, causam deliberandi, judicandi moram ac religionem movit. *Num* 4. *Verùm tamen.*

Nam reverà Judices non de civili jure isto dubitant, sed de existimatione Æbutii: qua in re Cicero notat Recuperatores, qui seriùs ideò judicent, bis jam ampliata causa, quia ex eo judicio turpem Æbutii existimationem sequi videant. Illa enim neglecta eò maturius est judicandum quò turpius est factum. *Num.* 6. *quanquam ego mihi.* Ad id quod objici potest à Recuperatoribus, posse confligi leviore actione, quàm sit hæc de vi armata, unde turpis existimatio sequitur, respondet Cicero comparatione Prætoris, non esse Judicis præscribere orationem; deinde se non posse aliâ ratione, nisi possessionem per interdictum repetere: *Num.* 8. *at si quis.*

ANNOTATIO.

Cùm tertiò hæc causa Cæcinnæ ageretur (jam enim bis recuperatores non liquere judicaverant) Orator callidè Iudices admonet officii, ut maturiùs judicent de re turpi, seu armata vi, quam fatetur etiam ipse adversarius. Quòd si sequetur periculum existimationis, non propterea Iudices debent moveri & tardare; imo eò citiùs pœnam statuere; quo audaciùs Cæcinnam de fundo, vi dejecit Æbutius, & nunc impudentiùs venit in judicium.

NAR-

NARRATIO.

M. Fulcinius Tarquinienſis Cæſenniæ uxori moriens, uſum fructuum omnium bonorum ſuorum legavit, ut frueretur una cum filio hærede inſtituto. *Num.* 10. *M. Fulcinius fuit,*

Filio mortuo, & auctione bonorum conſtituta, Cæſennia fundum ex iis bonis emere de ſententia amicorum conſtituit: idque negotium Sex. Æbutio (hîc deſcribitur à Cicerone) dedit, cui fundus pecunia Cæſenniæ emptus, fuit addictus. *Num.* 12. *ſed hunc fructum.*

Cæſennia cùm non multò poſt A. Cæcinnæ nupſiſſet, eumque hæredem feciſſet, deceſſit. Tum Æbutius fundum iſtum, quem mandato Cæſenniæ emerat, cujusque ex ſextula hæres erat malitioſè ſuum eſſe dixit. *Num.* 17. *cùm omnia iſta.*

Itaque conſtitutum fuit, quo die in rem præſentem veniretur, ut cum Cæcinna de fundo eſſet dejectus, interdictum à Prætore poſtularet. Verùm Æbutius fundo occupato, Cæcinnam in eum ingredi (minus conſideratè) conantem coactis, armatisque hominibus per vim aditu, ingreſſuque prohibuit. *Num.* 20 *cum hoc nova litis.* Repulſus Cæcinna interdictum de armatis hominibus à Dolabella Prætore impetravit, ut, unde dejectus eſſet, eò reſtitueretur. Æbutius reſtituiſſe ſe dixit: in eamque rem ſponſio facta eſt. *Num.* 23. *his rebus ita geſtis.*

ANNOTATIO.

Hujus Narrationis ſynopſim refert Fabricius, ex Hotomano, ut annotat Freigius. Artificium in probandis adjunctis, & ad ſuam cauſam attrahendis, & deſcribenda qualibet perſona, præſertim Æbutii apparet.

CONTENTIONIS

Propoſitio & Diſtributio.

Contentionis propoſitio eſt hæc: Cæcinna ex interdicto debet reſtitui in fundum, quem occupavit Æbutius.

Diſtri-

Distributio seu argumenta sunt hæc: 1. quia Cæcinna vi de fundo est dejectus ab Æbutio. 2. quia Cæcinna eum fundum possedit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, Cæcinna vi de fundo est dejectus ab Æbutio, hoc Enthymemate tractatur: Æbutius homines armavit, qui Cæcinnam dejicerent de fundo; igitur Cæcinna vi de fundo est dejectus ab Æbutio.

Antecedens amplificatur confessione Æbutii, quem Cicero contemnit hominem stultum ac improbum, & enumeratione testium, quos facetè ridet, præsertim decimo loco Falculam. *Ibid. maximè fuit optandum.*

Defensio Æbutii, quòd Cæcinna non sit dejectus, sed prohibitus accedere primò, re ipsa refellitur. 1. quia contra hujusmodi vim, & prohibitionem qua actione alia, si datur actio, Cæcinna potuit uti, nisi interdicto, & quidem ex instituto Majorum? *Num. 31. an verò illa.* Confirmatur communicatione ad C. Pisonem Æbutii defensorem, adducto simili ædium suarum, & servorum exemplo, propter quod confugere deebt pariter ad interdictum: habebit enim hanc actionem, aut non aliam quampiam, aut omninò nullam. *Num. 35. Nondum de Cæcinna.*

Deinde defensio Æbutii iniquè latet in littera & verbo, sententia interdicti diminuta contra auctoritatem, mentemque majorum. *Num. 38. etenim perspicuum est.*

Tertiò si dixerit Æbutius se hoc interdicto non teneri, quia vis Cæcinnæ facta non sit, quòd nemo sit occisus, neque sauciatus; respondet Cicero comparatione à majori, si exercitus maximos vi pulsos dicimus, quòd his metus sit injectus, nullo milite aut cæso, aut sauciato: quanto majorem Cæcinna, & hujus advocati vim passi sunt, quos armatorum hominum terror in fugam, & periculum conjecit, licèt nemo vulnus accepit. *Num. 41. queramur, inquit licèt.* Adde scire esse armatos satis est, ut vim factam probes: Cæcinnam in manus Æbutii incidisse non est satis? de periculo neglecti hujus juris Judices monentur. *Num. 45. At verò hoc.*

Quartò communicatione ostendit Cicero Cæcinnam, qui

cùm vellet ad fundum accedere, prohibitus est, rectè dejectum dici, etsi nòn fuerit in eo loco: sicuti detrusus rectè dicitur, qui non attingitur. *Num.48 Age verò de vi.*

Denique si ad verba rem deflectere velimus, nulla lex, nullum fœdus erit, quin infirmari & convelli possit. *Num. 51. An hoc dubium.*

Hoc Cicero exemplis demonstrat L. Crassi (qui contra verba jus hæreditatis tribuit Curio) & fundi, & viæ, & formularum pupilli. *Num.52 Exemplis nunc uti.*

Imò verba sæpè non expendenda, sed rem, ostendit etiam Cicero testimonio ipsius interdicti: nam primo vocabulo (familiæ) teneris restituere eum, quem vel villicus, vel servus tuus dejecerit, non quòd hic familia tua sit (quis hoc latinè non intelligat) sed è familia: sic non minùs teneris, si unus servus, aut plures, aut universa familia, si procurator, aut libertus minimè negotio præpositus, si quivis externus, aut è tuis, tuo nomine aliquem expulerit: quia non verba, sed res quæritur. *Num. 55. veniunt in mentem.* Alterum interdicti vocabulum (hominibus coactis) ipsa æquitatis causa explicari debet. *Num. 59 Perge porrò.*

Tertium vocabulum (armatis) similiter de re, sive de vi armatorum facta, quomodocumque vel saxis, vel armis, vel ab uno, vel à pluribus, vel ab armatis, vel ab inermibus, intelligi debet *Num. 60. Armatisve quid.*

Concluditur testimonium interdicti parva anacephalæosi. *Num 63. verùm in his.*

Cicero venit ad defensionem Æbutii, cui facilius ostendet armatos non dici, qui sine scutis, & ferro fuerunt, quàm eum non esse dejectum, qui pulsus fugatusque sit. *Num. 64. venio nunc.*

Et simul adversarium Pisonem arguit, quòd jure Consultos accuset, seu iis non obtemperet, cùm ipse in verborum tendiculis latet, nec bonum & æquum defendit. *Num. 65. Atq; illud.*

Rejicit etiam exemplum Scævolæ, ut alienum à causa, *Num. 67. In ista defensione.*

Deinde excurrit in laudem juris civilis, æquitatem in causis valere, *Num. 70. Nam qui jus civile.*

Pergit exclamatione efferre jus civile, ac necessariò retinendum in Rep. ostendit; præsertim in causa Cæcinnæ. *Num 73. O rem præclaram.* Ex occasione digreditur in laudem

dem C. Aquilii, cujus testimonio utitur Cicero pro Cæcinna contra adversarios, subjecto dialogismo. *Num. 77 hoc loco percommodè.*

Tum apostrophâ reversus, Pisonem verbis pugnantem (quanquam id recusavit sæpius) hoc dilemmate captat: si tu, Piso, ad interdicti sententiam fugis, nostro gladio; si ad verba, tuo conficieris. *Num 81. quid est Piso.*

Altera ad Recuperatores apostrophâ subtiliùs ostendit, multis similibus, & exemplis, vim interdicti distingui. *Num. 85. velim Recuperatores.* Denique contendit, quod etiam priùs dixit, C. Pisonem pariter interdicto usurum, si quis ipsum ædibus vi prohiberet. *Num 89 Etenim Piso.*

Propositionis secundum argumentum, *Cæcinna eum fundum possedit, quem occupavit Æbutius*, etiam hoc Enthymemate tractatur: Cæcinna fuit Cæsenniæ hæres, & pro hærede se gessit. Item denuntiavit Æbutius Cæcinnæ, & Cæcinna moribus se deduci voluit; denique jus civitatis non est Cæcinnæ ademptum: ergo Cæcinna eum fundum possedit, quem occupavit Æbutius.

Antecedenti præmittitur hæc propositio: etsi Cæcinna non possedit eum fundum, debuisset tamen eò restitui, unde vi eit dejectus; idque probatur ex verbis edicti, tam in vi privata, quàm in publica. *Num 90 Vt verò jam.*

Tum Antecedens affertur. *Num 94. Atq; ego in hac.* Non fuisse verò jus civitatis Cæcinnæ Volaterrano ademptum ostendit Cicero ex lege Syllæ; non enim populus potest cuiquam libertatem, aut civitatem adimere: quod etiam præjudicio seu exemplo Arretinæ mulieris probat. *Num. 95 At enim Sylla.*

Quibus autem modis, aut causis adimi, vel non adimi jus civitatis possit, pluribus explicatur. *Num. 98 Certè quæri hoc.*

Verùm hæc esse extra causam, nec legem illam Syllæ quidquam obstare Cæcinnæ concludit Cicero. *Num. 101. Non me præterit.*

ANNOTATIO.

Dubia est, ut videtur, causa Cæcinnæ: nam utrumq; firmamentum adversarii dissimulat Cicero, non omninò evertit: defendebat enim (juxta sententiam Hotomanni) Æbutius se ob eam causam armasse, ne vis sibi afferretur, ac de suo fundo vi à Cæcinna dejiceretur. Quin etiam non modò id confitebatur, sed

ANALYSIS RHETORICA ORATIONVM M. T. CICERONIS.

Volumen II.

Pro lege Manilia, Oratio XIII.
Pro A. Cluentio Avito, Oratio XIV.
I. Agraria, Oratio XV.
II. Agraria, Oratio XVI.
III. Agraria, Oratio XVII.
Pro C. Rabirio, Oratio XVIII.
I. Catilinaria, Oratio XIX.
II. Catilinaria, Oratio XX.
III, Catilin. Oratio XXI.
IV. Catilinaria, Oratio XXII.
Pro L. Muræna, Orat. XXIII.
Pro L. Flacco, Oratio XXIV.
Pro P. Sylla, Orat. XXV.
Pro Archia Poëta, Oratio XXVI.
Post Reditum ad Quir. Orat. XXVII.
Post Reditum in Sen. orat. XXVIII.
Pro Domo sua, oratio XXIX.
De Haruspicum Responsis, oratio XXX.
Pro Cn. Plancio, oratio XXXI.

PRO

PRO LEGE MANILIA,

Seu

DE IMPERATORE POMPEIO DELIGENDO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

L. *Manilius Tribunus plebis promulgarat legem, qua omnes populi Rom. copiæ in Asia contra Mithridatem & Tigranem uni Pompeio Imperatori optimo committerentur; huic legi reclamarunt plures viri consulares, præsertim Q. Hortensius, & Q. Catulus; ille negans uni deferenda esse omnia, hic affirmans esse contra Majorum institutum. At Cicero valere legem pronuntiat, & annuente plebe evincit.*

Quæstio seu status hujus orationis est in genere deliberativo, an bellum in Asia contra duos Reges Mithridatem, & Tigranem sit à populo Rom gerendum; & an istius belli Imperator Pompejus sit diligendus.

Genus dicendi est mediocre ac temperatum, quod non solum in probando & flectendo versatur, sed etiam in delectando: quare permixtum censeri debet deliberativo genus demonstrativum ob laudes Pompeii.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Ab adjunctis Rostrorum: è quibus primum licet Ciceroni dicere.

NARRATIO. Grave bellum inferunt Romanis Mithridates, & Tigranes Reges: ab hoc bello discedit Lucullus: ad id deposcitur Pompeius.

PROPOSITIO. Gerendum est à populo Rom. bellum in Asia, & huic bello præficiendus est Cn. Pompeius.

ARGUMENTA.
1. Quia hoc bellum est genere suo grave & necessarium.
2. Est magnitudine periculosum.
3. Cn. Pompeius est bonus imperator.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUMENTI. In hoc bello Asiatico agitur gloria populi Rom. agitur salus sociorum, aguntur vectigalia maxima, aguntur fortunæ multorum civium: igitur hoc bellum est genere suo grave & necessarium.

2. ARGUMENTI. Hoc bellum conjungunt duo reges potentissimi, suscipiunt agitatæ nationes, victo Lucullo: igitur est magnitudine periculosum.

3. ARGUMENTI. In Pompeio est scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas: igitur Pompeius est bonus Imperator.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS,

1. ARGUMENTAT.

Populus Rom. qui semper gloriæ appetens fuit, & minimas injurias nomini Romano factas persecutus es, non ulciscetur bello Mithridatem, qui maximâ injuriâ affecit Italos, & jam tribus & viginti annis regnat impunè? non defendet, exemplo Majorum, socios, qui hoc bello periclitantur? sinet non pendi vectigalia fertilis Asiæ? fortunis evertentur multi cives Rom. & simul opibus ruet Resp?

2. ARGUMENTAT.

Rex Mithridates novis est copiis auctus, & secundo prælio L. Lucullum, lapso exercitu fortissimo, fugavit. Quis hunc Regem debellet?

3. ARGUMENTAT.

Nullum est bellum in quo à pueritia non sit versatus Cn Pompeius summâ virtute, & innocentia, & temperantia: huic accedit incredibilis authoritas, ac divinitus data felicitas: non huic tanto Imperatori bellum Asiaticum committetur?

CONFUTATIO.

Q. Hortensius malè nunc improbat uni Pompeio committi bellum Asiaticum; quia alias in prædonum bello lex Gabinia prævaluit, simul secuta felicitate Populi Rom. Q. Catulus malè etiam dissensit sententiæ, ac auctoritati populi Rom. qui sapienter pro ratione temporum mutavit consilium, multaque extra ordinem dedit uni Pompeio.

PERORATIO.

1. Laus C. Manilii ob promulgatam legem.
2. Studium Ciceronis in tuenda lege, commodoque Reip.

EXORDIUM.

Exorditur Cicero ab adjunctis Rostrorum, è quibus, quia nondum licuit sibi per authoritatem, ac facultatem concionem ad populum habere, omne tempus suum amicorum causis transmisit. *Num. 1. Quanquam mihi.*

Nunc cum ista authoritas ab ætate, & mandatis honoribus, facultas etiam longo usu accesserit, lætatur isto munere defungi. Num. 2. *Nam cum propter.* Præsertim lætatur in ejusmodi causa dicere, quæ cum laudibus Cn. Pompeji est conjuncta. *Num 3. Atque illud*

ANNOTATIO

Hoc exordium petitur ex visceribus causa, seu adjunctis. Nam gaudet Cicero se primùm è Rostris, ac de Pompeio dicere, captatque populi Rom. gratiam acceptos illis honores, & authoritatem, & dicendi facultatem referendo. Præterea ad inserviendum istius populi Rom. auribus, continuò numeros & periodos concinnat, tamquam in re belli ampla, & copiosa Cn. Pompeii laude.

NARRATIO.

Exordio subnexa est parva narratio, qua Cicero denunciat bellum grave & periculosum Romanis inferri à duobus Asiæ potentissimis regibus, Mithridate, & Tigrane; Lucullum ab eo bello discedere; Cn. Pompeium ad id bellum deposci, *Num. 4. Atque ut inde.*

ANNOTATIO.

In exornatione, & deliberatione non adhibetur narratio, ut diximus in Rhetoricâ, sed tamen in variis locis quadam narratiuncula inseri queunt, quæ pertinent ad causam; qualis est hæc, quæ viam sternit ad contentionem.

CON-

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est duplex, seu composita: gerendum est à populo Rom. bellum in Asia; atque illi bello præficiendus est Cn. Pompeius.

Distributio seu argumenta sunt hæc: gerendum est à populo Rom. bellum in Asiâ. 1. Quia hoc bellum est genere suo grave & necessarium. 2. Quia est magnitudine periculosum. Huic autem bello præficiendus est Cn. Pompejus, quia est bonus Imperator. *Num. 5. primùm mihi*,

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRimum Argumentum, ***Bellum Asiaticum est genere suo grave, & necessarium***, explicatur hoc enthymemate: in hoc bello Asiatico agitur gloria populi Rom. agitur salus sociorum, aguntur vectigalia maxima, aguntur fortunæ multorum civium: ergo bellum Asiaticum est genere suo grave & necessarium. *Num. 9. genus est enim*. Antecedens enthimematis clarè, ut patet, distribuitur in quatuor partes, ac singulæ habent complexionem consequentis, & adhortationem, ut populus id bellum gerat.

Antecedentis prima pars, *in hoc bello Asiatico agitur gloria populi Rom.* probatur à contrario, quia summum est dedecus populi Rom. non ulcisci bello & persequi regem Mithridatem, qui maximo nominis Rom. probro, una die tota Asia, omnes Italos impunè trucidavit. *Num. 7 & quoniam*, Augetur istud dedecus ex eo, quod Mithridates neque à L. Sylla, neque à L. Muræna superatus, societatem belli contraxerit in Hispania cum Q. Sertorio. *Num 8 Etenim adhuc ita*. Et quanquam Cn. Pompeius celerrimè in Hispania Sertorium vicerit, L. tamen Lucullus belli reliquias in Asia non confecit. *Num 9: sed tamen*. Maximè verò amplificatur dedecus populi Rom. exemplo majorum; qui bello ulti sunt

minores

minores injurias, quàm hæc sit à Mithridate allata. Itaque concludit orator, & ad bellum hortatur populum à minore ad majus per repetitionem, & antitheses *Nu.10 sed pro vestri.*

Antecedentis 2. pars, *agitur salus sociorum*, probatur, quia Ariobatzanes rex, civitatesque Asiæ (quæ idcirco Cn. Pompeium summa virtute imperatorem deposcunt) hoc bello periclitantur. *Num.12. quid quòd salus.* Concludit orator hanc partem, uti præcedentem pari adhortatione, & exemplo Majorum. *Num.14. quare si.*

Antecedentis 3. pars, *aguntur vectigalia maxima*, probatur ex fertilitate Asiæ, cujus provinciæ vectigalia plurimum ad belli utilitatem & pacis dignitatem conferunt. *Ibid. præsertim cum de vestris* Nullum autem vectigal adventante bello, aut ejus rumore, aut metu penditur: quod Cicero brevi enumeratione, & adhortatione subjicit. *Num.* 14. *Nam cæteris in rebus*

Antecedentis 4. pars, *aguntur fortunæ multorum civium*, probatur, quia multi cives Rom. vectigalia Asiæ conduxerunt, vel illic negotiantur, vel collocatas habent pecunias: qui si bello afflicti ac fortunis eversi sunt, necesse est simul evertatur, ac opibus ruat Resp. quare huic, & istis consulendum esse monet Cicero, *Num.17. ac ne illud quidem.* In fine fit brevis & clara complexio enthimematis. *Num.* 19. *quare videte.*

Secundum argumentum, *bellum Asiaticum est magnitudine periculosum*, hoc (quod infra *Num.* 26. clarum est) constat enthimemate: hoc bellum conjungunt duo reges potentissimi, suscipiunt agitatæ nationes, victo L. Lucullo imperatore; & vetere expulso exercitu: ergo bellum Asiaticum est magnitudine periculosum. Antecedens explicat narratio oratoria; 1. per prolepsim; quomodo L. Lucullus magna quidem laude Mithridatem copiis suis, & urbibus, ac Sertoriano subsidio, & regno spoliavit: non tamen illum cepit, aut extremo bello confecit. *Num.20. atque ut omnes.* Nam Mithridates stratagemate (simili fabuloso Medeæ exemplo) persequentem hostem remoratus, evasit ad Tigranem. *Num.22 cognoscite Quirites.*

Tigranes hunc excepit & confirmavit. *Num.23. hunc illo timore.*

Exteræ verò nationes contra Lucullum concitatæ, & metu territæ, se his regibus adjunxerunt. *Ibid, plures etiam gentes.*

tus. Itaque Mithridates novis multorum, qui misericordia erga Regem movebantur, copiis auctus, exercitu autem Romano sensim ad propria dilabente, de integro regnum recepit, & L. Lucullum (quod exemplo poetarum dicere orator præterit) prælio fugavit. *Num.* 24. *noster autem exercitus.*

Conclusio enthimematis clara est cum anacephalæosi, & transitione ad sequens argumentum *Num.* 26. *Multa præterea.*

Tertium argumentum, *Cn Pompeius est bonus imperator, 3.* Enthimema explicat: in Pompeio quatuor hæ res sunt: scientia rei militaris, virtus, authoritas, felicitas; ergo Cn. Pompeius est bonus Imperator. Consequens antecedenti præmittitur comparatione paucorum virorum fortium, quibus præferri debet Cn. Pompeius, & huic bello præfici. *Num.* 27. *utinam Quirites.* Antecedens pulchra distributione ornatur. *Ibid. ego etiam.*

Antecedentis 1. pars, *scientia rei militaris*, describitur enumeratione ætatis, ac bellorum Cn. Pompeij; quod ille à pueritia, omni genere belli, summa cum laude sit versatus. *Num.* 28. *ego enim sic.*

Hic locus habet antitheses, & repetitiones, & hyperbolas ad augendum.

Antecedentis pars 2. *virtus militaris*, probatur rebus gestis Pompeij per distributionem; confirmatur testimoniis provinciarum; amplificatur adjunctis bellorum. Nam orator enumerando recenset bellicas virtutes Pompeij, ac testimonia Italiæ, Siciliæ, Africæ, Galliæ, Hispaniæ. Adverte repetitionem. *Num.* 29 *Iam vero.*

Deinde rursus per antitheses describit pericula, damnaque populi Rom. ex bello prædonum & turpi, & antiquo. *Num* 31. *quis enim toto mari.* Clades etiam sigillatim multas exponit ad majorem significationis vim. *Nu.* 32. *sed quid ego.* Tandem exclamando admiratur Cn. Pompeium tot bella, tam latè infesta populo Rom. tamque diuturna, incredibili virtute, ac celeritate confecisse. *Num* 33. *prô Dii immortales.* Huic virtuti militari alias quasi socias & administras distributione adjungit. *Num.* 36, *quid cætera.* 1. Innocentiam Pompeij extollit comparatione quorundam imperatorum, qui dignitates ad quæstum, atque avaritiam vendiderunt, qui in hybernis vim & cladem civitatibus intulerunt, cupiditate pecuniæ: quorum nihil unquam in Pompeio fuit. *Num.*

37. *sum-*

37. *summa enim omnia.* 2. Temperantiam ex celeritate confecti belli prædicat. Quæ enim res cæteros imperatores remorantur, ut avaritia, libido, amœnitas regionum; hæc nihil istum abstinentem seu potiùs divinum hominem movetunt. *Num.* 40 *Age verò cæteris.* 3. Reliquas imperatoris virtutes breviter enumerat; concluditque tantum imperatorem huic bello præficiendum. *Num.* 41. *jam verò ita faciles.*

Antecedentis 3 pars, *Cn. Pompeij auctoritas*, quæ in administrandis bellis multum valet, magna est non solùm apud Romanos; verum etiam apud hostes. *Num.* 43. *& quoniam.*

Nam tanta fuit Cn. Pompeij opinio apud populum Rom. ut illum communi suffragio ad hoc bellum depoposcerit. *Num.* 44. *an verò ullam.* Tanta verò fuit ejusdem opinio ac nomen apud exteros, hostesque, ut ipsius adventu caritas annonæ diminuta sit, & hostis retardatus. *Num.* 44. *Itaque ut plura.* Plurimæ etiam urbes deditione: vel missa legatione receptæ. *Num* 46. *At verò illa.*

Antecedentis 4. pars, *felicitas Pompeij*, amplificatur comparatione fortunæ magnorum imperatorum, & præteritione rerum feliciter gestarum; tum maximè singulari benevolentia Deorum, qui in potestate Pompeij fortunam posuerunt. *Num* 47. *reliquum est.*

Concluditur perspicua anacephalæosi universa contentio. *Num.* 49 *Quare cum & bellum.*

Explicata contentione Cicero confutat Q. Catulum & Q. Hortensium (hic negabat uni omnia tribuenda) refellit præjudicio Caij Gabinii tribuni plebis, qui de uno imperatore Cn. Pompeio contra prædones constituendo legem promulgavit, frustra reclamante Hortensio. *Num* 52. *quid igitur ait.*

Deinde exclamando & interrogando præclarè enumerat clades, ac damna populi Rom. ex isto prædonum bello, nisi lex Gabinia, & non Hortensii sententia valuisset. *Num.* 53. *quid tum per.* Amplificat magis istas clades duplici comparatione: 1. Earum civitatum, quæ olim semper portus suos, & mare apertum tenuerunt: populus Rom ante legem Gabiniam non potuit. *Num.* 54 *qua civitas.*

2. Comparatione Majorum, qui toto mari semper dominati, Reges & Carthaginenses vicerunt: populus Rom. ante legem Gabiniam par prædonibus esse non potuit. *Num.* 55. *nos quorum Majores.* Quare approbat legem Gabiniam, populique Rom. sententiam contra Q. Hortensium. *Num* 56. *bono te animo.*

Digre-

Digrediens conqueritur A. Gabinium non missum esse Cn. Pompeio Legatum, quando id expetebat Pompeius, ac ipse Gabinius exemplo aliorum Tribunorum legatus esse poterat, & jure esse debebat. De qua injuria Cicero ad Senatum se relaturum profitetur. *Num.* 57. *quo mihi etiam.*

Contra Q. Catulum (hic dicebat Cn. Pompeio uni totam spem Populi Rom. propterea ad bellum mitti non debere; deinde esse contra exempla atque instituta Majorum, ut ad Pompeium omnia deferrentur) respondet Cicero ad primum, summi hominis vita, dum licet, populo Rom. esse fruendum. *Num.* 59. *reliquum est ut.*

Ad secundum respondet, Majores pro ratione temporum nova consilia cepisse, multaque uni viro contulisse: quod exemplis plurium imperatorum ostendit praeteritione. *Num.* 60. *Etenim nihil.* Ideò hoc saepiùs ipsi Pompeio factum à Senatu pulcherrima subjectione, & repetitione, ac rerum gestarum enumeratione demonstrat *Num.* 91. *in ipso C. Pompeio.* Quare adversarios reprehendit, qui sapienti judicio populi Rom. atque authoritati dissentiunt. *Num.* 63. *quare videant.*

Adjungit contra adversarios, & rursus praedicat Cn. Pompeij continentiam, huic Asiatico bello necessariam objecta aliorum imperatorum cupiditate & avaritia, parendi etiam difficultate, & odio exterarum nationum, à quibus tamen Cn. Pompejus expetitur. *Num.* 65. *diffic. l. est in Asia.*

Ad extremum propositâ auctoritate ac sententia clarissimorum virorum, Servilii, Curionis, L. Lentuli, Cassii, concludit adhortando Quirites, ut contra quam sentiunt Q. Catulus, & Q. Hortensius, uni Pompeio omnia committant. *Num.* 68. *quare nolite dubitare.*

ANNOTATIO.

Contentio est accommodata ad populum: nam est partitio clara, argumentatio brevis, & Enthimematica, copiosa amplificationes, suaves figura, transitiones passim venusta, qua majores ac minores argumentationum partes colligant. Deinde orator frequenter distribuit ad vulgi captum, & concludit per anacephalaoses.

Affectus etiam ubique sunt lenes, ut populum Rom. ad bellum gerendum, & deligendum Imperatorem Pompeium, non tam acriter

acriter impulisse, quàm sua sponte propensum inflexisse videatur.

Confutat adversarios cum insinuatione, & sine invidia: callidè etiam L. Luculli virtutem, non felicitatem laudat.

Postremò illud animadvertendum, cum proprium sit generis demonstrativi res amplificare, & delectando ornare, ita Cicero Cn. Pompeij virtutes effert per antitheses, interrogationes, hyperbolas, repetitiones, exclamationes, subjectiones, comparationes, (quæ figuræ habent plurimum ornatus, & suavitatis) ut quandam laudandæ personæ ideam effingere, ac posteris tradere voluerit. Præsertim utitur amplificatione per ratiocinationem & comparationem, quando in prima, & secunda contentionis parte auget gravitatem & periculum belli Asiatici, ut crescat imperatoris deligendi virtus : quam demum virtutem in Cn. Pompeio præ cæteris imperatoribus Rom. longè maximam attollit, tertia contentionis parte.

PERORATIO.

IN peroratione Cicero laudat C. Manilii legem, ac sententiam; illumque hortatur, ut in eâ permaneat *Num. 69. quæ cum ita sint.*

Deinde suam omnem operam pro hac lege pollicitus, testatur se non Cn Pompeij gratiâ, neque privato commodo, sed publico suadere, ita etiamsi cum invidia multorum. *Ibid. ego autem quidquid.*

ANNOTATIO.

Hæc peroratio est brevis & simplex, non ornata figuris, & affectibus; quia orator securus obtinendæ causæ, plura quàm dixit in contentione, non putat necesse esse dicere, aut de integro amplificare. Maniliam solummodo legem laudat ac præfert utilitatem Reip. in d. lectu Imperatoris.

PRO-

PRO A. CLVENTIO

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Sassia quadam, Cluentii Mater improbi mulier ingenii, libidinis effrenata, post binas nuptias, unas Patris Cluentii, Alteras A. Aurii Melini, generi sui, quem cum filia divortium facere coegit, postremò nupsit statio Albio Oppianico, qui Melinum, ejus virum occiderat. Hic cum intelligeret, Cluentium nondum testamentum fecisse, eoque mortuo bona ejus omnia ad matrem esse ventura: incensus avaritia, veneno eum tollere decrevit. Ea re cognita, duobusque præjudiciis jam probata, primum Scamandri damnatione, cujus in manibus venenum deprehensum fuerat, deinde C. Fabritii, qui Cleophanti, quo Cluentius medico utebatur, servum Diogenem ad venenum dandum spe & præmio sollicitaverat: Oppianicum Cluentius de veneno accusavit: qui cum damnatus esset, defensor Oppianici L. Quintius tribunus plebis quotidianis concionibus rem in invidiam adduxit, cum diceret pecuniam in judicio versatam: & cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico *datam: quia damnatus erat, & errore multorum in falso crimine Cluentius fuit: cum Oppianicus* C. Ælio *Staleno* DC. *millia* HS. *pro numero judicum, qui corrumpendi essent, dedisset. Quo postea crimine, & Stalenus ipse, & cum eo Bulbus, Gutta, Popilius, aliiq; ejusdem affines culpa judices damnati sunt. Annis quinque post damnationem cum Oppianicus in exilio periisset, uxor Sassia moliri cepit insidias filio, quòd ejus consilio diceret per M. Asellium quendam viro suo venenum in pane datum. Et cum de servis quæstione habita, nihil esset repertum: rursus eadem, triennio post, adolescenti Oppianico filia collocatâ, impulit eum ad filium de veneficio accusandũ. Is actore usus est L. Actio Pisaurensi, contra quem Prætor Cicero Cluentiũ defendit. Acta causa est ad Q. Vocenium Nasonem, qui de veneficiis Prætor quæsivit. Lepido & Tullo Cos.* Manut

Quæstio hujus Orationis, in genere judiciali, est composita seu duplex: 1. *utrum Cluentius ab annis octo corruperit judicium pecunia, quò Oppianicum vitricum suum condemnaret.* 2. *Utrum idem Cluentius veneficia commiserit. Dicendi stylus est subtilis & acutus: nisi in plerisque narrationibus, Exordio & Peroratione; ubi figuris & amplificationibus est plenus.*

 SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Is erit ordo Ciceronis in refellendo, quem adversarius in objiciendo tenuit. Id etiam erit officium Ciceronis de veneficio Clientium purgare; at falsam invidiam & inveteratam tollere erit judicum.

PROPOSITIO. Non Cluentius sed Oppianicus corrupit judicium pecunia. Cluentius veneficia non commisit.

ARGUMENTA.

Quia non Cluentius, sed Oppianicus habuit causam corrumpendi judicii.

Quia Cluentius non habuit causam committendi veneficii.

ARGUMENTATIO.

1. Argum. Cluentius justè accusavit Oppianicum de maximis criminibus; huncque Judices necessariò duobus præjudiciis condemnarunt: ergo non Cluentius, sed Oppianicus habuit causam committendi veneficii.

2. Argum. Triplex crimen veneficii, quod affingunt adversarii, nulli bono fuit Cluentio: ergo Cluentius non habuit causam committendi veneficii.

AMPLI-

Vibius intestatus est mortuus, Oppianicus adolescens ex intemperantia, vitricus febri in exilio, damnatus: quo veneno, quo metu, qua spe illos peremit Cluentius? nullum est adjunctum probabile: sed omnia sunt ficta ab impia & crudeli matre Sassia.

2. ARGVMENTAT.

Oppianicus octo scelera commisit; præsertim spe bonorum, & odio adductus Cluentium veneno tollere conatus est: num igitur & justè & necessariò Cluentius accusavit Oppianicum? deinde deprehenso manifestè veneno, & Scamandro Fabricioque (qui operam contulerant ad maleficium) damnatis, num ipse sceleris auctor atque architectus Oppianicus fuisset absolutus, maxima judicum infamia? uter jam habuit causam corrumpendi judicii, an hic qui gravissimè accusatus, & ob præjudicia damnatus est? an ille qui accusat justè, & in re bis judicata nihil timet? quid si constat Oppianicum Staleno pecuniam dedisse, & ab hoc judice postea circumventum? quid? si judicia, quæ jactat adversarius T. Actius, aut non sunt judicia, aut non contra Cluentium? certè judicium Junianum, propter vim tribunitiam non est legitimum, neque obest Cluentio. Bulbus verò, & Popilius, & Gutta, & Stalenus ambitus, & majestatis, & aliorum criminum damnati sunt.

ARGVMENTAT.
AMPLIFICATIO,

Judices debent tribuere misericordiam Cluentio, falsa jam tot annos invidia laboranti propter impietatem, matris.

PERORATIO.

Solus Falcula legitime accusatus de corrupto judicio, tamen ipse absolutus est. Præterea animadversio atque authoritas non est judicium : non igitur Junianum judicium propter Censorias, & falsas quidem causâ incognitâ subscriptiones, est judicium. Jam cætera objecta T. Actii, & ut de moribus Cluentii, levia sunt ; ut de legibus à quibus recessit Cluentius , regeri possunt in adversarium.

ET AFFECTUS.

EXOR-

EXORDIUM.

EXorditur Cicero eadem, qua accusator usus est distributione criminum, invidiæ & veneficii, quæ Cluentio affinguntur *Num.* 1. *animadverti*. Mox sese insinuans Orator, ac causam distribuens; quale sit suum in veneficio purgando, judicum verò in tollenda invidia officium declarat. *Num.* 2. *sed cum considero.*

Nam dubitatione judices officii commonet, ne falsa invidia in judiciis locum habeat *Num.* 4. *equidem quod ad me.* Postulat etiam ne præjudicia veritatem rei labefactent *Num.* 6. *quamobrem à vobis.* De se autem securitatem, & causæ fiduciam præfert, licet inveterata jam invidia. *Num.* 7. *ego me judices* Subjecta iterum deprecatione, & attentionis petitione. *Num* 8. *tametsi permulta.*

ANNOTATIO.

Orator in hoc exordio distributione docilitatem parat, quippe in obscura ac inveterata causa; deprecatione benevolentiam judicum captat ab officio & aquitate: labefactata prajudiciis veritate, attentionem petit, in communibus invidia periculis.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio, uti quæstio, est duplex; prior, eaque bipartita: non Cluentius, sed Oppianicus corrupit judicium pecunia. Posterior: Cluentius veneficia non commisit.

Distributio seu propositionis argumentum est: quia non Cluentius, sed Oppianicus habuit causam corrumpendi judicii.

Posterioris propositionis argumentum est: quia Cluentius non habuit causam committendi veneficii.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRioris propositionis argumentum, *non Cluentius, sed Oppianicus habuit causam corrumpendi judicii*, hoc Enthymema late fundit: Cluentius justè accusavit Oppianicum de maximis criminibus; huncque judices necessariò duobus præjudiciis condemnarunt: ergo non Cluentius, qui justè accusavit; sed Oppianicus qui necessario condemnatus fuit, habuit causam corrumpendi judicii. *Num. 9. corrupisse dicitur.*

Antecedentis 1. pars, *Cluentius justè accusavit Oppianicum de maximis criminibus*, amplificatur expositione seu enumeratione criminum Oppianici. *Num.10 primùm igitur.*

Præmissa brevi apóstropha ad Oppianicum adolescentem Oppianici filium, de justa accusatione patris sui, & defensione Cluentii. *Ibid. abs te peto.* Deinde præmissa narratione, quâ paulò longiùs exordia criminum Oppianici impetuntur. *Num. 11. atque ut intelligatis.*

1. Cicero exponit mortem patris Cluentii, relictis duobus liberis, Cluentio & Cluentia. *Ibid. A. Cluentius.*

2. Exponit nuptias Cluentiæ cum A. Aurio Melino. *Ibid. grandem autem.*

3. Nefarium amorem matris (si quidem mater est appellanda) Sassiæ in generum *Num. 12. cum essent hæ nuptiæ.*

4. Cluentiæ divortium à Melino. *Num. 13. filia quæ.*

5. Nuptias Socrus cum genero: quod scelus Orator amplificat adjunctis, & exclamationibus. *Num. 14. tum verò illa.*

6. Simultatem Cluentii filii cum matre Sassia. *Num. 16. tulit hoc commune.* Hic parva est digressio de parentum injuriis vel reticendis, vel æquo animo ferendis: quas sanè reticeret vel ferret Cluentius, nisi nefaria & crudelis mater (adverte hypotyposim) palam filio intentaret mortem. *Num. 17. Nam illud me.*

His præmissis descendit ad enumerationem criminum, propter quæ Cluentius causam habuit accusandi Oppianici. *Num. 19. Nunc jam summatim.* 1. Crimen Oppianicus M. Aurium Dineæ matris testamento creatum hæredem cum

cum aliis curavit interficiendum, ut solus ipse pecunia potiretur. *Num.21 Larinas quidam.*

2. Crimen: (ad quod transit per incrementum) Oppianicus his interfectis non horruit Sassiam uxorem ducere, occisis etiam duobus liberis *Num.25. Itaque illis.* Hanc liberorum cædem ab adjunctis ac præsenti matris luctu Orator prosequitur. *Num 28. atque hunc tantum.* Et comparatione majorum commovet ad odium Oppianici, concluditque (uti adhuc sæpius) justè sceleratum hominem esse accusatum & damnatum. *Num 29. Sentio judices.* 3 Crimen: Oppianicus Cluentii uxorem propinato veneno peremit. *Num. 30. acervatim jam reliqua* Eodem veneno C. Oppianicum fratrem, & ejus gravidam uxorem simul cum partu necavit. *Num 31. Eodemque veneno.*

Quod crimen comparatione majorum amplificatur. *Num 32. memoria teneo.* 4. Crimen: Cn. Magii prægnantem uxorem abortione facta duxit. *Num. 33 itaque cum hanc.* 5. Asinium adolescentem Ajulii opera & fraude in condendo testamento (nam Ajulius assimulata familiaritate eum Asinio fecit testamentum quasi esset Asinius) interfecit, & oblata pecunia rem cum triumviro Manlio transegit. *Num. 36. quid? illa cædes.* 6. Dineam socerum sustulit, ejusque testamentum adulteravit. *Num. 40. quid aviam.* 7. Lavini tabulas publicas corrupit, fuitque ea re in invidia apud omnes. *Num. 41. illum tabulas.* 8 (Quod maximè in causa est, & propter quod accusare Oppianicum vitricum & hunc condemnari necesse fuit) Oppianicus Cluentium veneno tollere conatus est. *Num 42 hunc tamen.*

Quo autem pacto id conatus sit Oppianicus, narrat Cicero ex causis & adjunctis, unde facti probabilitas penditur: nam una causa occidendi Cluentii Oppianico fuit, hujus odium in illum, qui Martiales defenderet. *Num. 43. Martiales quidam.*

Altera causa fuit, spes bonorum Cluentii, quia hoc mortuo, qui testamentum non fecerat, hæres futura erat mater. *Num. 44. suberat etiam.* Adjuncta autem, seu facultates fuerunt Fabricii, quorum fratrum consuetudine primùm, deinde improbitate usus est Oppianicus, ut per Diogenem Clophanti medici servum Cluentio infirmo venenum daretur: *Num. 46. Itaque his rebus.* Jam modus, quo factum liquet, fuit ipsius servi non incallidi consilium, & emptio, &

veneni deprehensio in manibus Scamandri. *Num 47. Servus non incallidus.*

Concludit Orator exclamatione, & interrogatione per indignationem, sceleratum Oppianicum non solùm justè, sed necessario etiam fuisse accusatum à Cluentio. *Num.* 48. *Proh Dii immortales.*

Antecedentis 2. pars, *Oppianicum judices necessario duobus prajudiciis condemnarunt*, expolitur pari narratione Oratoria; nam primùm Scamandri præjudicium his exponitur: 1. Cluentius Scamandrum detulit deprehensi in manibus veneni. *Num.* 49. *satis esse arbitror.*

2. Rogatus ab Aletrinatibus Cicero, patronus Scamandri accessit. *Num* 49. *hic tum Fabricius.* 3 P. Canutius variè & graviter accusabat Scamandrum criminis jam manifesti. *Num.* 50. *Res agi capta est.* 4. Cicero cum metu incipit, verùm post aliquanto fortius dicere. *Num.* 51. *hic ego cum.* 4 Prosopopœia seu dialogismo, quidquid Cicero ad defendendum Scamandrum proferret, confutabat Canutius. *Num.* 52. *sed ut quidquid.* 6. Scamander brevi convictus testibus, & ipsa Oppianici perturbatione (quam hypotyposi Orator oculis subjicit) omnibus sententiis, præter unam, quam suam Stalenus esse dicebat, condemnatus est. *Num.* 53. *Denique hoc loco.* Alterum Fabricii præjudicium his exponitur: 1. Cluentius damnato Scamandro, non statim Oppianicum (tacitè condemnatum) sed Fabricium Oppianici familiarem reum facit. *Num* 55. *quis tum erat.* 2. Fabricius causæ suæ Patronos (nam Cicero, & Alterinates patroni esse impudentes nolebant in re jam judicata) Cepasios fratres quærit adjuncta similitudine. *Num.* 56. *Hic tum Fabricius.* 3. Breviter accusatio Canutii, ut in re judicata affertur; deprehensio verò Cepasii faceta ironia subjicitur. *Num.* 58. *Citatur reus.* 4. Fabricius qui jàm à subselliis, demisso capite, seu causæ diffidens discesserat, legis vi, & sententiis judicum est condemnatus. *Num.* 59. *jam tum.* Concludit Cicero Oppianicum tot criminibus accusatum, his jam duobus præjudiciis damnatum absolvi non potuisse. *Ibid. quid est quod jam.* Conclusionem 1. Amplificat comparatione majorum: judices enim Scamandrum & Fabricios sceleris administros damnarunt, ipsum principem atque architectum Oppianicum

nicum absolvent? *Num.* 60 *unum per Deos.* Conclusionem 2. amplificat infamiâ ac turpitudine Judicum, si id commisissent, & secum ipsi pugnassent: quod dialogismo ostendit. *Num.* 61 *quid enim tandem.*

Consequens Enthymematis. *Ergo non Cluentius, at Oppianicus habuit causam corrumpendi judicii.* 1. Infertur summatim Apostrophâ ad accusatorem T. Attium, quod Cluentius non corruperit judicia Scamandri & Fabriciorum; neque igitur illud judicium, quo damnatus est Oppianicus. *Num.* 62. *quod si hoc videtis.*

Prolepsi quidem ac dialogismo fatetur Cicero judicium fuisse corruptum; sed affirmat verosimilius ab Oppianico (qui ob maxima scelera accusatus, & ob præjudicia damnatus, habuit causam tentandi judicium pecuniâ) quâm à Cluentio, qui justè accusans, & in re bis judicata non habuit causam corrumpendi judicii. *Num.* 63. *Multa dici.* 2. Infertur consequens Enthymematis sigillatim argumento (aliis prætermissis) quòd Oppianicus, non Cluentius, grandem Staleno Judici pecuniam dederit: ubi Apostrophâ adversarios urget *Num.* 64. *atq; ego illa.* Mox quomodo res sit gesta, narratur petitâ attentione *Num* 66. *quoniam igitur.* 1. Oppianicus sibi metuens ad Staleni Judicis, qui Scamandro faverat, familiaritatem se applicavit. *Ibid. nam ut primùm.*

2. Stalenus (qui homo probè describitur, præsertim similitudine) suam Oppianico pollicetur operam, acceptâ pecuniâ. *Num.* 67. *Tum à Staleno.* 3 Stalenus fallere & condemnare Oppianicum deliberat; hancque deliberationem Orator prosopopæiâ, & adjunctis exornat. *Num.* 69. *qua pecunia.* 4. Capit consilium Stalenus plenum fraudis ac mendacii, pollicendi judicibus, nominatim Bulbo & Guttæ pecuniam, quam posteà supprimeret, quando hi destitutione irati Oppianicum damnarent: quod consilium faceto & elegante dialogismo, & Ethopæiâ exprimitur. *Num.* 71. *Capit hoc consilium.* 5. Canutius audiens pecuniæ mentionem inter judices fieri repentè judicium fieri curat, absente tum Staleno, & conviciante L. Quinctio. *Num.* 73 *manarat sermo.*

6. Oppianicum nummarii judices irati condemnant, additâ similitudine: alii severiores non liquere judicium, quia corruptum, pronuntiant: alii condemnationem in re bis judicata confirmant. *Num.* 75. *consurgitur in consilium.* 7. L. Quinctius unâ atque alterâ vehementi concione Senatum

vocat in invidiam judicii corrupti. *Num. 77. Condemnato.*

8. Interim Oppianicus cum Staleno expostulat, agitque de repetunda pecunia. *Num. 78. atq; illo ipso.* 9. Tum suspicatur populus de Staleno, Bulbo, & Gutta; quasi innocens Oppianicus sit circumventus. *Ibid. hujus Staleni.*

Suspicio etiam ad C. Junium præsidem judicii pervenit iniquitate temporum. *Num. 79. atq; in hanc.* Verùm hanc iniquitatem temporum, atque invidiam esse sublatam gaudet Orator. *Num. 30 neq; me pœnitet.*

3. Infertur consequens Enthymematis, & amplificatur prosopopæia Cluentii & Oppianici, quòd hic causas multas, ille nullam haberet corrumpendi judicii. *Num. 81. quid est prætereà*

Confirmatur consequens, quia nusquam in tabulis videtur ista pecunia esse à Cluentio profecta, sed ab Oppianico. *Num. 82. Age quoniam.*

Ad prolepsim respondetur Stalenum fuisse ab Oppianico, non à Cluentio constitutum ad corrumpendum judicium; quia illum Cluentius & Canutius facilè passi sunt abesse à judicio, non Oppianicus & Quinctius. *Num 83. At enim Stalenus.* Iterùm consequens subjicitur complexione & dissimili comparatione. *Ibid. quare si istine.*

Demùm alterâ prolepsi arguitur T. Actius stultitiæ, qui stultiùs comprobavit, quod stultè venit in mentem Staleno, vel Cethego. *Num 84. At enim pecuniam.* Deinde gratia inter Oppianicum & Cluentium conciliari non potuit istâ pecuniâ, tum ex allatis causis, tum præsertim quòd ista pecunia planè numero Judicum responderet. *Num 86. Verùm alia.*

Confirmationem prioris partis contentionis sequitur longa confutatio T. Actii, qui tria objiciebat: 1. Judicia facta permulta esse, à Cluentio judicium esse corruptum. At Cicero distributione probat ea judicia non esse legitima: deinde non esse contra Cluentium, sed esse pro Cluentio: 3. Non esse judicia, *Num. 88. at enim judicia.*

1. Judicium Iunianum non esse legitimum, quia C. Iunius propter seditionem & turbam, sine disceptatione damnatus est, quòd in legem non jurasset, & quòd non esset ex lege subsortitus. Adverte dialogismum. *Num. 89. condemnatus est,*

Ista

Ista verò Iunii damnatio obesse seu præjudicium esse Cluentio non potest, quia C. Iunius, etsi peccavit contra legem Corneliam damnando veneficiis Oppianicum judicio corrupto, nihil tamen contra alias leges, seu contra jusjurandum, aut sortitionem judicum commisit, quod solùm obesset Cluentio. *Num 92. Hoc vos Cluentio.* Confirmatur ex eo, quòd sit eadem ipsa causa Cluentii, quæ nunc avidè, & cum silentio, at tunc seditiosè, & vi tribunitiâ dicebatur. *Num. 92. Ergo idcircò.*

Hæc iniquitas temporum, ac summæ potestatis, amplificatur dissimili comparatione Syllæ cum Iunio, & Orchinii cum Quintio. *Num. 94. Nuper apud.* Amplificatur etiam alterâ comparatione Majorum, quòd nec à C. Popitio, nec à Q. Metello optimis temporibus vis tribunitia sustineri potuit, nedum his temporibus. *Num. 95 Optimis herculè.* Concluditur Iunianum judicium non fuisse legitimum, propter vim illam, nec fuisse cum causa Cluentii conjunctum. *Num. 96. non fuit igitur.*

2. Judicium Bulbi, P. Popilii, & Guttæ, nec fuit contra Cluentium, quia hi duo ambitus, ille majestatis damnatus est. *Num. 97. at etiam Bulbus.*

Deinde judicium Staleni fuit pro Cluentio, quia Stalenum accusantibus comitiis, quòd ab Oppianico pecuniam accepisset, ut judicium corrumperet, derisâ illius reconciliatione gratiæ, damnatus est; quod ipsum est quod jam Cicero contra Oppianicum, & pro Cluentio contra Actium contendit judicari *Num. 99. quid quòd Stalenus.* Brevi anacephalæosi prædicta judicia recoluntur. *Num. 103. Ergo adhuc.*

Judicium etiam Falculæ pro Cluentio fuit, quia ille bis accusatus à Tribuno Quinctio: semel quòd non decuriæ munere, neque ex lege sedisset: iterùm, quòd accepta à Cluentio pecunia Oppianicum condemnasset, jure absolutus est. *Num. 103. videamus ecquod.*

Imò absolutus est Falcula ab iis quinque judicibus, qui Oppianicum, sive imprudentiâ, sive misericordiâ, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducti absolverunt: Fabricium verò & Scamandrum condemnarunt. *Num. 105. Tum etiam illi.* Hìc digressus Cicero, laudat nominatim judices eos, qui Oppianicum non absolverunt. *Num. 107. Ac ne ex facto.*

Quinctium verò Tribunum perturbatorem judiciorum, igno-

ignobilem patronum, arrogantem, novum hominem vituperat Ethopæia. *Num.* 108, *hic tum agitante.* Ex digressione revertitur Cicero dialogismo cum T. Actio, cui ostendit nullum isto judicio fuisse accusatum præter Faleulam, qui tamen sit absolutus: alii si de corrupto judicio & non de aliis criminibus damnati essent, damnatus esset & Falcula, cùm eadem sit causa ejus & cæterorum. *Num.* 113 *sed ut illuc revertar.*

Igitur hi non fuerunt de pecuniis repetundis accusati (quod unum facit ad rem) neque etiam rei facti. *Num.* 114. *Quid enim mihi.*

Neque consuetudine id judicium appellari oportet: nam si judicium esset, idem Scævola ab inimicis suis lege de captis pecuniis postulatus esset. *Num* 115 *Hic profertur id.*

4. Non sunt judicia, quia animadversio atque authoritas censoria non est judicium.

Hanc confutationis partem Cicero ingreditur quodam procemio de suo officio, seu insinuatione, ne duorum censorum dignitatem aut amicitiam lædat. *Num.* 117. *sequitur id.*

Ac primùm in genere probat partim argumentis, populi suffragiis sæpenumero censorias subscriptiones esse deletas, partim exemplis C. Getæ & aliorum, in quos Metellus & Domitius Censores animadverterunt, qui tamen nullâ notâ, aut honore in perpetuum laudati sunt. *Num.* 119 *video igitur.*

Argumenta sunt hæc expressa: sæpè censoria animadversio à populo Romano rescissa est, à juratis judicibus repudiata, à magistratibus neglecta, à successoribus commutata, inter collegas discrepare solita: non est igitur judicium. *Num,* 121. *Itaq; non solùm.*

Deinde in specie probat Junianum judicium propter censorias subscriptiones non esse judicium; agitque dilemmate: vel enim illud est verum, vel falsum; si verum, ergo censoria subscriptio non minùs urbi timenda est, quàm proscriptio, & regia potestas, & dictatura *Num.* 123 *Quæ cùm ita sint.* Si falsum. ergo Cluentius pecuniam non dedit, sed nocens & damnatus Oppianicus, quod recapitulatione ejus criminum ostendit Cicero. *Num.* 124. *Sin autem quod.* Confirmat esse falsum illud judicium, seu potiùs falsam subscriptionem Censorum, quia hi & sermone atque fama sine testibus, tabulis, argumento, causa incognita statuerunt. *Nu.* 126 *quid igitur.*

Imò etsi [digreditur Cic.) statuissent secùs, hoc est causa cogni-

cognita: tamen res convelli poterat exemplo Matrinii. *Ibid. quòd si ista.*

Deinde si in duos tantùm pecunia corruptos subscriptum est, cæteri ergo gratis Oppianicum condemnarunt. *Num.* 27. *nam hac quidem.*

Nec dicas parem esse, & probatam censoriam sortitionem, uti militarem; quia magna sunt incommoda istius censoriæ sortitionis *Num* 128. *nam ut illud.*

Redit ad falsam illam subscriptionem, atque hujus causam refert in plausum popularem, & Tribunum Quinctium, & temporis invidiam. *Num* 130 *Verùm omnes.* Denique fallas esse, nec fixas esse debere horum Censorum subscriptiones, concluditur argumento, quòd uterque Censor discrepans, nihilque comperti habens, alter alterius opinione standum non putavit. *Num* 131 *Quòd si hanc.* Addit & prolepsim, quam dissolvit probitate Cluentii, & errore potiùs temporum, quàm Censorum, exemplo P Africani. *Num.* 133. *At in ipsum.*

Cætera objecta T. Actii (de illo judicio) breviter & ironicè confutat: 1. Egnatii elogium propter levitatem, & inconstantiam *Num* 135 *unum etiam est.* 2. Senatus-consultum propter importunitatem Tribuni plebis, & concitationem multitudinis, adjunctâ similitudine. *Num.* 36 *At enim Senatus.* 3. Orationem Ciceronis, quæ servijt tempori, & causæ, non authoritati. *Num.* 138. *Est etiam reliqua.*

Exemplo M Antonii, vel potiùs L. Crassi. *Num* 140 *hominem ingeniosum.* Alterum T. Actii objectum de legibus, quibus Cicero Cluentium nòn defendit, prolixiùs confutat.

1. Lepidâ irrisione Actii à voluntate Cluentii, cui ipse defensor paruit. *Num.* 143. *nunc quoniam.*

2. Retorquens argumentum; nam non Cicero aut Cluentius recessit à lege, quâ soli Senatores tenentur (Cluentius autem Senator non est) sed Actius: quod esse indignum ostendit Orator pulcherrima amplificatione legum, quarum vi civitas ac judicia omnia continentur. *Num.* 145 *neque mi illa.*

Actium verò recessisse à legibus probatur, quia eam tum legem, quæ de solis Senatoribus loquitur, ad Equites, & ad populum vult transferre. *Num.* 149. *Itaq; abjicio legem.*

Ac Senatus quidem non recusat se illâ lege teneri. *Num.* 150. *Deinde quis.* Verùm equester ordo & plebs præter alias non

non vult huic legi subjici. *Ibid. converte nunc.* Quare meritò Equites Romani M. Druso apertissimè repugnarunt, ne sicut jam Cluentius, nova lege alligarentur: quia denique dissimilis est ratio status Senatoris & equitis; quod exclamatione & prosopopæia approbatur. *Num. 153. O viros fortes.* Postremò Cicero obtestatur Judices, ne Cluentius aliter quàm eques Rom. defendatur; hoc est, ne in populum lex ista Senatorum transferatur. *Num 155. quæ si vobis.*

Pollicetur que suum officium. *Num. 157. hic nunc est.* Judices pariter commonet, esse ipsis ex officio juxta statutas leges judicandum. *Num 158. non enim.* Tertium objectum T. Actii de moribus Cluentii, quasi infirmum brevissimè diluit: ut de injuria Decii, de vi illata pastoribus Anscharii & Pachemii, de testamento Ælii Florii legato, Cælii uxore, bonis Ennii, Bennii læsione. *Num. 160. atq; ut existimetis.* Post hæc concluditur confutatio T. Actii de moribus Cluentii, transitione ad secundam partem contentionis. *Num. 164. Habetis Iudices.*

Posterioris propositionis argumentum, *Cluentius non habuit causam committendi veneficii*, hoc enthymema conficit: triplex illud crimen veneficii, quod affingunt adversarii, nulli bono fuit Cluentio: ergo Cluentius non habuit causam committendi veneficii.

Primum veneficii crimen, de C. Vibio Capace refellitur ex eo, quòd L. Vibius teste L. Pletorio, intestatus sit mortuus: cui igitur bono illum veneno sustulisset Cluentius? *Num. 165. Objectum est.*

Secundum crimen de Oppianico adolescente rejicitur brevissimè 1. ex adjunctis propinati veneni. *Num. 166. Alterum veneficii.*

2. Ex adolescentis Oppianici morte cujus causa fuit cruditas & intemperantia. *Num. 168. nego illum.* 3. Ex testimonio ipsius patris. *Ibid. quis huic rei.*

Tertium crimen de Oppianico ferè similiter corruit 1. per subjectionem ex ipsa causa veneficii; quia Cluentius neque Oppianicum metuebat ut exulem & damnatum, neq; oderat ut miserum, quippe cui mors potiùs, quàm vita esset solatio. *Num. 169. unum etiam.*

2. Ex persona Asellii, quia cùm hic Oppianico familiarissimus esset, & Cluentio offensior, certè Cluentius non illo usus est ad hoc crimen: Deinde si Asellius venenum dedit, cur

non accusatur ab Actio? *Num. 172. Age verò venenum.* 3. Ex absurdis; quia non pane, sed poculo venenum confundi solet *Num. 173. Iam verò illud.* 4. Ex adjunctis mortis Oppianici; quia non repentè, sed posteà febri, cùm cecidisset ex equo (quod à servulo est scitum) est mortuus. *Num. 174. At repentina.* 5. Ex consequentibus; quia Sassia post viri mortem, insimulare ac perdere scelesta filium aggressa est, *Num. 176. Post mortem ejus.*

Eo consilio emit servum Stratonem, & Nicostratum, quem crudelissima & iterata quæstione diu torsit, ut fictam saltem (quam nunquam potuit) criminis suspicionem extorqueret. *Ibid. Emit de A Rupilio.* Eodem consilio Stratoni dedit tabernam, & filio Cluentio filiam despondit. *Num. 178. Larinum postquam.*

Deinde cum Strato furtum, & cædem fecisset (est narratiuncula) furiosa mulier hunc, ac de integro Nicostratum triennio post mortem Oppianici postulavit in quæstionem. *Num. 179. hac ipso ferè tempore* Quin mater audax, non callida fictam quæstionem in caput filii intentare conata est. *Num. 183. post triennium*

Ficta autem fuisse ipsa quæstio ostenditur, 1. Subjectione, quia nulla furti, de quo nunc agitur, fuit mentio, sed tantùm veneni, cujus quidem criminis confessionem dolor expressit. *Num 183 Vtrum furtum factum.* 2. Apostropha ad T. Actium, quia quæstio obsignata non fuit. *Num. 185 atq; istam* 3. Apostropha ad Oppianicum, quia ista quæstio non est reservata huic judicio, sed exsecta lingua in crucem actus est Strato *Num. 186. sto in tabellis.*

ANNOTATIO.

Quoniam tota Contentio narrationibus præsertim, confutatione, & argumentatione magis subtili, quàm copiosa & vehementi constat, de his tribus hæc annotabimus.

I Ac ne parùm attentus Lector varietate narrationum perturbetur in hac oratione, intelligat (quod hic doctè admonet Paulus Manutius, & nos in Rhetorica docuimus) esse narrationum duo genera, unũ in causa, alterum extra causã, quod tamen ad causam pertineat. Extra causam possunt esse narrationes

multa:

multa: in causa, si crimen unum objicitur, una tantùm requiritur; si plura, pluribus uti licet. Conferuntur in Cluentium tria veneficii crimina: unum de C. Vibio Capace, alterum de Oppianico adolescente, tertium de Oppianico sene; de quibus criminibus jurati Judices sedent: tres igitur in causa narrationes necessariæ sunt. Extra causam autem, totidem tres; 1. de vita & criminibus Oppianici. 2da. de Scamandri, & Fabricii præjudiciis. 3tia de Staleno aliisq; corruptoribus judicii, ut his tanquam antecedentibus, & præmunitione, justa causa Cluentii & innocentia probetur, ac suspicio veneficii tollatur. Singulæ autem narrationes sunt oratoriæ & probabiles circumstantiis rerum, & adjunctis personarum eleganter expositis; perspicuæ & breves verbis simplicibus, cum ornatu quodam, & concinno ad aures concursu numerorum, quem plerique annotant in hac præsertim oratione. Suaves sunt varietate figurarum, & motuum, & styli: nam crimina Oppianici invidiosè, mulieris Sassiæ libidinem ac sævitiam atrociter, innocentiam Cluentii miserabiliter, acutè, & facetè Scamandri & Fabricii præjudicia, callidè condemnationem Staleni effert Orator.

Prolixa actio T. Actii, & refutatio (primùm de Iuniano judicio, quod corruptum fuit) deinde de legibus, à quibus recessit Cicero in defendendo Cluentio; tertiò de moribus Cluentii, pressè & subtiliter confecta est à numero 88. usq; ad numerum 165 quæ ad certam juris formam & judiciorum rationem magis, quàm ad Rhetoricam praxim pertinet.

Argumentatio duplex est enthymematica. ***Amplificatio*** *partim ex causis & adjunctis per distributionem, hypotyposes, subjectiones, prolepses, ironias ducta est.* ***Affectus primus est invidiæ, quam in accusatores retorquet Cicero; secundus odii in nefarium Oppianicum, & crudelem Sassiam; tertius misericordiæ, in Cluentium innocentem. Sed pro his jam vide Perorationem, ubi sedes affectuum.***

PERORATIO.

IN hac parte Orator Sassiæ odium, & misericordiam Cluentio concitat apud Judices. Odium concitat exclamatione, præteritione, & anacephalæosi flagitiorum impiæ mulie-

mulieris. *Num.*188. *quod hoc portentum.* Novumque crimen ipsi affingit, hoc est non sine ejus consilio venenum esse Oppianico datum. *Num.* 189. *illud primùm queror.* Confirmat & amplificat hanc impietatem Sassiæ in filium 1. à comparato atque instructo accusatore. *Num.* 190. *non modò id non,* 2. Ab itinere sceleratæ hujus matris, sollicitatione pecuniosa, nocturnis precibus: quæ omnia ab adjunctis mirificè describit. *Num.*192. *atque his rebus.* Cluentio misericordiam concitat deprecatione, benevolentiâ, & laudatione Larinatium. *Num.* 195. *vos Iudices.* A pari item studio & affectu vicinorum, quorum aliquot recenset. *Num.* 197. *age verò.* Deinde ab ipsa nefariæ matris persona, cujus scelera acriter & acervatim rursus congerit ad odium. *Num.* 199. *horum omnium.*

Ad extremum à persona Cluentii, cujus falsam jam tot annos invidiam, & veneficii crimen deprecatur anacephalæosi superiorum argumentorum. *Num.*200. *Sin autem id.*

ANNOTATIO.

Vsurum se Cicero æquioribus Iudicibus sperat, si Oppianico in infamiam adducto, flagitia scelerata matris agitantur in Peroratione; sic fiet (quod factum est) ut subjecta oculis judicum & amplificata impietate Sassiæ, tandem Cluentius suspicione culpa liberetur.

I. AGRA-

I. AGRARIA, IN SENATV.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Valde imperfecta est hæc Oratio, vixque continet tria capita legis Agrariæ, nempe de venditione vectigalium, emptione agrorum, deductione coloniarum. Quare pro argumento & ampliore notitia recurrendum est ad II. Agrariam, in qua Cicero ipsa eadem omnia explicat populo, quæ hic strictim in Senatu proponit.

Quæstio est in genere deliberativo, an iniqua & inutili lege Agraria, quam tulit Rullus, permittendum sit Decemviris vendere vectigalia, emere agros, deducere colonias.

Stylus est tenuis & acutus.

SYNOPSIS.

PROPOSITIO. Iniqua & inutili lege Agraria, quam tulit Rullus, permittendum non est Decemviris vendere vectigalia, emere agros, deducere colonias.

ARGUM. Quia hæc fient in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

ARGUMENTATIO.

1. PARTIS. Illa vectigalia populi Rom. sunt & semper fuerunt in magno pretio, quæ vendita infinitas pecunias afferent Decemviris: igitur venditio vectigalium fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

2. PARTIS. Ement Decemviri agros, quos, & à quibus, & quanti volent: igitur emptio agrorum fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

3. PARTIS. Quò & quos volent Colonos Decemviri, vel per Italiam, vel Capuam deducent. Igitur deductio agrorum fiet &c.

AMPLIFIC. ET AFFECTVS. Hanc indignitatem ferat Populus Rom. ut Rullus, seu Decemviri vendant optima vectigalia ad fraudem & ad quæstum? ut emant agros, quos, & à quibus, & quanti velint? ut nova bella seu novam Capuam, superbam quidem illam ac crudelem, novis colonis excitent ad tyrannidem?

PERORATIO. Rullus non est popularis, qui legem agrariam fert; sed Cicero est popularis Consul, qui ei legi resistit; & resistet porrò nisi resipiscant Decemviri.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: iniqua & inutili lege Agraria, quam tulit Rullus, permittendum non est Decemviris vendere vectigalia, emere agros, deducere colonias.

Distributio seu argumentum: quia ista fient in fraudem Populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorûm.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

Prima pars argumenti, *venditio vectigalium fiet in fraudem populi Rom seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum,* hoc enthymemate demonstratur: illa vectigalia Populi Rom. sunt & semper fuerunt in magno pretio, quæ vendita infinitas pecunias afferrent Decemviris: igitur venditio vectigalium fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

Antecedens ingreditur Cicero exclamatione, sustentatione, prosopopœia. *Num.*1. *hæc per Deos immortales.* Mox indignatione exaggeratur, & Apostropha ad Rullum 1. Ex adjunctis Sylvæ Scantiæ, & consulatus Ciceronis, *Num.*3 *utrum tandem.* 2. Ex multitudine possessionum, quas Decemviri deinceps vendent. *Num.*4. *vendit Italia.* 3. Ex nullo loco definito, ubi vectigalia vendantur. *Num.* 7. *hoc verò ejusmodi.* 4. Ex futura concursatione Decemvirorum per provincias, eorumque regia potestate vendendi, publicandi, liberandi; ingenti illorum quæstu, ac terrore populorum. *Num.*8. *Iam illa omnibus.*

Tres autem hujus Agrariæ legis exceptiones, ut acerbas multis, etiam Pompejo, & quæstuosas Decemviris reprehendit Cicero, præsertim Apostropha ad Imperatores. *Num.* 10. *Sunt tamen.*

Secunda pars argumenti, *emptio agrorum fiet in fraudem popu-*

populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum, hoc brevi enthymemate perstringitur: ement Decemviri agros, quos, & à quibus, & quanti volent; igitur emptio agrorum fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

Antecedens invidiosa hypothesi contrahitur ad Rullum, quem urget variis adjunctis suæ legis, & irridet à persona soceri. *Num. 14. videtis jam.*

Tertia pars argumenti, *deductio coloniarum fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum*, hoc enthymemate exponitur: quò, & quos volent colonos Decemviri vel per Italiam, vel Capuam deducent: igitur deductio coloniarum fiet in fraudem populi Rom. seu boni publici, & in privatum commodum Decemvirorum.

Antecedens superiorum concessione, & dialogismo Orator invidiosè conjicit ex fine legis Agrariæ, quæ est tyrannis; vel in Italia, si hanc colonis suis Decemviri compleant. *Num. 15. Verum esto, nihil.* Vel Capuæ, quam apertè Decemviri occupant, ad sedem suæ tyrannidis atque imperii. Hoc vero tyrannicum consilium Decemvirorum probabile facit Cicero ab adjunctis loci; quòd Capua fertiles & abundantes habeat agros ad exercitus alendos; quòd hæc urbs sit opposita Imperio Rom. quòd Majores hanc delere voluerunt, ne novus Annibal crudelis ac superbus exsurgeret. *Num. 18. Jam omnis omnium.* Amplificat ex adjectis Capuæ oppidis denominationem Decemvirorum. *Num. 20 at quemadmodum.*

Denique concludit, & prætermissione queritur non jam vectigal optimum, sed Remp. ista lege Agraria periclitari. *Num. 21. non queror.*

ANNOTATIO.

Legis Agrariæ iniquitatem, damnumq; explicat Cicero ex triplici capite. Præcipuè Decemvirorum seu Rulli fraudes, & quæstus, & tyrannidem Reip. periculosam amplificat. Ex his invidiam in Agrarios confert, & consul cavet Reip. qui affectus meliùs patebunt in Peroratione.

PERORATIO.

Cicero licentia se acrem & popularem in Rep. tuenda Consulem profitetur, contra Agrarios, qui ejus pacem fraudulentis legibus perturbant. *Num. 22. his ego rebus.*

Deinde hortatur Rullum & cæteros collegas, ad concordiam intestinam; ut posito errore, meliores Reip. partes sequantur ad honorem dignitatemque. *Num. 26. quamobrem per Deos.*

ANNOTATIO.

Facit hoc strenui consulis professio mirificè ad gratiam Senatus, *populiq; Rom. colligendam, & præterea ad perterrendos Agrarios, quos Plutarchus ait hac oratione ita perculsos fuisse, ut nihil contradixerint. Mitigavit tamen Cicero adhortatione, si ipsi velint verè populares videri.*

II. AGRARIA
AD POPVLVM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Legem Agrariam (lex fuit de agris à popul Rom. captis in Cives distribuendis) P. Servilius Rullus, tribunus pleb promulgavit, ut largitionis specie populi gratiam aucuparetur. Verùm Consul Cicero eam legem, iniquam atq; inutilem, sic in Senatu & apud populum dissuasit ac reprehendit, ut eam Rullus prospecta Senatus ac populi voluntate, ferre non sit ausus. Hujus legis octo capita vide in Plutarcho, P. Manutio, Fregio; qua nos in contentione recensebimus.

Quæstio est in genere deliberativo, an sit tollenda lex Agraria.

Stylus est passim subtili disputatione tenuis & acutus: nisi quòd Tyrannidem Decemvirorum, & agros, aut vectigalia, qua cogitat Rullus vendere, amplificet. Temperatus est item in Exordio, & Peroratione.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. A persona Ciceronis, qui initio Consulatus nõ laudat majores suos vetere instituto; sed ad gratiam populi magis promerendam, commemorat se novum hominem, suo tempore, una omnium voce factum esse Consulem.

PROPOSITIO. Quare popularis vult esse Consul contra Agrarios, qui lege sua Remp. & populum perturbant. Lex Agraria est tollenda.

ARGUMENTA.

1. Quia est lex iniqua quæ in creandis Decemviris tyrannicè libertatem populi Rom. imminuit

2. Est lex inutilis, quæ fraudulenta venditione, & emptione, & coloniarum deductione, privatorum seu Decemvirorum pecunias auget, publicas exhaurit.

ARGUMENTIO.

1. Argum. Lex Agraria privat suffragiis populum Rom. in creãdis Decemviris: ergo lex Agraria est iniqua, quæ &c.

2. Argum. infinitum est, quoddam regnum legis Agrariæ, & infinita Decemvirorum potestas vendendi, emendi, colonias deducendi; ergo lex Agraria est lex inutilis, quæ &c.

1. ARGUMENTAIONIS. AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

Magna fraude ac malitia Rullus sancit, ut per XVII. tribus Decemviri creentur, & more Pontificis maximi; tum ut lege curiata ornentur: nam si rectè discùtis hæc quatuor prima legis Agrariæ capita; & regiam creationem Decemvirûm, & formam tyrannidis invenies, contra Majorum exempla, & leges, & populi Rom. libertatem.

2. ARGVMENTATIONIS.

Reliquis autem quatuor capitibus (sunt octo) Orator exponit fraudulentas Decemvirorum venditiones, & emptiones, & coloniarum deductiones; quòd hi quadam specie fictæ largitionis, bona populi Rom. agros, vectigalia exhauriant, ut ipsi sibi innumerabiles pecunias conficiant. Nam Rullus de venditione nihil definit, nisi admodum obscurè: ex quo Cicero invidiosè subjicit assumitque maxima regna extra Italiam, ut minorem Asiam, ut Ægyptum, &c. & vectigalia etiam recentia Pompeii Imperatoris, quæ omnia publica facta arbitratu suo Decemviri vendent.

Similiter tectè ac tantum generali propositione complectitur agros Rullus, quos lex jubet emere, ut steriles ac pestilentes quosdam in Apulia deceptæ ac deductæ plebi assignare possint; venditis interim optimis populi Rom. vectigalibus, & ex iis incredibili pecunia Decemviris parata. Tertiò Decemviri Capuam in Coloniam deducent (contra quàm Majores sapientissimè providerunt) ut in agro Campano optimo, jam diviso & plebi R. erepto constituant immane regnum & tyrannidem; itaque novo rursus bello erecta Campana arrogantia (quæ nunc afflicta est) contra Romam suscitetur.

PERORATIO.

1. Anacephalæosis.
2. Affectus Ciceronis Consulis & vigilantis, & fortis, & popularis contra Agrarios.

EXOR-

EXORDIUM.

Exorditur Cicero dissimili comparatione sui, & nobilium: nam hi adepto magistratu, ita solent agere gratias populo, ut se ac majores laudent: Cicero, novus homo, dicere de majoribus non potest, de se autem arroganter loqui, aut de maximis populi beneficiis liberè veretur. *Num.1. Est hoc in.*

Quare ad laudem populi modestè hæc tria commemorat, & altera comparatione dissimilium amplificat; se novum hominem, suo tempore, una populi voce factum esse Consulem. *Num 2. quare adhibetur.* Et quanquam sibi erit difficultas gerendi magistratus 1. quòd auxilio nobilium destituetur. 2. quòd existimatio una voce cum populi judicio, in erratis periclitabitur, 3. quòd popularis erit Consul, tamen ea sibi fortiter perpetienda esse dicit. *Num.5.hoc ego tam insigne.* Præsertim (à conjugatis) popularem se futurum Consulem profitetur, quia à populo factus est Consul. Contra, Agrarios non esse populares ostendit, quia populum oppugnant, & Remp. perturbant. *Num.7. neque enim illo modo*

Confirmat ab effectis, & repetitione amplificat se esse popularem Consulem qui pacem, qui libertatem, qui otium toto suo Consulatu spectat. *Num.9. quid enim est.*

Contra Agrarios non esse populares contendit, qui ostentatione quadam ac simulatione largitionis Remp. & populum perturbant. *Num. 10. neque enim Quirites.* Addit prolepsim ut non videatur Gracchos vituperare, qui Agrariæ legis authores, & maximè populares fuerunt. *Ibid. nam verè dicam.*

ANNOTATIO.

Insignis est insinuatio hujus Exordii, quâ non statim Orator (in re fortasse populo minus grata) legem Agrariam oppugnat; sed à sua persona, & mandatis sibi honoribus incipit, ut sensim comparata populi gratia delabatur ad Agrarios, quos non esse populares affirmat, sed simulata largitione perturbatores Reip. eosque vocat in invidiam.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositioni callidè etiam Orator præmittit narratiunculam, in qua signis quatuor externis, conjicit Agrarios aliquid contra Remp. molitos esse. 1. quòd sua consilia Ciceronem Consulem celarint; 2 quod clam & nocte convenerint. 3. quòd Rullus initio magistratu severiùs se gessit (ubi vide Ethopœiam) 4. quòd hic obscurè (præterquam indisertè) de hac lege Agraria concionem habuerit. *Num* 11. *Itaque ut initio.*

Præmissa hac narratiuncula, seu insinuatione, iterum se præmunit studio suo, erga populum & Remp. defendendam; & prolepsi dissidium sæpè inter Consules & Tribunos plebis extortum eluit *Num* 14. *omni hoc vobis.*

Tandem vehementer hanc contentionis propositionem subjicit: Lex agraria est tollenda.

Distributio atque argumenta sunt: 1. quia est lex iniqua, quæ in creandis Decemviris tyrannicè libertatem populi Rom. imminuit. 2. quia est lex inutilis, quæ fraudulenta venditione, & emptione, & coloniarum deductione, privatorum seu Decemvirorum pecunias auget, publicas exhaurit. *Num.* 15. *Atque ego.*

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primum argumentum, *Lex Agraria est lex iniqua, quæ in creandis Decemviris tyrannicè libertatem populi Rom. imminuit*; hoc enthymemate Orator contendit: lex Agraria privat suffragiis populum Rom in creandis Decemviris: ergo lex Agraria est lex iniqua, quæ in creandis Decemviris tyrannicè libertatem populi Rom. imminuit.

Antecedens demonstratur ex quadruplici capite legis Agrariæ: nam 1. capite sancit ut tribunus plebis, qui eam legem tulerit, non per xxxv. tribus sed per xvii. tantum, Decemviros creet, relictis aliarum tribuum suffragiis: de qua

queritur

queritur Orator communicatione, & dissimili exemplo superiorum temporum. *Num.16. Primum caput.*

2. Capite sancit, ut Decemviri more Pontificis maximi creentur non ab universo populo, sed tantùm ab istis tribubus septemdecim. Atqui negat Cicero parem esse causam fireandi Pontificis & Decemviri. *Num. 18. idem inquit.*

Quod si Domitius cooptandorum sacerdotum potestatem à collegiis ad populum transtulit, id ratione fecit, quia aliter non potuit, id est ab universo populo fieri. At Rullus, cum Decemviros ab universo populo creari liceat, creari potiùs à populi parte vult. *Num. 19 videte quid intersit.* Tum prolepsi detegit fraudulentum Rulli consilium, qui pro suo commodo & libidine, legem feret & comitia habebit, populo denuntiabit quos volet cives, sortietur etiam & educet tribus quos volet: denique seipsum Decemvirum faciet. *Num. 20. quaeret quispiam.* Hoc consilium Rulli Cicero amplificans, præsertim complexione esse contra leges arguit. *Num. 21. qui licet.* Detegit & aliam fraudem Rulli, qui lege sua præsentem idcirco profiteri jubet, ut absens Pompeius excludatur: quem tamen universus populus, si liber esset, pro meritis & rebus gestis Decemvirum eligeret. *Num. 23. at videte.*

Quare acrius commovet populum, & concludit ex isto 2. capite legis Agrariæ libertatem populi Rom. imminui. *Num. 24. hic quoniam.*

3. & 4. Capite sancit, ut lege curiata Decemviri ornentur, eam legem Prætor ferat, qui primus factus sit; sin is ferre non possit, qui postremus sit: quòd si legem neque Prætor primus, neque postremus ferat, exempli causa aliquo tribuno plebis intercedente, alio ve magistratu auspiciis comitia impediente, Decemviri tamen eodem jure sint, quo qui optima lege. 1. Orator dicit hoc esse inauditum, & planè præter morem. *Num 26. cognoscite nunc.*

Affertque dissimile exemplum Majorum, qui bina comitia populo dederunt; Rullus ea tollit. *Num. 26. Atque hic perspicuum.* 2. (notata Rulli vel malitia, vel ignorantia, qui jubet id quod fieri non potest, ut ipse Tribunus imperet Prætori legem curiatam ferre) ejus religionem irridet. *Num. 28. sed videte.* Quod autem 4. capite sancit, ut Decemviri eodem jure sint, quo qui optima lege; ex hoc Orator arguit præcedens caput, id est, frustra in liberrima civitate

legem

legem curiatam ferre jubere, quandoquidem jam ipse Decemviris potestatem det sine lege curiata. *Num. 29. quid postea.*

Adde, jus Tribunitiæ potestatis imminuit hic Tribunus plebis Rullus: nam Tribunitia intercessio sæpe curiatam legem sustulit, Rullus curiata lege Tribunitiam intercessionem tollit. *Num. 30. At videte.*

Denique anacephalæosi seu invidiosa permissione superiorum, rejecta similitudine legis Semproniæ, & comparatione Rulli cum Graccho, legem Agrariam esse regiam ac tyrannicam concludit ab adjunctis pullaliorum, apparitorum &c. *Num. 31. Sint igitur.*

Propositionis secundum argumentum, *lex Agraria est lex inutilis, quæ fraudulenta venditione, & emptione, & coloniarum deductione privatorum seu Decemvirorum pecunias auget, publicas exhaurit,* deducitur hac argumentatione: infinitum est quoddam regnum legis Agrariæ, & infinita Decemvirorum potestas vendendi, emendi, colonias deducendi: ergo lex Agraria est lex inutilis, quæ fraudulenta venditione, & emptione, & coloniarum deductione, privatorum seu Decemvirorum pecunias auget, publicas exhaurit.

Antecedens primò summatim proponitur. *Num. 33. perspicite quanta.* Effertur deinde, simul cum consequente, distributione. Ac 1. pars de venditione sic amplificatur: impudenti & fraudulento, ac nihil definienti Rullo licet vendere omnia bona (hæc sunt, loca publica, sacella, mons Gaurus, Salicta, via Herculanea) de quibus vendendis Senatusconsulta facta sunt M. Tullio & Cn. Cornelio Coss. *Num 35. datur igitur eis.*

Imo ex insaturabili cupiditate tabulas corrumpet Rullus, & nova finget Senatus-consulta, ut plura possit vendere. *Num 37. Sed illud magnis.*

Deinde licet Decemviris atque eidem Rullo (qui iterum generali propositione omnia subdole involvit, quæ Cicero assumit, exprimitque) vendere agros, loca, ædificia, aliudve extra Italiam, quod publicum populi Rom. factum sit L. Sylla & Q. Pompeio Coss. aut postea, *Num. 38. habetis unum.* Hæc autem extra Italiam sunt regna: minor Asia, Bythynia, Mytilenæ, Ægyptus, quæ Decemviri pro sua infinita potestate judicabunt esse publica populi Rom. facta. *ibid. quidquid ergo sit.*

Præci_

Præcipuè Ægyptum(quæ testamento Ptolemæi Alexandri cessit populo Rom. occultè & furtim tradi Decemviris vendendam indignatur Cicero; ac venustè disceptans dialogismo, negat judicandi potestatem esse concedendam Rullo, aut, quod judicabit, ferendum: nam si regnum illud adjudicabit populo, sine dubio vendet, ea ratione, quòd post Syllam & Pompeium Consules publicum factum sit. *Num.41. quid Alexandria.*

Adde. Centumviri de privatorum hæreditatibus judicant, de regno Ægypti Decemviri judicabunt? *Num. 43. primum populi.*

Amplificat Orator à consequentibus hujus regni venditionem quando Decemvir suo imperio & absoluta judicandi potestate adventans, istas nationes miseras terrebit tyrannicè opprimet, sumptibus exhauriet *Num.44. atque illud.*

Tertiò licet Decemviris vectigalia vendere quæ magno populi commodo Majores reliquerunt *Num 46. Non est satis.* Ipsa etiam recentibus Pompeij victoriis parta vectigalia Rullus vendet contra tanti viri opes ac dignitatem, quam Cicero ubique defendendam suscepit. *Num. 48. hic mihi parumper.*

Imo regios agros Mithridatis judicio Cn. Pompeii Imperatoris relictos: nondum confecto bello, venditum iri à Rullo Orator indignatur. *Num.50. verùm inter hos*

Fingit & epistolam arrogantis Rulli, jam Decemviri, ad Cn. Pompeium, ad majorem indignationem. *Num.52 is videlicet.* Et hypotyposi sub hasta vendi ostendit bona Cn. Pompeij. *Ibid. an Pompeium.* Quin insidias ipsi, & toti exercitui paratas dicit ista Decemviri potestate. *Num. 53. plus spectant.*

Exclamat Orator, & comparatione minorum, id est Syllæ, conqueritur non Romæ, sed quibuscumque in locis vendi à Decemviris posse vectigalia ista, & ædificia, & agros, aut his prægrande vectigal imponi. *Num. 54. atque in omnibus.*

Quanquam excipit Rullus agrum Recentoricum, sed iniquè, & quæstuosè, ut dilemmate arguitur. *Num 56. Excipitur hoc capite.*

Excipit etiam alios agros, de quibus fœdere cautum sit; sed pari fraude & quæstu. *Num.57. atque etiam est.*

4. Licet Decemviris vendere prædas, & manubias, & quid-

quidquid auri aut argenti neque consumptum in monumento, neque in ærarium relatum sit: quæ omnia jubetur, quicumque discedit è patria, profiteri & referre ad Decemviros, uno excepto Cn. Pompeio. *Num. 58 vix jam videtur.* At Orator à repugnantibus ridet Rullum: nam si optimus Vir est Rullus, & amoris causâ excipit manubias Imperatoris Pompeij, cur hunc Decemviratu excludit, multaque ipsi eripit contra jus & potestatem Imperatoriam? *Num. 59. hic tamen.*

Mox captat hoc dilemmate: lex Rulli vel est æqua, vel iniqua: si æqua, cur Pompeium excipit, qui id non desiderat? si iniqua, ergo non honoris causâ Pompeium excipit, sed metu, ne vindex populi Rom. sit adversus Decemviralem dominationem. *Ibidem utrum tandem.*

2. Pars antecedentis de emptione, sic exponitur: lex sancit ut quam pecuniam ex rebus venditis Decemviri coegerint, ea pecunia agros quo plebs deducatur, ab iis, qui vendere voluerint, emant, ab invitis nihil tangant: eos autem agros in Italia emant, qui arari & coli possint.

At Orator præmissa transitione per invidiosam anacephalæosim præcedentis partis; facta etiam insinuatione de iis, qui favent legi Agrariæ, & turpissimo quæstui, affert dissimile exemplum plurium Majorum, quibus nunquam commissa est ista potestas emendi: quiq; temperantia ac patientia paupertatis solebant publicis agris privatos deducere, non emere à privatis, quæ publicè deducerent. *Num. 61. parta sit pecunia.* Mox quærit qui, & ubi sint agri, quos emi jubet lex. Nimirum obscurè & fraudulenter definit Rullus. *Num. 65. Libet agros emi.* Si in Italia, qui arari & coli possint, at quales sunt, fertiles, an steriles? multum interest definire, ut arbitratu suo Decemviri non possint, quoquo velint in Italia (in qua multæ sunt regiones & partes vel steriles vel desertæ, ut in Aquilia Mastici montis radices) plebem deducere. Quod Orator ironia & dialogismo excutit. *Ibid. definio, inquit.*

Si ab invito non ementur agri: ergo conversa ratione, quod ante pertimescebant multi, nunc sine metu invidiosas possessiones & Syllanas retinebunt: vel publicorum agrorum possessores, quanti volent, eos Decemviris vendent, quasi mercatura quadam inter eos constituta. *Nu. 66, idcirco inquit.*

Con-

Concludit has emptiones excogitatas esse à Rullo, & ejus socero, ad quæstum, & ad sublevandam Syllæ invidiam, qui istos omnes agros proscripsit. *Num.* 68. *Atq; hoc carmen.*

Quare hortatur plebem, ne suasu Rulli, qui suis & Syllanorum commodis legem condit, vendat sua vectigalia Majorum sanguine & sudore quæsita; neve ostentatos agros steriles & pestilentes eligat præ sua possessione, seu urbe Roma. *Num.* 68. *& vos non dubitatis.*

Addit quasi Epiphonema, si populus legem Rulli accipit, Decemviros infinitam retenturos esse pecuniam: nec enim illa referri in ærarium poterit, quia lex vetat: nec etiam exigi, quia venditor deerit. *Num* 71. *deinde en ï.*

3. Pars antecedentis de coloniarum deductione sic tractatur: lex sancit, ut emptis agris Decemviri quæ in municipia, quasque in colonias velint, colonos, quos velint, deducant, iisque agros assignent, quibus in locis velint: & ut Capuam in coloniam deducant quinque coloniarum millia, iisque agrum Campanum, & Stellatem agrum dividant. Contra Cicero indignans istis colonis, in quæ loca (quippe non definita) & agros velint Decemviri, deductis, tyrannidem ac regnum constitui, non propugnari imperium seu Remp. contendit. *Num.* 72. *atq; in hos agros.*

Deinde Campanum agrum plebi Rom. dividi, & coloniã deduci Capuam, est contra commodum ac dignitatem populi Rom. Nam arbitratu suo Decemviri, permittente lege, deligent singuli quingenos, ut quinque coloniarum millia sint. Quo primùm beneficio sibi devinctos habebunt: deinde quos in agrum Campanum deduci lex jubet, eorum nomine agrum ipsi tenebunt, & fruentur, ut suam familiam & sumptus sustentent. *Num.* 75. *At enim ager.*

Confirmatur ipso Rulli testimonio seu facto, qui nec coràm disputare, nec agros tributim describere audet, quia hos non populi Rom. commodis, sed suis parat. *Num.* 78. *quòd si vestrum.* Agrum verò Campanum non dividi oportere, aut alienari, probat Orator quinque argumentis: 1. quòd bello aut metu belli, amissis cæteris vectigalibus, tamen agri Campani vectigal magnos exercitus aluerit. *Num.* 79. *unumne fundum.* 2. Quòd hic ager Campanus jure Majorum, & ab Gracchorum largitione, & Syllæ dominatione integer fuerit. *Num.* 80. *Majores nostri.* 3. Quòd hunc agrum, qui semper populi Rom. ager dictus sit, seditiosi homines tenebunt.

Num.

Num. 81. ***Atqui homines*** ? 4. Quòd sit turpe populo Rom. privatis agrum publicum gratis tradere, quem privatus homo noluit vendere; quia ex illo fundo & vectigali nunquam malus nuntius auditus sit, id est, semper idem sit, non bellis infestus, non cælo ac loco calamitosus: cum è cæteris vectigalibus malus nuntius nonnumquam audiatur. ***Ibidem. ac tantum intererit.***

5. Quòd ager Campanus non sit desertus ut assignetur, sed totus colatur: qui si dividitur, optima plebs expelletur, improbi Decemvirum coloni constituentur, sicque agrum sibi paratum populo Rom. eripient. *Num.* 83. ***deinde in hac.*** Adjungit Rullus Stellatem campum agro Campano: quasi verò Majores ad securitatem imperii Rom. non sapientissimè Carthaginem, Corinthum, cæteraque oppida Capuæ vicina destruxerint: demens Rullus hæc loca complere suis colonis ad regnum & tyrannidem exercendam cogitat. *Num.* 85. ***quasi verò paullum.*** Capua autem idcircò à Majoribus fuit conservata (quod ex tabulis patet) ut esset una saltem urbs commoda & necessaria agro Campano. *Num.* 87. ***de Capua.***

Amplificat Orator dissimile consilium Majorum, & Bruti, vel etiam Rulli quibus si existimasset Senatus similes futuros, urbem Capuam non reliquisset. *Num.* 88. ***videte quantum.***

Verùm divinitus Majores censuerunt, quod postea eventis multorum bellorum patuit, ut Corintho, & Carthagine destructis, Capua non noceret imperio Rom. sed prodesset; propterea quòd ab ea omnes turbæ, & contentiones & arrogantiæ sublatæ essent. *Num.* 89. ***Verùm arbitrabantur.***

Digreditur Cicero ad notandam Campanorum superbiam: 1. ab eventis, quòd isthuc deducti Romani protinus superba nomina, & insignia Prætoriæ potestatis sumpserint. Ubi etiam Prætor Considius, & studium Campanorum in suos Prætores describitur. *Num.* 91. ***& quoniam Bruti.*** 2. A natura loci, & consuetudine victus, quæ arrogantiam & luxuriam ingenerant. *Num.* 94. ***quid enim viderunt.***

3. A consequentibus, quòd Campani & horum Coloni, Romam, & Romanorum agros, oppidaque despecturi sint præ sua jam Capua, & agro Campano; & fortasse conquisituri sint aliquid sceleris & flagitii. *Num.* 95. ***Huc isti Decemviri.***

ANNO-

ANNOTATIO.

Tota Contentione Orator finem Agrariæ legis scrutatur, ex qua certam tyrannidem, ac ingens incommodum populi Rom. futurum ostendit. Dissuasio autem istius legis sapienter dicitur apud populum 1. Ab imminuta ejus libertate, jacturaq; bonorum, & vectigalium, & agrorum, quæ longè sunt ipsi carissima 2. A persona Rulli Tribuni, & Decemvirorum, qui fraudulenter divitias & superbè regnum affectant, ita populo Rom. invisum. 3. (quod in perorationem reservatur) à persona Ciceronis Consulis, vigilantis, fortis, popularis, qui Senatum & bonos omnes iniqua legis metu liberabit.

PERORATIO.

ORator apostropha ad P. Rullum recenset, atque anacephalæosi subjicit oculis populi, quæ tota contentione dixit. *Num. 97. Hac tu P. Rulle.*

Deinde affectum exhibet Consulis, & vigilantis pro defendenda Remp. *Num 99. hac ego vos.*

Et fortis contra Agrarios. *Num. 100 Ego is Consul.*

Et popularis pro pace, tranquillitate, otio populi: quæ improbi, ac Decemviri perturbare conantur. *Num. 101. ex hoc intelligi.*

ANNOTATIO.

Constat, uti patet, hac peroratio enumeratione & affectu. Enumeratio colligit præcipua contentionis argumenta, quo melius populi memoria fixa hæreant. Affectus charitatem Ciceronis erga populum Rom. cujus beneficio ipse novus homo Consul est factus, vehementer commendat. Verùm & hic idem affectus, inchoatus est in Exordio.

III. AGRARIA

AD POPVLVM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Cicero in hac Oratione non disputat contra legem Agrariam, sed tribunis plebis, qui eum tanquam Syllanarum assignationum defensorem, in concione absentem accusaverant, ita respondet, non modò ut se purget, verùm etiam in ipsos, & in principem legis Rullum culpam transferat: cum dicat ea lege Syllanos agros confirmari atque sanciri: idque fieri eo consilio, ut Rulli socer Valgius aut retineat quos agros habet, nullo invidiæ metu; aut Decemviris, quanti ipse voluerit, vendat: utrumque lege permittente, quæ tangi quidquam ab invito vetat. Manut.

Quæstio est in genere demonstrativo, an Cicero sit defensor Syllanarum possessionum.

Stylus mixtus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM, A persona adversariorum, qui Ciceronem absentem criminantur; coram ipsi adesse non audent: interim Orator reclamantem populum deprecatione & promissione mitigat.

PROPOSITIO. Cicero non est defensor Syllanarum possessionum, sed Rullus, & adversarii.

ARGUMENTA.

1. Quia Rullus, & adversarii sua lege Syllanas possessiones confirmant atque sanciunt.

1. ARGUM. ARGUMENTATIO. Caput legis XL. cavet ut quæ post C. Marium Cn. Carbonem Consules publicè data, assignata, vendita, concessa sunt; ea omnia eo jure sint, ut quæ optimo jure privata: Ergo Rullus & adversarii sua lege Syllanas possessiones confirmant atque sanciunt.

2. Rullus plures, quam Sylla, & novas possessiones donat.

2. ARGUM.

Quæ post Marium & Carbonem Consules data donata, concessa, vendita, possessa, vi, clam, precario, omnia optimo jure sunto: atqui sunt quidam agri à Sylla publicati quidem, sed nec cuiquam assignati, neque venditi, quos tamen assignat & vendit Rullus: ergo Rullus plures quam Sylla, & novas possessiones donat.

AMPLIF. ET AFFEC.

Ubique impudens Rullus lege sua, & occultans fraudes, ne videatur, id quod facit, Syllanos agros magis quam liberos, confirmare. Omnes etiam Syllanas possessiones & novas donabit, prout libebit, in primis socero.

PERORATIO.

Ab effectis: non est Cicero fautor Syllanarum possessionum; sed adversarii.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero Tribunos plebis arguit, quòd se absentem criminentur; hosque provocat in præsens certamen. *Num.* 1. *commodius fecissent.*

Deinde quorundam benevolentiam postulat; adversam verò acclamationem quorundam mitigat deprecatione, & promissa facti sui probatione. *Num.* 2. *video quosdam.*

ANNOTATIO.

Statim prooemio Orator debilitat adversarios, & causæ suæ fiduciam ostendit. Hi enim, cum multa de absente retulerunt, jure sua potestatu imminuere, & quodammodo præsentem Ciceronem timere visi sunt. Iam cum quatuor causæ sint acclamationis adversæ, ut est in lib. 2. de Oratore: Oratio, Orator, causa, auditor: quatuor remedia, objurgatio, admonitio, promissio, deprecatio. Hic deprecatione quadam utitur & promissione. Vide Freigium.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Cicero non est defensor Syllanarum possessionum, sed Rullus, & adversarii. *Num* 3. *completi sunt.*

Distributio seu argumenta sunt hæc: 1. quia Rullus & adadversarii sua lege Syllanas possessiones confirmant atque sanciunt. 2. quia Rullus plures quam Sylla, & novas possessiones donat. *Ibid.*

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

Propositionis primum argumentum, *Rullus, & adversarii sua lege Syllanas possessiones confirmant atque sanciunt,* hoc enthymemate disputatur: Caput legis XL. cavet,

 ut

ut quæ post C. Marium Cn. Carbonem Consules publicè data, assignata, vendita concessa sunt; ea omnia eo jure sint, ut quæ optimo jure privata: ergo Rullus, & adversarii sua lege Syllanas possessiones confirmant atque sanciunt.

Antecedens 1. defensionis metu, & invidiosa comparatione legis Valeriæ cum hac iniquissima lege proponitur. *Num. 4. Caput legis est.*

Mox amplificatur singulorum verborum interpretatione contra Rullum; qui occultandæ fraudis causa, ne quis ab eo Syllanos agros confirmari & sanciri putaret; non dixit post Syllam dictatorem, sed post Marium & Carbonem Consules, adversarios Syllæ, qui uno dumtaxat anno Syllæ dictaturam præcedunt. *Num 6. Rulli cautio.*

Postremùm comparatione sui fundi seu liberi, cum fundis Valgii seu Syllani & servi, Cicero impudentiam Rulli convincit. *Num. 8. Tu verò Rulle.*

Propositionis secundum argumentum, *Rullus plures quam* Sylla, *& novas possessiones donat*, hoc syllogismo infertur ex superioribus verbis legis: quæ post Marium & Carbonem Consules data, donata, concessa, vendita, possessa, vi, clam, precario (nihil enim definit, & distinguit fraudulentus Rullus) omnia optimo jure sunto: atqui sunt quidam agri, à Sylla publicati quidem, sed nec cuiquam assignati, neque venditi, quos tamen assignat & vendit Rullus: ergo Rullus plures, quam Sylla, & novas possessiones donat.

Major est expressa, & Minor, & primo loco Complexio. *Num. 10. At si illa solùm.*

Præcipuè Orator fraudem Rulli seu causam finalem gratificandi socero, invidiosè excutit dialogismo. *Num 13. nam socer hujus.*

ANNOTATIO.

Accusatus Cicero à Rullo & aliis Tribunis plebis, quod Syllanarum *assignationum possessoribus gratificaretur, callidè in adversarios retorquet crimen, probatque ex capite legis XL. non solùm* Syllanas *possessiones sanciri, sed novas etiam donari, & quidem occulta fraude Rulli, ut non Syllam, sed Marium & Carbonem Consules nominet; neque possessa definiat aut distinguat, sed omnia vendere & assignare pro arbitrio & commodo possit.*

PERO-

PERORATIO.

Cicero se non fautorem Syllanarum possessionum probat ab effectis per subjectionem; contra, in adversarios (quos iterum in concionem vocat) criminis invidiam confert; præsertim ab agro Campano, quem sibi constituunt. *Num. 15. & quoniam.*

ANNOTATIO

Cicero paulò vehementius concludit eodem affectu, quo exorsus est; & contendit, se non Syllanæ Tyrannidis patronum esse, sed Rullum, cæterosque ejus collegas.

PRO C. RABIRIO

Argumentum, Quæstio, Stylus.

L. *Apuleius Saturninus tertio Tribunus plebis factus, ut Glauciam satellitem suum Prætorem, vel potiùs Consulem faceret, Memmium consularem candidatum interemit. Consules igitur ex Senatus-consulto armati, Saturninum aggrediuntur, & in Capitolium cum Glaucia, Saufeio, L. Æquitio & Labieno fugientem persequuntur: unde cum fide publica descend sset in curiam, ut civili more causa tractaretur, ipse lapidibus obrutus est, Glauciæ fracta est cervix, Labienus cæsus, caput Saturnini Rabirius in ludibrium per convivia circumtulit. Annis circiter quadraginta post, T. Attius Labienus Tribunus plebis diem dixit C. Rabirio, quòd Saturninum interfecisset.* Defenderunt eum *Q. Hortensius, & Consul Cicero. Acta primum causa est apud Decemviros ex antiquo more: quos fuisse C. Cæsarem & L. Cæsarem auctor est Dio. Deinde reo condemnato, & ad populum provocante, in campo Martio, comitiis Centuriatis, de quo judicatum non esse propter militare signum à Metello Celere Prætore de Ianiculo ablatum, quod cum accideret, dissolvi comitia vetere instituto necesse erat; nec voluisse iterum Labienum habere comitia; & ea ratione Rabirium esse servatum, Dio narrat.* Freig. Manut.

Quæstio est in genere Iudiciali, an C. Rabirius, perduellionis reus, sit absolvendus.

Stylus est tenuis & acutus.

SYNOPSIS

- **EXORDIUM.** A causis, propter quas Cicero C.Rabirium defendit, & hunc Judices debent absolvere: harum causarum præcipua est salus Reip.
  - **CONFUTATIO EXTRA CAUSAM.**
    1. Levia sunt quinque crimina à Labieno objecta C.Rabirio, nec probata.
    2. Cum laude Cicero (utinam primus ac solus) sustulit perduellionis judicium, quod Labienus (minimè popularis) crudeliter restituit Civibus Romanis.
- **PROPOSITIO.** C. Rabirius, perduellionis reus est absolvendus.
  - **ARGUMENTA.**
    1. Quia non occidit Saturninum.
       - **ARGUMENTATIO.** 1. Argum. Id crimen falso est affictum Rabirio, igitur Rabirius non occidit Saturninum.
    2. Arma contra Saturninum jure sumpsit.
       - 2. Argum. Rabirius cum omnibus bonis civibus, auctoritate publica, in seditione & tumultu, contra Saturninum arma sumpsit: ergo jure &c.
- **AMPLIFIC. ET AFFECTUS.**
  - **1. ARGUMENT.** Orator etiam reclamante populo fatetur Saturninum à Rabirio esse occisum, nisi id jam negasset Hortensius.
  - **2. ARGUMENT.** Imprudens est Labienus qui dum justa arma Rabirii accusat, simul in pari causa omnes bonos cives & clarissimos viros condemnat; contra præjudicia, & sensum vel ipsiusmet Labieni, qui in tali re idem fecisset.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero reddens rationem defensionis C. Rabirii, contendit iisdem causis absolvendum esse à populo, quibus illum defendit. *Num.* 1. *Etsi Quirites.*

Præcipua autem causa illum defendendi est, salus Reip. seu majestas populi Rom. quæ Rabirii damnatione violatur: quia damnatur is, qui Senatus imperio paruerit. *Num.* 2. *Tum verò ut id.* Ex his infert C. Rabirium communi officio, & à se defendendum, & à populo absolvendum. *Num.* 3. *quamobrem si.*

Mox præclara insinuatione, hujus causæ gravitatem auget duplici deprecatione, una ad Deos, altera ad populum. *Num.* 4. *Sic enim existimare.*

ANNOTATIO.

Est accuratum hoc Exordium insinuatione, & primis seminibus reliquæ orationis: nam Orator quadraginta annis interpositam Senatus auctoritatem sustinere aggreditur contra invidiam atq; defendere: qua re insignem comparat benevolentiam à sua in Remp. & Rabirium officio; docilitatem verò, & attentionem, ab insolentia causæ.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Ante contentionem præmittit Orator confutationem criminum Rabirii extra causam, & disgressionem de perduellionis judicio à se sublato.

Confutationem ingreditur querela seu Apostropha ad Labienum, qui ad defendendum Ciceroni semihoram præscripsit: objecta verò ab ipso quinque crimina, de lucis violatis, de peculatu, de filio sororis necato, de plagio, de impudicitia, Cicero leviter dissolvit. *Num.* 6. *nunc quoniam* Digressionem opportunè etiam ad causam præmittit, ne sibi populum instigante Labieno, iratum habeat. Nam ipse nec primus, nec solus judicium perduellionis sustulit, sed ante ipsum cum laude M Porcius Cato & C. Gracchus. *Num.* 10. *nam perduellionis*

Deinde dissimili comparatione Labieni,qui crudeliter perduellionis judicium constituit civibus Rom. & Ciceronis, qui leniter cum Porcio & Graccho illud tollit, disputatur uter magis popularis debeat videri. *Num* 11.*quamobrem uter*,

4. Altera comparatione popularis T. Gracchi, qui perduellionis actionem omisit, Labienus in majus odium adducitur. *Num*. 14. *An verò si actio*,

Perduellionis verò judicium, quàm sit acerbum & servile supplicium civibus Rom. exaggerat. *Num*. 16. *misera est ignominia*.

Postremò gloriando profitetur, exemplo Majorum, se isto regio perduellionis judicio Labienum depulisse. *Num*. 17 *quamobrem fateor*. His ita præmissis ad causam, sequitur hæc contentionis propositio : Cajus Rabir. perduellionis reus, est absolvendus.

Distributio seu argumenta sunt hæc : 1. quia Rabirius non occidit Saturninum : 2. quia arma contra Saturninum jure sumpsit.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Rabirius non occidit Saturninum*, brevi enthymemate conficitur ; id crimen falsò est affictum Rabirio : ergo Rabirius non occidit Saturninum.

Antecedens multorum testimoniis & Q. Hortensii copiosissima defensione probatum est : verùm Orator subtiliori insinuatione, ut causæ fiduciam ostentet, ipsum fictum crimen, etiam bis reclamante populo, fateretur, si sibi integrum foret. *Num*. 18. *nunc de Saturnini*.

Propositionis secundum argumentum, *Rabirius contra Saturninum arma jure sumpsit*, hoc enthymemate contenditur : Rabirius cum omnibus bonis civibus auctoritate publica, in seditione & tumultu, contra Saturninum arma sumpsit : ergo Rabirius arma contra Saturninum jure sumpsit.

Antecedens amplificatur 1 confessione, 2. narratione, (quæ est imperfecta) de seditione Saturnini, & tumultu populi. 3. insigni communicatione. 4. inductione seu enumeratione bonorum civium, qui contra Saturninum arma ceperunt. *Num*. 19. *confiteor interficiendi*. Tum

Tum invidiosa prolepsi, & concessione Orator fingens Labienum Saturnini & patrui sui sectam sequi, magis ex adverso purgat Rabirium; cui aut delitescendum domi turpiter; aut fugiendum cum Saturnino scelerate, aut standum honestè cum bonis fuit. *Num.22. patruus, inquit.* Verùm ulterius confirmat Cicero justa arma Rabirii ex duobus præjudiciis, Deciani & Titii, contra Saturnini necem factis: ubi imprudentiam Labieni redarguit. *Num. 24. At C. Decianus.* Confirmat etiam ex pari causa, exemploquè clarissimorum virorum, quos nefas est condemnare. *Num.26, anne intelligitis.* Posteà cautè ad præcipuam criminationem delabitur, quòd contra fidem publicam Rabirius Saturninum necaverit. At Orator facti culpam (si qua est) non in Rabirium, sed in Marium confert; quia Marius Saturnino fidem dederit; quam tamē sine Senatus-consulto, aut speciali alio mandato dare non potuerit. *Num.28. at si fides.* Mox digreditur in immortalitatem Marii, & aliorum, qui pro Rep. arma ceperunt; ne ipsos præpostera damnatione infestare tentet Labienus. *N.26 quid jam ista.*

Concludit iterum cònfitendo factum, si posset, exemplo Scævolæ, Marii, &c. *Num.31. at occidit.*

ANNOTATIO.

Accusator Labienus, nepos illius qui cum Saturnino fuit cæsus, tres partes complectitur; unam qua Rabirio multam propter quinque crimina irroget; alteram, qua Ciceroni invidiam apud populum pariat, quòd perduellionis judicium tollat; tertiam, qua Rabirio mortem intentet, quòd Saturninum occiderit, aut saltèm contra fidem publicam arma ceperit. Cicero primam partem, ut levioris momenti, paucis refellit. Secundam calliaè sibi laudi vertit, quòd cum homine maximè populari T. Graccho & Porcio Catone, regium perduellionis judicium sustulerit; interim ipsam invidiam retorquet in adversarium. Tertiam primùm inficiatur ex copiosissima Hortensii defensione; mox insinuatione fateri audet, fretus communi causa & exemplo clarissimorum virorum, qui auctoritate publica contra Saturninum dimicarunt, nec sunt condemnati. Nam quòd contra fidem necatus sit Saturninus, ea culpa pertinet ad Marium: quanquam Cicero hunc etiam excusat, quia sine Senatus-consulto fidem non potuerit dare; atq; ita publica fides non fuerit

violata. Deniq; Orator ita ubiq; attemperat Orationem, & sæpiùs abstrahit à causa seu Hypothesi, ut gratia Rabirio concedenda videatur.

Deest Peroratio.

I. CATILINARIA IN SENATV.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Catilinam luxuria primùm, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ suæ patriæ compulere; Senatum confodere, Consules trucidare, distinguere incendiis urbem, diripere ærarium, totam deniq; Rempublicam funditùs tollere, & quidquid nec Hannibal videretur optasse. Quibus id nefas sociis aggressus est! ipse Patricius, sed hoc minus est: Curii, Porcii, Sylla, Cethegi, *Antronii, Varguntei, atq; Longini; quæ familiæ! quæ Senatus insignia! Lentulus quoq; tunc maximè Prætor hos omnes immanissimi sceleris satellites habuit. Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus quem circumlatum pateris bibêre. Summum nefas, nisi ampliùs esset propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem & Antonium Consules incidisset, quorum alter rem industria patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed tamen parricidii innocens; tum Consul habito* Senatu *in præsentem parricidam, in præsentem reum Cicero peroravit. Sed non ampliùs profectum, quam ut hostis evaderet, seq; palàm professo incendium suum restincturum, ruina minaretur; & ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sybillinis versibus regnum sibi vaticinans ad præstitutum à Catilina diem, urbe tota, viros faces, arma disponit; nec civili conspiratione contentus, Legatis Allobrogum, qui fortè tum aderant in arma sollicitatis;*

tatis: & iisset ultra alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii Prætoris litteræ tenerentur: statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus. Palàm Prætor in Senatu convincitur. De supplicio agentibus Cæsar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis oppressa, tamen ab incœpto Catilina non destitit, sed infestis ab Etruria signis patriam petens obvio Antonii exercitu opprimitur. Quàm atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit, quem quisque in pugnando ceperat locum, eum, amissa anima, corpore tegebat. Catilina longè à suis inter hostium cadavera repertus est pulcherrima morte, si pro patria sic cecidisset. Florus lib. 4. c. 1.

Quæstio hujus orationis est, utrum Catilina discedere, an jam interfici debeat: Nam Senatus ut suprà ex argumento colliges, in duas sententias erat divisus, alii severitate in conjuratum Catilinam, lenitate alii utendum censebant, dum tantisper tota conjuratio patefieret. M. Tullius Consul lenitatem videtur amplecti permittendo Catilinæ discedere ex urbe vel in exilium, vel in castra Manlii: Senatui verò persuadendo, ut non jam Catilinam interficiat ad majus bonum Reipublicæ.

Igitur hæc Oratio in genere deliberativo versatur.

Dicendi character est vehemens & copiosus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM.	PROPOSITIO.	ARGUMENTA.	ARGUMENTA.
Ex abrupto, à culpâ Catilinæ, & pœna isti culpæ debita.	Catilina debet discedere ex urbe, vel in exilium, vel in castra Manlii, non jam interfici:	1. Quia urbi patet sua conjuratio, totiusque anteactæ vitæ ratio.	2. Ipsi Catilinæ optandum ac jucundum est proficisci ad castra Manlii. 3. Utile est Reip. non jam interfici Catilinam.

ARGU.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Adjuncta conjurationis Catilinæ, & anteactæ vitæ tenentur luce clariora: ergo urbi patet sua conjuratio, totiusque anteactæ vitæ ratio.

2. ARGUM. Natus est Catilina & comparatus ad bellum patriæ inferendum: ergo ipsi Catilinæ optandum ac jucundum est proficisci ad castra Manlii.

3. ARGUM. Interfecto Cantilina residebit in urbe tota conjuratorum manus; illo non interfecto, hæc discedet ex urbe: ergo utile est Reipublicæ non jam interfici Catilinam.

AMPLIFIC. ET AFFEC. PERORATIO.

1. ARGUMENT. 1. Rescit Consul quo die, qua nocte, cujus in domo, quorum cædes, quæ incendia cogitarit Catilina; tum privata, & publica ejus vita est in odio, & timore omnium. Quid hujusmodi nefarium hominem delectare ac remorari in urbe potest?

2. ARGUM. Non dolorem, sed voluptatem etiam capit furiosus Catilina in ipso patriæ excidio: expleat animum & bacchari pergat cum suis.

3. ARGUM. Si utile esset patriæ, statim interfici Catilinam, id Cicero Consul non faceret? sed nimirum ille discedat ac purget urbem cum suis, ne diutius intestinum sit malum, & multò magis timendum.

Consul omnem Reip. diligentiam præstat, dum Jupiter impium Catilinam mactet.

EXORDIUM.

EXorditur Tullius ex abrupto propter rei insolentiam ardenti dicendi genere & incenso; atque ab adjunctis amplificat apostropha, interrogatione, repetitione, exclamatione, conduplicatione culpam Catilinæ. *Num.* 1. *Quousque tandem.* Deinde amplificat severitatem ac pœnam isti culpæ debitam, comparatione minorum, & exemplis: quòd multi cives, non tam perniciosi, quàm Catilina, statim à Consulibus, & privatis hominibus fuerint interfecti. *Num.* 2. *nos autem viri.*

Amplificatâ pœnâ, & culpâ Catilinæ, Cicero quasi accusat suam Consulis clementiam. *Num.* 4. *Cupio P. C me esse.* Illius tamen clementiæ certam causam insinuat. *Num.* 5. *Verùm ego.*

ANNOTATIO.

Vehemens est hoc exordium; propositaque atroci culpa Consul severitatem quærit, atque intentat; nisi lenitatem, tantisper mavult, ad majus Reip. bonum: quòd callidè, & seipsum quasi accusans inertia, significat, ut à se crudelitatis invidiam amoveat.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: Catilina debet discedere ex urbe, vel in exilium, vel in castra Manlii, non jam interfici.

Propositionis argumenta sunt tria: 1. quia urbi patet sua conjuratio, totiusque anteactæ vitæ ratio. 2. quia ipsi Catilinæ optandum, ac jucundum est proficisci ad castra Manlii. 3. quia est utile Reip. non jam interfici Catilinam.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRimum argumentum, *Urbi patet conjuratio Catilinæ*, fit inductione: nam Orator enumeratione adjunctorum ostendit,

ſtendit, quo die, & qua nocte, cujus in domo, quorum cædes, quæ incendia cogitarit Catilina. *Num. 6. etenim quid eſt.*

In primis renuntiat diem, quo Manlius futurus erat in armis; quo Cicero occidendus, & multi optimates; quo occupandum Præneſte. *Num. 7. Meminiſti ne me.* Noctem etiam indicat, qua Catilina in M. Leccæ domo incendium urbis, ac cædem civium deſcripſit. *Num. 8. Recognoſce tandem.* Quod facinus amplificat exclamatione. *Num 9. O Dii immortales.*

Digreditur in ſuam proviſionem & cautionem. *Num. 10. hæc ego omnia.* Concludit, multiſque ſynonimis hortatur nefarium Catilinam, abeat ex urbe. *Ibid. quæ cùm ita.*

Neque Cicero Catilinam hortatur privato periculo aut commodo (nam ſe hactenus defendit) ſed communi ſalute & utilitate patriæ. *Num. 11. Magna Diis immortalibus.*

Mox totius anteactæ vitæ ſcelera replicat Orator, ut fugam ſuadeat ex urbe, in qua nihil Catilinam delectare, aut remorari poteſt.

Ac primùm privatam vitam ignominia vitiorum infectam objectat, & præteritione domeſticam difficultatem perſtringit. *Num. 13. quid enim Catilina eſt.* Publicam verò vitam manifeſta conjuratione in patriam, atque crebris inſidiis in Ciceronem Conſulem, ſceleratam accuſat. *Num. 15. Poteſtne tibi.* Addit his commune odium, & metum patriæ, Senatus etiam tacitam condemnationem: quod ipſe Catilina intellexit, quando in Senatum venit. *Num. 16. nunc verò quæ.*

Quare rurſus concludit, & ſuadet Catilinæ diſcedat ex urbe, propoſitâ triplici comparatione minorum. *Num. 17. quo tandem animo.*

Propoſita etiam Proſopopœia patriæ objicientis ipſi flagitia, ut à ſe diſcedat. *Num 18 quæ tecum Catilina.*

Propoſito præterea ipſius Catilinæ proprio judicio, qui ſe dignum cuſtodia condemnavit. *Num. 19. quid quòd tu.* Denique propoſita Senatus nova authoritate, qui, poſtulatione Catilinæ rejectâ, cum condemnat, & tacitè ſuadet, ut tandem abeat. *Num. 20 quæ cùm ita.*

Huic Senatus authoritati addit judicium equeſtris ordinis, & civium reliquorum, ut ex totius civitatis ſententia proficiſci poſſit Catilina. *Num 21. neq; hi ſolùm.*

Adjungit demùm venuſta correctione ſuum Cicero (vel propoſita multorum invidia) votum, ſi Catilina abeat ſalvâ Rep. *Num. 22. quanquam quid.*

Secundum argumentum, *Optandum ac jucundum est Catilinæ proficisci ad castra Manlii*, pari adhortatione, & inductione prosequitur ab adjunctis castrorum Manliorum. *Num.23. quamobrem ut sæpè.* Pergit correctione, & acri ironia exprimere futuram voluptatem Catilinæ in his castris, seu nefario bello contra patriam. *Num.24 quanquam quid ego.*

Tertium argumentum, *utile est Reip. non jam interfici Catilinam*, breviter hoc enthymemate exponit: interfecto Catilina residebit in urbe tota conjuratorum manus; illo non interfecto, hæc discedet ex urbe: igitur utile est Reip. non jam interfici Catilinam.

Antecedens ingreditur eleganti prosopopœia, & subjectione, & attentionis petitione. *Num 27. nunc ut à me.* Deinde reddit rationem suæ sententiæ, sine ullo metu invidiæ, exemplo summorum virorum. *Nu.29. his ego sanctissimis.*

Similitudine claudit antecedens. *Nu.31. ut sæpè homines.* Et adhortatione ad Catilinæ socios, ut ipsi discedant ex urbe. *Nu.32. quare P.C. secedant.*

Observa consequens enthymematis esse sæpiùs implexum cum antecedente.

ANNOTATIO.

Præcipua ars Oratoris versatur in illo affectu & adhortatione, ut Catilina discedat ex urbe: nam perpetua communicatione & apostrophe totam ipsi conjurationem suam ostendit urbi manifestam: addit & totius vitæ scelera, propter quæ ipsa patria, Senatus, Equester ordo, Cives, Consul Cicero, & ipse Catilina se dignum exilio judicat, tum futuram ejus voluptatem in castris Manlianis, & in nefario contra patriam bello concessione & ironia proponit, ut Catilina non jussus ab armato Consule, sed à togato viro impulsus discedat, majori bono Reipublicæ, quàm si interficeretur. Atq; ea est laus Ciceronis, non alia, quàm eloquentia sua armis Catilinam terruisse, ac sine ullius cæde ac sanguine urbe expulisse.

Amplificationes fiunt præsertim Synonimis, *congerie adjunctorum, distributionibus, prosopopœiis, comparationibus.*

Digreditur in suam provisionem etiam sæpius Cicero, tum in hac, tum in aliis Catilinariis. Nam hic homo nunquam obliviscitur, quo loco possit se laudare.

PER-

PERORATIO.

Peroratio constat M. Tullii Apostropha 1. ad P. C. quibus omne studium pollicetur in extinguendo Catilina. 2. ad Catilinam, quem adhortatur ad bellum impium contra patriam 3. ad Jovem in cujus templo habet orationem, ut hic patriam contra istos cives nefarios tueatur, *Num. 32. polliceor vobis hoc.*

ANNOTATIO.

Brevis est hac Peroratio, caretq; affectibus, qui in Exordio & Contentione vehementes fuerunt: solummodo Consul Tullius suam erga patriam, ac Deos pietatem exhibet contra impium Catilinam, & ejus socios.

II. CATILINARIA AD QVIRITES.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Quæstio hujus Orationis est in genere deliberativo, an sit utile Reip. non interfectum Catilinam, ejusq; socios discessisse ex urbe.

Dicendi Stylus est temperatus.

SYNOPSIS.

EXORD.

- A communi urbis lætitia, & Ciceronis, & Reip. quod Catilina decesserit.

ARGUMENT.

- PROPOSITIO. Utile est Catilinam cum suis discessisse ex urbe.
- RATIONIS CONFIRM. Fuerunt enim in urbe maximè flagitiosi, audaces, luxuriosi, obærati.
- CONFIRM. EXORN. In campo verò non subsistet ista militum colluvies contra firmissimum robur ac præsidium.

AMPLIF. AFFEC.

- PROPOSIT. RATIO. Quia singuli Catilinæ socii magis in urbe erant timendi propter insidias & cædes, quàm foris.
- PERORATIO. Accedit ad robur Italiæ, vigilantia severitasque Consulis cum auxilio Deorum conjuncta, ut jam egresso Catilina nihil sit timendum.

EXOR-

EXORDIUM.

M. Tullius applaudit sibi, & Reip. discessisse ex urbe furiosum, & insidiatorem, & victum Catilinam. *Num.* 1. *Tandem aliquando.*

Communem verò urbis lætitiam exprimit, opposito mœrore Catilinæ. *Num.* 2 *quod verò non.*

ANNOTATIO.

Hoc Exordium fit ex abrupto per repentinum lætitiæ motum, magna amplificatione verborum, per plura synonima & sententias ejusdem significationis.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio, *utile est Reip. non interfectum Catilinam, ejusq; socios discessisse ex urbe;* exprimitur prolepsi. *Num.* 3. *At si quis est talis.*

Propositionis ratio, *quia Catilina, ejusq; socii magis sunt timendi in urbe, quàm foris*, asseritur 1. enumeratione, & descriptione personarum. *Num* 4. *quem quidem ego.* 2. Industria, ac providentia severi Consulis. *Num.* 6. *atq; hoc etiam magis.*

Rationis confirmatio, *nam Catilina, ejusq; socii fuerunt in urbe flagitiosi, audaces, luxuriosi, intemperantes, obærati,* constat exclamatione, ethopœiâ, frequenti & concisa repetitione per enumerationem flagitiorum Catilinæ, *Num.* 7. *O fortunatam Remp,* Optat Orator rursus exclamando, ut isti libidinosi, audaces, facinorosi, & obærati socii Catilinam ducem sequantur. *Num.* 10. *hunc verò si sui.*

Tum indignando ipsorum flagitia amplificat incremento, & conglobatione contrariorum. *Ibid. non enim.* Denique his pœnas, & bellum domesticum denuntiat, ni proficiscantur ex urbe, & resipiscant. *Num.* 11 *quibus confido ego.* Ad extremum digreditur & ironia refellit aliquorum prolepsim: quasi verò à Cicerone crudeliter in exilium ejectus sit Catilina,

lina, vir 1. audax & insidiator. *Num. 12. At etiam sunt.* 2do. Tacitè condemnatus à Senatu, & sceleris convictus. *Ibid. quid quòd hesterno.*

3. Accingens se non ad exilium, sed ad nefarium bellum contra patriam *Num. 14 in exilium ejiciebam.* Quare exclamando conqueritur Tullius de præpostera & perversa aliquorum opinione. *Ibid. O conditionem miseram.*

Quin retorquet argumentum, atque istam patriæ causâ invidiam non timeret, si Catilina (quod non faciet) iret in exilium; nam ibi esset minùs urbi timendus, quàm in castris Manlii. *Num. 15. non est mihi tanti.*

Quanquam nec in castris Manlii jam profectum ex urbe Catilinam timet: magis hos timet (si quidem timendi) qui in urbe remanent. *Num. 17. sed cur tam diu.*

Confirmationis exornatio, *ejusmodi autem Catilina milites in castris Manlii non subsistent contra virtutem ac robur Italiæ*, elucessit insigni comparatione copiarum Catilinæ & populi Rom. *Ibid. exponam enim vobis.*

Distributio hunc locum venustat: recenset enim Tullius cujusmodi sint milites Catilinæ.

1. Obærati, divites, qui spe dissolvendi æris alieni per novas tabulas à Catilina propositas, huic se comites adjunxerunt, quos subjectione errare, nec esse pertimescendos monet. *Num. 18. primum genus est.* 2. Obærati, ambitiosi, qui frustrà ac nefariè honores consequi se posse arbitrantur in Rep. quam tuentur vigil Consul, boni cives, magnæ militum copiæ, ac Dii ipsi. *Num. 19. alterum genus est.*

3. Obærati, propter profusiones, coloni Fæsulis Syllæ, cum aliquot egentibus rusticis, quos Cicero à rapinis deterret præsidio civitatis. *Num. 20. tertium genus est.* 4. Obærati item varii, & mixti, & turbulenti; quorum motus obesse non potest; quorum turpem vitam mors turpis consequetur. *Num. 21. Quartum genus est.* 5. Parricidæ, sicarii, facinorosi; quibus omnibus, uti Catilinæ, Cicero in latrocinio exitium imprecatur. *Num. 22 quintum genus.*

6. Intimi Catilinæ, compti, delicati, libidinosi; quos hypotyposi cavillatur & jocatur Cicero à tolerantia & castitate castrensi *Ibid. postremum autem genus.*

Tum confert Orator copias populi Rom. cum istis Catilinæ copiis: ubi observa Duces cum Ducibus, milites urbes, facultates utriusque partis comparari; belli etiam causas

utrimque contrarias acervatim & per antitheta confligere. *Num. 24. instruite nunc.*

ANNOTATIO.

Collectionis, quâ Contentio constat, expressa sunt suo loco omnes partes; prater complexionem, qua cateris commiscetur.

Amplificatio conficitur varia distributione, hypotyposi, ethopœia, contrapositis, comparatione.

Affectus, qui tractatur, est fiducia ac securitas populi Rom. quem Orator erigit, confirmat, jubetq; non timere Catilinam 1. quia jam discessit ex urbe vir insidiosus, audax, flagitiosus, intemperans, quem sui similes socii sequentur. 2. quia infirmus Catilina exercitus conflatur ex colluvie variorum militum flagitiosorum, intemperantium, obaratorum, in quibus nullus est belli nervus: 3. quia Romanorum copia magna sunt, & fortes, in quibus spes certa ponenda est: quare comparatione dissimilium contemnit, minatur, ridet Catilina copias; pra se fert, gloriatur, pradicat Romanorum exercitus. Deniq; (ut amplius in Peroratione videbimus) à prasidio civitatis, vigilantia Consulis, Deorum benevolentia omnem populo Rom fiduciam ac securitatem prastat.

PERORATIO.

IN peroratione Marcus Tullius adhortatur cives ad privatam ædium suarum custodiam, quandoquidem à se urbi consultum sit. *Num. 26. qua cùm ita sint.* Rursus residuis in urbe conjuratoribus lenitatem, vel severitatem proponit. *Num. 27. nunc illos qui.* Tum populo Rom. officii sui severitatem, ac diligentiam pollicetur. *Num. 28. atq; hac omnia.*

Postremò Deorum (quos idcircò numerandos esse dicit) erga se ac populum Rom. significationes, auxilia, beneficia commemorat, *Num 29. qua quidem ego.*

ANNOTATIO.

Amplificat & perficit eum, quem in exordio & contentione prosecutus est affectum fiducia ac securitatis, egresso jam ex urbe Catilina: suamq; vigilantis Consulis diligentiam in bene custodienda urbe, ac benevolentiam Romanis pollicetur.

III. CATILINARIA AD QVIRITES.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Quæstio hujus Orationis est in genere deliberativo, utrum hic dies supplicatione Deorum sit celebrandus.
Genus dicendi est mediocre.

SYNOPSIS

PROPOSITIO. Hic dies supplicatione Deorum est celebrandus.

PROPOSIT. RATIO. Quia hodie Cicero Remp. servavit.

RATIONIS CONFIRM. Nam consilio ac diligentia conjurationem Catilinariam manifestè comperit, & extinxit.

CONFIRM. EXORN. Fuit hæc singularis ac divina Cōsulis industria, ut longè omnium maxima, crudelissimaque conjuratio, sine sanguine civium extingueretur.

COMPLEXIO. Quare hic dies tum æterna Consulis Ciceronis memoria, tum supplicatione Deorum est celebrandus.

EXOR-

EXORDIUM.

GLoriatur Cicero conservatam à se hodie Remp. *Num.* 1. *Rempublicam.* Hunc diem comparatione minorum prædicat. *Num.* 2. *etsi non minùs.*

Se cum Romulo dignum quoque honore censet, *Ibid. profectò quoniam.*

ANNOTATIO.

Non est legitimum hujus Catilinariæ exordium, uti nec præcedentium: quippe in causa jam notissima statim principio aggreditur Cicero ad contentionem, quæ collectione constat.

Propositio, *hic dies supplicatione Deorum est celebrandus,* num. 2. expressa est.

Propositionis ratio, *quia hodie Cicero Remp. servavit,* num. 1. & mox iterum num. 2. synonimis, sententiis, magna verborum amplificatione affertur.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

RAtionis confirmatio, *consilio ac diligentia sua Cicero Catilinariam conjurationem manifestè comperit, & extinxit,* narratione oratoriâ exprimitur. *Num.* 3. *quæ quoniam.*

Narratio autem, ut solet, ex adjunctis tota contexitur. 1. Quanta vigilantia Cicero conjuratorum consilia exploravit. *Ibid. principio ut.*

2. Quorum operâ, & qua loci, ac temporis oportunitate fuit usus, ut manifestam conjurationem haberet. *Num.* 5. *Itaque hesterno die.*

3. Qua cautione singulos conjuratores deprehendit, ac Senatum convocavit. *Num.* 6. *ipsi comprehensi.*

4. Quibus testimoniis tota conjuratio convicta est; nempe partim Vulturcii, & Legatorum Gallorum dictis. *Num.* 8. *introduxi Vulturcium.*

Partim obsignatis litteris conjuratorum Cethegi, Servilii, Lentuli, & ipsorum confessione. *Num.* 10. *ac ne longum.*

Partim

Partim etiam exterioribus signis *Num. 13. ac mihi quidem.*

5. Quæ à Senatu gratiæ Ciceroni, & duobus Prætoribus, & collegæ Antonio habitæ fuerunt. *Num. 14. primùm mihi.*

6. Quod supplicium in novem conjuratos statutum, *Ibid. atque ita censuerunt.*

7. Quam honorifica à Senatu supplicatio Ciceroni tanquam Reip. conservatori est decreta. *Num. 15. atque etiam supplicatio.*

8. Quomodo P. Lentulus amisso Prætoris & civis jure, fuerit in custodiam traditus. *Ibid. atque illud.*

Confirmationis exornatio, *Non sine singulari Consulis prudentia, ac Deorum beneficio, longè omnium maxima, crudelissimaque conjuratio, sine civium internecione, extincta est*, efflorescit primum ex provido consilio Ciceronis in emittendo ex urbe Catilina; quo quidem emisso, cæteri conjuratores facilè comprehensi sunt, & omnis conjuratio manifesta. *Num. 16. Nunc quoniam.*

Quæ consularis prudentia magis cernitur ex opposita, & descripta per Ethopœiam calliditate Catilinæ, *Ibid. ille erat unus.* Deinde efflorescit ex significationibus variis, ac portentis divinis. 1. Per præteritionem ex physicis meteororum ostentis, & terræ motu. *Num. 18. quanquam hac.* 2. Ex Haruspicum divinationibus de simulachro Jovis, eo demum die ad Orientem converso, quo deprehensa est conjuratio. *Num. 19. Nam profectò.* 3. Ex divina adversus urbis ac templorum incendiarios animadversione, quorum stulta consilia magis etiam Dii infatuarunt. *Num. 22. quo etiam majore.*

Tum maximè efflorescit ex dissimili comparatione minorum, seu quinque bellorum civilium, quæ civium sanguine redundarunt: hoc bellum multò gravissimum sine cæde, uno Cicerone, togato Duce, & Imperatore confectum est. *Num. 23. quamobrem Quir.*

ANNOTATIO.

Collectio, est argumentatio, quæ quasi per gradus atque incrementum rem aliquam stabilit & explicat. Ita peritus Orator primùm proponit, deinde probat, tertiò confirmat; postea exornat res à se gestas ut sensim & amplius sua erga Remp. merita

ta explicet, efferatque. Nam simpliciter proponit hunc diem supplicatione Deorum esse celebrandum: mox majore verborum amplificatione affert rationem: hanc conglobatione ac serie adjunctorum confirmat: confirmationem tribus splendidioribus argumentis, & amplificationibus, & figuris expolit: postremò in peroratione subjicit complexionem, quæ eadem est ac propositio.

Affectus, est in Cicerone cupiditas humanæ gloriæ, quam vir ignarus veræ & cælestis, undique colligit: populo vendicat supplicationem sibi à Senatu decretam, à quo togatus non (ut multi) bene gesta, sed (ut nemo) conservata Reip. testimonium accepit: suum laudat non singulare, sed propè divinum (allaborantibus Diis) in manifestanda periculosissima conjuratione consilium: in extinguenda verò eadem post hominum memoriam crudelissima conjuratione clementiam suam jactat: Hinc sibi magnos cum Romulo honores in exordio, pares cum Cn. Pompeio vendicat in peroratione: nihil omittit ad sui commendationem peritus laudis artifex.

PERORATIO.

M. Tullius pro suo tam insigni erga Remp. beneficio nihil à Quiritibus desiderat, præterquam æternam sui & hujus diei memoriam. *Num. 26. quibus pro tantis.*

Requirit etiam contra invidos præsidium ipsorum, quos fortiter Consul defendit, & privatus defendet. *Num. 27. sed quoniam earum.*

In fine, collectionis complexionem, *hic dies supplicatione Deorum est celebrandus*, quam supra inseruit. *Num. 28.* brevi adhortatione, & pollicitatione sui officii Cicero absolvit. *Num. 29 vos Quirites quoniam.*

ANNOTATIO.

Affectus hujus Perorationis jam supra explanatus est in Contentionis tabula. Denique Tullius effertur desiderio gloriæ. At jure merito par sibi à Quiritibus contra invidos, exigit præsidium, quod ipsis contra conjuratos præstitit.

IV. CA-

IV. CATILINARIA

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Quæstio est in genere deliberativo (nam arg. ex superioribus notum est) stylo temperato, an conjurati perpetuo carcere & publicatis bonis, an morte sint mulctandi.

SYNOPSIS

EXORDIUM. A charitate Consulis Ciceronis erga patriam, & fortitudine contra conjuratos.

PROPOSITIO. Conjurati morte sunt mulctandi.

ARGUMENTUM. Quia Cives improbi ob summum crimen debent interfici.

ARGUMENTATIO. Immanis sceleris punitio non est crudelitas; sed potiùs est lenitas: ergo cives improbi ob summum crimen debent interfici.

AMPLIFICAT. ET AFFECTUS. Periculosissima & crudelissima futura erat conjuratio Catilinæ: num igitur est jam verendum Ciceroni, ne crudelitatis invidiam subeat, si tantum crimen severè vindicet? Verùm eam invidiam paratus est adire fortis Consul; & Reip. causâ, quam secum omnes conservatam volunt, conjuratos conficere.

PERORATIO. Hortatio ad Senatum, ut fortiter decernat extremum supplicium conjuratis.

EXOR-

EXORDIUM.

HOrtatur M. Tullius Senatum, ut patriæ potiùs quàm saluti Consulis prospiciat. *Num.* 1. *video P. C.* Mox pathetica insinuatione caritatem erga Remp. ostentans, nullum pro illius salute periculum (enumeratione & adjunctis locorum) nullum fatum (dissimili exemplo P. Lentuli) nullam mortem (quippe gloriosam) perferre dubitat. *Ibid. mihi quidem.*

Movetur tamen orbitate fratris sui, & uxoris, & filioli: quos commendat Senatui, si mors sibi à conjuratis accidat. *Num.* 3. *nec tamen ego.* Postremò impendens Reip. periculum, nisi Senatus provideat, comparatione Majorum, & adjunctis hujus conjurationis jam ferè extinctæ exponit. *Num.* 4. *quare P.C.*

ANNOTATIO.

Præ se fert caritatem Reip. & fortitudinem Cicero, ut majori cum pondere, & fide, sine improborum invidia, adversus conjuratos sententiam pronuntiet.

Itaque ex visceribus causa maximè petitur hoc exordium, continetque prima semina sententia istius, in quam vehementer inclinat Cicero.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

COntentionis propositio, *conjurati morte sunt mulctandi*. primùm ambiguè, & pro Consulis instituto problematicè affertur, celeriter deliberanda, propter adjunctam periculi magnitudinem *Num.* 6 *sed ego institui.*

Mox duas in Senatu sententias, unam severiorem (quæ erat D. Syllani) de extremo supplicio in conjuratos decernendo: alteram: (Cæsaris) mitiorem de perpetuo carcere, ac publicandis bonis, Consul Tullius proponit, disceptatque utra argumentis prætet. *Num* 7. *video duas adhuc.* Cæsaris sententiam laudat quidem ut popularem, & ex lege Sempronia. *Num.* 9. *Nunc P. C. ego.* Verùm D. Syllani sententiam

tentiam (in quam inclinat, eſtque propoſitio contentionis) latiùs explicandam ſuſcipit. *Num.* 11. *quamobrem ſive.*

Hujus D. Syllani ſententiæ, *conjurati ſunt morte mulctandi.* Argumentum eſt hoc: improbi cives ob ſummum crimen debent interfici. Supra. *Num.* 7.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopoſitionis argumentum, *improbi cives ob ſummum crimen debent interfici*, hoc enthymema exponit: immanis ſceleris punitio non eſt crudelitas, ſed potius eſt lenitas; ergo improbi cives ob ſummum crimen debent interfici.

Antecedens exornatur per hypotypoſim, argumento à conſequentibus conglobatis, ſi conjuratio horum improborum civium habuiſſet exitum. *Ibid. quanquam Patres conſcripti.*

Exornatur etiam comparatione patris-familias, qui de ſervo improbiſſimo ſummum ſupplicium ſumit ſine crudelitatis invidia. *Num.* 12. *etenim quæro.* Confirmatur authoritate L. Cæſaris, ac diſſimili exemplo duorum Lentulorum, avi & nepotis. *Num* 13. *Niſi verò.*

Brevi concluditur antecedens. *Ibid. vereamini cenſeo.* Explicato antecedente bis digreditur Tullius 1. in prolepſim, quà ſatis eſſe ſibi præſidii ad ea, quæ Senatus ſtatuerit, tranſigenda, probat cum à cura ſua & diligentia: tum à populi Rom. ſtudio conſervandi Remp. *Num.* 14. *ſed quæ exaudio.*

Iſtud populi Romani ſtudium demonſtrat elegans inductio per enumerationem Equitum & Senatorum (ſi improbo, excipias) Tribunorum, ſcribarum, ingenuorum, libertinorum, ſervorum (ſi iterum ſervum Lentuli excipias) cujus ſollicitationem fruſtra ſuſceptam oſtendit à tabernarum quæſtu ac otio. *Ibid. omnes adſunt.*

Concludit prolepſim recenſendo facultatem & cauſas tranſigendi contra conjuratos; & hortando Senatum; ut fortiter judicet, atque urbi proſpiciat. *Num.* 18. *quæ cum ita ſint.*

Secun-

Secundo digreditur in suam fortitudinem laudandam, quam amplificat contemptu mortis, gloria rerum gestarum, & comparatione cum virtute Scipionum, Pauli, Marii, Pompeij. *Num.* 20. *nunc antequam.* Amplificat præterea ab adjunctis victoriæ disparibus. *Num.*22. *quanquam est in.* Ad extremum pro mercede istius fortitudinis, & diligentiæ postulat æternam Consulatus sui memoriam, suumque parvum filium commendat. *Num.* 23. *quæ cum ita sint.*

ANNOTATIO.

Tametsi integrè videatur utrimque Cicero Cæsaris, & D. Syllani sententias agitare, tamen manifestum est ecquam alteri præferat, quidve ista contentione velit: idcirco crebra insinuatione elicit à Senatu fortitudinem, quam ipse Consul in immanis sceleris animadversione de se præstat & pollicetur. Atque hunc affectum in exordio satis vehementer inchoans; deinde enthymemate & gemina digressione amplificans paucis, absolvit in Peroratione.

PERORATIO.

PEroratio est brevissima & consequens propositi enthymematis: nam Cicero hortatur Senatum, ut fortiter (est hæc D. Syllani sententia) decernat, quando se parentem ipsi Consul offert. *Num.* 24. *quapropter de summa.*

ANNOTATIO.

Hac peroratione contentionis propositio, & argumentatio & affectus concluditur, nempe conjuratos extremo supplicio mulctandos esse, quod postea in carcere est factum.

PRO

PRO L. MVRÆNA

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Cum L. Murana in sequentem annum Consul designatus esset cum D. Sylano, de ambitu (ambire autem erat petere magistratum studiosius impensiusque, quàm mores legesque civitatis ferebant) accusarunt Sex. Sulpitius, M. Porcius Cato, & Cn. Posthumius. Sulpitius competitor Murenæ fuerat & repulsam tulerat. Catonem Plutarchus in ejus vita scribit jurasse, accusaturum se quemcumque pecuniam populo dare cognovisset, ideoque nomen Murenæ ab eo delatum esse, quòd is pecuniâ effecisset, ut Consul cum Sylano designaretur. Defenderunt eum Q. Hortensius, M. Crassus & Cicero: qui cum Hortensium, eloquentiæ laude tum florentem, superare contenderet, nullam partem noctis conquievit: usque eo ut nimiis curis, & vigiliis afflictus inferior quam ille actione visus fuerit. Cæterum ut apparet ex Consulatu quem sequente anno Murena gessit, periculo accusationis liberatus est.

Quæstio hujus orationis est in genere judiciali, an L. Murena sit in vita reprehendendus, aut dignitate inferior Sex. Sulpitio, aut reus ambitus.

Dicendi character est temperatus magis quàm tenuis.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Consul Cicero Muræнam, amicum suum, & Consulem designatum, Diis antea commendarat, nunc accusatum judicibus commendat tum officii sui seu defensionis rationem contra accusatores probat.

PROPOSITIO. Muræna non est in vita reprehendendus, nec est dignitate inferior Sulpitio; nec reus ambitus.

ARGUMENTA.

1. Quia non fuit in Asia luxuriosus.

3. Est Sulpitio par genere, & quæstura, arte autem superior.

3. Nihil commisit contra legem ambitus.

ARGUMENTA.

1. Argum. Muræna, patre suo imperatore, meruit in Asia cum labore & pietate, stipendia consecutus est cum laude, triumphi paterni particeps fuit cum felicitate: ergo Muræna non fuit in Asia luxuriosus.

1. Argum. pares sunt genere novus homo & patricius; nam Q. Pompeius, & Cicero pares sunt patriciis: sed Sulpitius, etsi genere patricius, tamen virtute ac industria novus est homo, uti Muræna; probatur à Majoribus utriusque, & rebus gestis: igitur Muræna est

3. Argum. licuit Murænæ habere obviam prodeuntes, & sectatores, & offerre tum spectacula tum prandia: Mu-

MENTATIO.

Deinde nullus saltat sobrius; quia intempestivi convivii & multarum deliciarum comes est extrema saltatio : atqui Muræna est sobrius ; quia nullum ejus intempestivum convivium , nullæ deliciæ ostendi possunt:non est igitur saltator.

genere par Sulpitio. Sulpitius factus est primus quæstor ordine renuntiationis , non dignitatis: ergo Muræna est par quæstura cum Sulpitio. Ad obtinendum consulatum ars militaris qua excedit Muræna , præstat juri civili, cujus cognitione clarius est Sulpitius : ergo Muræna est par arte aut superior Sulpitio.

ræna igitur nihil commisit contra legem ambitus.

AMPLIFICATIO.

1. ARGV.

Imprudens accusator Cato, qui L. Murænæ Asiam objecit , segetem virtutis & gloriæ;vel maledicus conviciator , si

2. ARGV.

Non est quod Sulpitius contemnat L. Murænæ genus , efferat suum:nam nobilitas patricii est historiis notior , quàm populo, apud quem modo valet novi hominis virtus ac industria, qua ille non superat Murænam. Non est etiam quòd idem Sulpitius jactet suam juris-prudentiam, in qua nulla est dignitas aut utili-

3. ARGV.

Auctoritas accusantis Catonis , præjudicio esse non debet L. Murænæ. Stoicus est enim vero Cato , & nimium austerus , qui contra consuetudinem urbis, & Lacedæmoniorum , & summorum virorum exemplum improbat spectacula , conviviaque candidatorum.

ET

Quòd si Cato pro salute Reip. accusat Murænam, Cicero majore in Remp. officio eundem defendit, cujus Consulatus ad comprimendum Catilinam, & confirmandum ipsum Catonem tribunum permagni interest.

MENTATIONIS.

tas, præsertim ad obtinendum Consulatum: sola ars militaris & oratoria efficit Consules. Deinde Sulpitius suffragatione militari destitutus, & ludorum magnificentia, sorte & administratione provinciæ, nescit Consulatum petere, magis intentus minis & accusationi, quàm officiosis populi blanditiis. Prudentior fuit L. Muræna, qui ista sibi ad Consulatum præsidia diligenter adjunxit.

MENTATIONIS.

saltatorem appellat sobrium Consulem.

MENTAT. ET AFFECTUS.

Cicero movet Judices ad misericordiam L. Murænæ tribuendam.

PERORATIO.

EXORDIUM.

Cicero pro salute L. Murænæ precatur Judices, qui paulo antè pro ejusdem felici Consulatu Deos solemniter erat precatus. *Num. 1. qua precatus.*

Ubi etiam potestatis comparatione, pro se & Muræna benevolentiam Judicum captat. *Num. 2. qua cum ita sint.* Deinde affert rationem suæ defensionis seu officii contra duos L. Murænæ accusatores M. Catonem & Sex. Sulpitium. *Ibid. & quoniam.*

M. Catoni; (qui rectum esse negat Ciceronem, & Consulem, & legis ambitus latorem, & tam severè gesto Consulatu, caussam L. Murænæ attingere) respondet ad primum inductione trium similium; nimirum venditoris, patroni, & navigantium æquum esse Consulem defendi à Consule. *Num. 3. & primum.* Respondet ad secundum se ita legem de ambitu tulisse, ut quemvis non ambitus reum posset defendere. *Num. 5. nam quod.* Respondet ad tertium se contra Catilinam fuisse severum, quia id erat necesse pro salute Reip. nunc & natura sua, & quia id causa postulat, esse lenem. *Num. 6. negat esse.*

Servio autem Sulpitio (graviter querenti quare Cicero oblitus amicitiæ L. Murænam contra se defendat) officiosè respondet, se nihil Sulpitio debere contra salutem Murænæ. *Num. 7. sed me Iudices.* Declaratque ipsi caussas defensionis Murænæ: quia hic sibi sit amicus, & in summa dignitate, & in periculo, quem deserere esset inhumanitatis, & superbiæ, & crudelitatis. *Num. 8. atque hoc non.*

Addit argumentum ad hominem, seu simile exemplum Ser. Sulpitii, qui contra amicos consulentibus de jure respondet. *Num. 9. atque hujusce rei.* Addit exemplum Q. Hortensii, & M. Crassi amicorum Sulpitii, qui L. Murænam defendunt. *Num. 10. etenim si me.*

Concludit, & Sulpitio probat rectam esse defensionem suam, neque eam esse contra amicitiam. *Ibid. ego verò.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Est ab adjunctis hoc exordium, præsertim personarum. Pietate etiam sua orator conciliat animos Iudicum; & aliquot prolepsibus infringit auctoritatem accusatorum, & certè hac est oratoris insinuatio passim in multis exordiis prolepses præmittere, quæ viam sternant ad faciliorem adversariorum confutationem. Nam istis prolepsibus non fortia adversariorum argumenta refellit (hæc enim in contentione miscet) sed plerumque infirma.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: L. Muræna non est in vita reprehendendus, nec dignitate inferior Ser. Sulpitio, nec reus ambitus, *Num.* 11. *Intelligo Iudices.*

Distributio seu propositionis argumenta sunt ejusmodi: 1. L. Muræna non est in vita reprehendendus, quia non fuit in Asia luxuriosus, aut saltator. 2. Non est dignitate inferior Ser. Sulpitio, quia est ipsi par genere & quæstura, arte autem superior. 3. Non est reus ambitus, quia nihil commisit contra legem ambitus.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

Propositionis 1. argumenti 1. pars, *L. Muræna non fuit in Asia luxuriosus*, hoc brevi enthymemate constat: L Muræna, patre suo Imperatore, meruit in Asiâ cum labore & pietate; stipendia consecutus est cum laude; triumphi paterni particeps fuit cum felicitate: igitur L. Muræna non fuit in Asia luxuriosus.

Antecedens repetitione quandam majorum comparationem habet. *Ibid. atque harum trium.*

Consequens repetitione Accedentis ornatur. *Num.* 12. *quamobrem non Asia.*

Propositionis primi argumenti 2. pars, *L. Muræna non est saltator*, brevi etiam ratiocinatione constat, contra maledicentem Catonem.

 Major,

Major. Nullus saltat sobrius. Proba. 1. Quia intempestivi convivii, & multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Minor, Atqui Muræna est sobrius. Probatio. Quia nullum ejus intempestivum convivium, nullæ deliciæ ostendi possunt. Conclusio. Igitur Muræna non est saltator. *Num.* 13. *Saltatorem appellat.*

Nota venustam transitionem. *Num.* 14. *nihil igitur.*

Propositionis 2. Argumenti 1. pars, *L. Murena est par genere cum Ser Sulpitio,* quinque-partita argumentatione explicatur: Major. Pares sunt genere patricius & novus homo. *Num.* 15. *quo loco* Probatur exemplo plurium, præsertim. Q. Pompeii, & Ciceronis, qui homines novi, pares sunt patriciis in Rep. *Num.* 16 *nec mihi unquam.*

Assumptio. Sed Ser. Sulpitius, etsi patricius (quam nobilitatem vetustam, & paucis notam elevat Cicero) tamen virtute & industria novus est homo, uti L. Muræna. *Ibid. tua verò nobilitas.* Probatur à Majoribus utriusque, & horum rebus gestis. *Num.* 15. *& proavus L. Murana.* Complexio. igitur Muræna est par genere cum Ser. Sulpitio. *Num.* 18. *omittamus igitur.*

Propositionis 2. Argumenti, 2. pars L. *Murana est par quæstura cum Ser. Sulpitio,* perstringitur hoc enthymemate: S. Sulpitius est primus quæstor ordine renuntiationis, non dignitatis: igitur L. Muræna est par quæstura Ser Sulpitio.

Antecedens confirmatur ex utriusque pari provincia sorte data, & pari in rebus gestis nomine. *Ibid. quæsturam unà.*

Propositionis 2. Argumenti 3. pars, *L. Murana est arte superior Ser. Sulpitio,* hoc enthymemate latiùs patet: ad obtinendum Consulatum ars militaris, qua excellit L. Muræna, præstat juri civili, cujus cognitione clarus est Ser. Sulpitius: ergo L. Muræna est par arte aut superior Ser. Sulpitio.

Antecedens, primùm dispari utriusque labore (pari tamen dignitate) seu in Remp. studio exponitur: nam hic Romæ Juris-consultus, ille Legatus Imperatori L. Lucullo fuit. *Num.* 19. *reliqui temporis.* Deinde parva per dialogismum excursione facta in Sulpitium, qui assiduitatem forensem præferri vult legationi Murænæ *Num.* 21. *sed non.* Idem antecedens ornatur dissimilitudine Juris-consulti & Imperatoris. *Num.* 22. *sed & hoc.* Mox artem militarem apertè amplificat Cicero, præfertque cæteris, præsertim isti juris scientiæ,

tiæ, quam unicè fovet Sulpitius. *Ibid. ac nimirum.*

Quanquam ad obtinendum Consulatum, militari arti parem facit dignitate & utilitate facultatem dicendi. *Num. 24 gravis etiam illa.*

Rerum autem dignitatem negat esse in juris civilis scientiâ, quæ in litteris & interpunctionibus, & fastis, occultisque verbis & formulis versatur. *Num. 25 primùm dignitas.* Negat præterea esse gratiam & difficultatem addiscendi istam scientiam: secus est de facultate oratoria: hinc plures juris-consulti, quam oratores fiunt. *Num. 28 difficilis autem.* Concludit Cicero solummodo esse dignitatem in arte militari & oratoria; imo hanc isti cedere belli tempore. *Num. 30. duæ sunt.* Post hæc digreditur in duas prolepses contra adversarios, priore prolepsi respondet Catoni bellum Asiaticum, in quo L. Muræna dignitatem obtinuit, non cum mulierculis esse gestum, sed fuisse gravissimum: quod ex maximis summorum Imperatorum triumphis probat inductione per enumerationem. *Num. 31 verum hæc cato.* Amplificat etiam magnitudinem hujus belli, ex opibus & fortitudine Regis Mithridatis, quem magni Imperatores, præter unum Pompeium, debellare non potuerunt. *Num. 32. atqui si* Posteriore prolepsi respondet Sulpitio, ipsum in Præturæ petitione priorem renunciatum, quia ratione comitiorum nihil incertius: quod allegoria, & exemplis, & similitudine ostendit. *Num. 33. at enim in.*

Ex digressione redit ad antecedens; confirmatque Murænam esse superiorem Sulpitio ad obtinendum Consulatum: plures enim res ad obtinendum Consulatum in Sulpitio desiderat, quæ Murænæ profuerunt: prima est suffragatio militaris, quam Cicero interrogatione, ac prosopopœia amplificat *Num. 37. sed tamen.*

Secunda est ludorum magnificentia, quam populo jucundam, & pro Consulatu utilem Cicero ostendit suo & aliorum exemplo. *Num. 39. sed hæc leviora.* Tertia est, ad quam concessione transit, dispar Ser. Sulpitii, & L. Murænæ sors provinciæ, & administratio *Num. 41. sed hæc sanè.* Quarta res, quæ Murænæ profuit ad Consulatum, obfuit Sulpitio, est ratio petendi Consulatum: nam ut sæpe hunc familiariter monuit Cicero, accusare aliquem, & simul petere Consulatum est perdifficile. *Num. 43. & quoniam.* Non enim mi-

nis aut timidâ inquisitione candidatus populum sibi adjungit, sed blanditiis ac fiducia; quod ornatè exprimitur dialogismo. *Num.* 44. *quid ergo? acceptam.*

Deinde candidatus accusatione operosa distractus ægre attendit ad officiosam Consulatus petitionem: quod Cicero exemplo suo, & experientia confirmat. *Num.45, accedit eodem.*

Atque hoc ipsum, scilicet accusare & Consulatum petere, esse perdifficile ostendit per hypotyposim in persona Sulpitii, qui à Senatu multa postulavit de ambitu, plures offendit, & sibi viam ad Consulatum clausit. *Num.46. tu cum de curriculo.* Ista etiam accusatione distentus Sulpitius, cœpit remissiùs Consulatum petere, ut jam Catilinæ spem faceret Consulatus adipiscendi. Vide hic ethopœias. *Num.48. sed tamen Servi.* Digreditur Cicero cum præteritione eorum, quæ facturus fuisset Catilina: si Consul fuisset, tum narratione eorum quæ in ipsius comprehensione sunt gesta. *Num.* 50. *quibus rebus.* Redit ad Sulpitium & parva anacephalæosi concludit ea Murænæ ad obtinendum Consulatum contulisse, quæ Sulpitium & Catilinam removissent. *Num. 52. itaque cum te.*

Propositionis tertium argumentum, *L. Muræna nihil commisit contra legem ambitus,* ingreditur partitione, & querela de tribus L. Murænæ accusatoribus. *Num.54. nunc mihi tertius.*

Quamquam ea omnia, quæ Cn. Posthumio, & Sulpitio adolescenti responsa sunt, desiderantur.

Ad ea autem, quæ objecit M. Cato, respondet Cicero cum præmunitione, & deprecatione (exemplo P. Africani & M. Catonis hujus avunculi) ne L. Murænæ obsit personæ accusantis. 1. Dignitas atque gravitas. *Num. 58. venio nunc.* 2. Judicium, quod ab asperitate doctrinæ ac vitæ præjudicium esse non debet. *Num 60. Nam si quis.* Nam præmissa (quæ est clara insinuatio) laude M Catonis, Stoicæ doctrinæ sententias ac præcepta paulò severiora commemorat. *Ibid. ego tuum consilium.*

Conformem verò huic asperiori doctrinæ vitam Catonis quam ridiculè cavillatur dialogismo, seu persona inducta supplicis Publicani & Stoici Catonis. *Num. 62. hic homo ingeniosissimus.* Deinde isti Stoicorum doctrinæ opponit, præfertque humaniorem Academicorum doctrinâ, quam ipse

Cicero

Cicero sectatur. *Num.63.nostri autem illi.* Hanc quoque mitiorem doctrinam ipsi Catoni sectandam prosopopœia, & exemplo Scipionis, C. Lælii, L. Philippi. C. Galli, ac ipsius avunculi Catonis proponit. *Nu.65.ac teipsum.* Igitur præmissa deprecatione & præmunitione adversus accusantis Catonis auctoritatem atque judicium.

Tertium argumentum, *L Murana nihil commisit contra legem ambitus,* Cicero tractat hoc enthymemate. Licuit L. Murænæ habere obviam prodeuntes, & sectatores, & offerre spectacula & prandia: ergo L Muræna nihil commisit contra legem ambitus. *Num.67 quare ad id,quod.* Antecedens, ut patet, quadruplici capite constat: ac primò ostendit Cicero non esse novum, aut mirum, multos, præsertim rogatos, obviam prodiisse candidato Consulari. *Num.68 Multi obviam.* 2. Ostendit sectatores fuisse multos, qui bonis viris ac beneficis non desunt ex officio; at nullum ex iis sectatoribus mercede conductum fuisse. *Num.70. at sectabantur.* 3. Ostendit spectacula, & 4 Prandia, more institutoque Majorum vel à L. Muræna, vel ab ejus amicis tributim data esse *Num.72.at spectacula.* Concludit antecedens anacephalæosi per dialogismum adducto exemplo L. Mattæ, virginisque Vestalis. *Num. 73 hac omnia.*

Confirmato antecedenti duas prolepses adjungit. 1. Est austeri ac Stoici Catonis, qui dialogismo negat benevolentiam ac judicium populi Rom. istis spectaculis ac conviviis allici oportere; hunc Cicero iterùm cavillans refellit 1. auctoritate ipsius civitatis. *Num.74.at enim agit.* 2. Comparatione Lacedæmoniorum & Cretûm *Ibid. neq; tamen.* 3. Exemplo Q. Tuberonis. *Num.75.fuit eodem.*

4. Ipsiusmet Catonis exemplo, qui habet nomenclatorem, ut cives nomine appellet, salutet, sibi conciliet. *Num 76. nam quòd.*

Concluditur prima prolepsis brevi recapitulatione. *Num. 77.quare nec plebi.* Alteram prolepsim Catonis, qui Reip. caussa accusat Murænam pari Cicero in Remp. officio refellit, Murænam defendendo. *Num.78 at enim te.*

Nam vehementiore apostrophâ ad Judices ostendit, quantum intersit L. Murænam isto anno Consulem fieri, ad extinguendas Catilinæ copias & consilia. *Ibid. audite, audite,* Simili verò ad M. Catonem exemplo, & apostrophâ, tribunatûs sui periculum, ac tempestatem futuram significat, nisi stre-

nuum defensorem habeat Consulem. *Num. 81. atq; ad hac mala.*

Rursus Judices de nefario Catilinæ in Remp. consilio admonet, si L. Murænam à consulatu removeant. *Num. 83. quanquam hujusce.*

Denique magis amplificat à consequentibus, & hypotyposi, hoc Reip. periculum, si Catilina deesse Consulem viderit. *Num 85 sed quid tandem fiet.*

ANNOTATIO.

Vis ac robur contentionis est insignis confutatio duorum gravissimorum virorum, quos Cicero scita arte, & salva amicitia, & lege ambitus integra redarguit.

Nam in primis M Catonis (cùm illi in Exordio rationem dedisset defensionis Murana) nunc in contentione levem ac maledicto infirmam accusandi rationem Enthymemate, ac ratiocinatione dissolvit; quòd L. Muranam luxuriosum & saltatorem appellarit. Deinde infra, (secundi argumenti parte secunda) digrediens ad prolepsim, eundem Catonem ostendit malè quidem contempsisse bellum Asiaticum tot, tantisq; Imperatorum triumphis clarum. Verùm tertio argumento, M. Catonis nomen, atq; auctoritatem in judiciis insectatur ab asperitate vita & doctrina. Quam tanti viri reprehensionem, etsi pramissa ubiq; ampla ejus laude, mitiorem reddit; tamen ita liberè cavillationibus & jocis aspergit, ut totum judicium risu compleverit, dicaturq; exclamasse gravis Cato: Dii boni quàm ridiculum Consulem habemus.

Contra Ser. Sulpitium ita se gerit, ut modò ipsi in exordio, omnia amici officia deferat, salvo Murana Consulatu; modò, secundi argumenti parte prima, ejus nobilitatem carpat à vetustate; modò ejus quasturam, parte secunda, non laudet, neq; renuntiationem dignitati adscribat; modò parte tertia, juris civilis artem dignitate & utilitate extenuet, amplificet autem pra illa artem militarem atq; oratoriam, modò apertè in ipso Sulpitio quatuor res desideret ad obtinendum Consulatum: suffragationem militarem, ludorum magnificentiam, sortem & administrationem provincia, deniq; modum petendi Consulatum. In his verò omnibus Cicero Ser. Sulpitium, & M. Catonem, pro virtute ac eruditione laudat ubiq;, sapè admonet pro amicitia, reprehendit pro Rep. Est ad calliditatem & insinuationē insigniter facta hac duplex refutatio. Con-

Contentionis affectus est misericordia in L. Muraenam: sed ferè totus reservatus est in perorationem, vbi Cicero solet Orator videri. Inchoatus est in Exordio quidem hic affectus: pietatis enim suæ atque officii exemplo, pios quosque Iudices esse vult erga Muraenam, amicum suum, & Consulem designatum: tum in contentione purgat omni criminatione, dignitatem generis, & quæsturæ, & militaris artis extollit; rectam commendat petendi Consulatus rationem. Denique momentum ac pondus expendit futuri Consulatus Muranæ contra Catilinæ terrores atque consilia; quæ omnia sternunt viam ad affectum perorationis.

PERORATIO.

PEroratio constat magno commiserationis affectu: quem Cicero in Judicibus excitat, 1. per deprecationem à periculo Reip. *Nu.* 86. *quacumita sint.* 2. Ab adjunctis personæ L. Murænæ tam externis, quàm internis: quòd Consul designatus sit, & ante hac florente fortunâ usus; quòd jam corpore & animo æger; quòd nullum læserit, quòd domi ac militiæ clarus in nullius unquam invidia aut odio fuerit. *Ibid. deinde ego.* 3. Auget commiserationem pathetica dubitatione & subjectione, ab adjunctis exilii, tum præsertim ab adjunctis matris suæ, & patris mortui, & fratris, & mancipii Lanuvii. *Num.* 88. *si quod Juppiter.*

Ad extremum Consulem strenuum futurum Murænam Consul Cicero pollicetur, commendatque Judicibus. *Num.* 90. *quem ego.*

ANNOTATIO.

Iste affectus propè omnis conficitur ex adjunctis personarum vel L. Muranæ supplicis, & in periculo exilii, vel ejus parentũ, vel defensoris Ciceronis, vel Iudicum. Amplificatio autem tribus figuris assurgit, exclamatione, dubitatione, subjectione.

PRO

PRO L. FLACCO,

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Ccusatum à D. Lælio L Flaccum de repetundis ex Asia, cui trienniumpræfuerat, Cicero defendit. Repetundæ autem pecuniæ sunt dictæ, quas socii, sive cives privati à Magistratibus, aut Iudicibus, aut publicis curatoribus judicio repetiverunt: quas illi aut in provincia, aut in urbe, aut ob jus dicendum, aut ob judicandum, aut ob aliud aliquid publicè curandum cœpissent.

Quæstio est in genere judiciali, an L. Flaccus repetundarum sit reus.

Genus dicendi est subtile & acutum, quod perpetuò in confutatione, atq; ironia versatur: nisi in Exordio, & peroratione, ubi sedes affectuum.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Miratur Cicero L. Flaccum de Rep. bene meritum, accusari à D. Lælio; neque id fore putarat: itaque nunc opinione falsus, confugit ad Judices, & hos deprecatur, in accusatione tam gravi.

PROPOSITIO.

L. Flaccus repetundarum non est reus.

ARGUMENTA.

1. Quia testes Asiatici,
2. Judæi,
3. Romani

sunt rejiciendi.

ARGUMENTATIO.

In testibus Asiaticis non est religio, nec veritas; sed spes pecuniæ, levitas, perfidia, audacia: igitur testes Asiatici sunt rejiciendi.

2. PARTIS.

Edictum, quo sanxit Flaccus, ne aurum ex Asia Hierosolymam exportaretur, Senatus auctoritate, non Judæorum superstitione nititur: ergo Judæi testes, qui id reprehendunt, sunt rejiciendi.

1. PARTIS.

Et Decianus, & Sextilius, & Falcidius, & alii sunt rejiciendi: ergo testes Romani sunt rejiciendi.

AMPLI-

AMPLIFICATIO ET AFFECTUS.

1. ARGUMENTATIONIS.

Quid? Græca fides sine religione, vehementia adolescentis Lælii concitati psephismate Græcorum, falsæ litteræ, testes cum accusatore sociati, ad accusandum virum integrum valebunt? at quæ Græcorum criminationes singulæ. 1. Laudi etiam vertitur Prætori Flacco, quod decreto Senatus, & exemplo Pompeii classem appararit. 2. Criminatio elevatur ipso turpi Asclepiade legato, & laudatione Æmonensium data Flacco. 3. litteris perditis supponit Phrygem sine fide. 4. profert tres Legatos viles perfidos, infensos Flacco. 5. infirmatur à persona Mæandrii sordidi ac levis Legati, & odio Trallianorum adversus Flaccum propter pecuniam justè ab ipsis ablatam: denique testes Asiatici non modò leves, sed etiam crudeles & infesti Romanis, dispares veris Græcis sunt.

ARGUMENTAT.

Nullum est pondus testimonii in Deciano homine quidem ridiculo, ob negotiationem, & agrorum emptionem; tum improbo in Amyntam; & glorioso. Sextilius malè arguit Prætorem Flaccum; nam hic hæreditatem Valeriæ adiit sine impressione, facta decisione, secundum leges. Falcidii ficta epistola, & à mulierculis prolata nihil nocere potest Flacco.

2. ARGUMENTA.

Plures urbes Asiæ testantur objectum Flacco aurum, integrè casteque deprehensum, & in ærarium relatum esse: non ergo barbaræ Judæorum superstitioni credendum.

PERORATIO.

Commiserationis affectus erga L. Flaccum, propter merita seu amorem in patriam, & ejus filiorum.

EXOR-

EXORDIUM.

PRæter opinionem Cicero defendit L. Flaccum, quem propter dignitatem ac merita in Remp. à nullo, nisi à Reipub. & virtutis hoste, putabat unquam accusatum iri, nedum à D. Lælio. *Num* 1. *cùm in maximis.* Quare confugit ad Judices, & eos deprecatur in accusatione tam gravi. *Num.* 3. *sed quoniam.*

Perfugium amplificat dubitatione, & à persona Flacci, qui liberavit patriam. *Num.* 4. *quem enim alium.*

ANNOTATIO.

Præclarè ad benevolentiam Orator jacit prima semina affectuum, cùm à persona Flacci, cujus dignitatem ac merita in Remp. commemorat; tum à persona Iudicum, quorum potestatem & æquitatem deprecatione conciliat, tum à persona adversariorum, quorum inspetatam accusationem miratur.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: L. Flaccus repetundarum non est reus.

Distributio, seu Argum. quia testes Asiatici, Judæi, Romani sunt rejiciendi.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

PRimam Contentionis partem, *testes Asiatici sunt rejiciendi,* hoc Enthymema aperit: In testibus Asiaticis, non est religio, nec veritas; sed spes pecuniæ, levitas, perfidia, audacia: igitur testes Asiatici sunt rejiciendi.

Antecedens paucis affertur, præmissa integritate Flacci in tribunatu, quæstura, & Prætura: cujus rei testes sunt ipsi Judices, *Num.* 6. *Hunc igitur virum.* Deinde præmissa thesi seu fide Græcorum in genere; quam Cicero elevat 1. prolepsi

Num.

Num 9. at quos testes. 2. Dissimili religione trium Romanorum testium, qui Flaccum accusarunt. *Num 10. iratus Flacco.* 3. Dissimili religione Rom. Judicum, & Græcorum. *Num. 12. vos autem in privatis.* 4. Vehementia accusatoris Lælii ab adjunctis, seu vi & apparatu accusationis. *Num. 13. vehementem accusatorem.* Sparso præsertim in Asia sermone, qui psephisma conciliavit. *Num. 14. sed ut hanc vim.* Ista autem Græcorum psephismata, seu temerarios motus clamosæ concionis insectatur per exclamationem dissimili exemplo Majorum. *Num. 15. ô morem præclarum.* Effecta etiam quædam, & exempla græcarum concionum recenset. *Num. 16. Græcorum autem.*

Concludit hujusmodi psephisma Græcorum, non esse testimoniū, quod L. Flacco noceat. *Num. 18. quare jam non est.* 5. Elevat fidem Græcorum, litteris falsis. *Num. 02. quam verò facile.* 6. Testibus cum accusatore sociatis, qui certè (adverte dialogismum) nec ab accusatore Lælio, nec à defensore Cicerone interrogari possunt. *Num 21. quod si tertium.*

Anacephalæosi repetit, nec religione testium Græcorum, nec psephismatibus, nec litteris & consociatis testibus istam Flacci accusationem valere. *Num. 23: quærendum ergo est.*

Subdit comparatione periculum, si tantus vir L. Flaccus condemnetur. *Num. 24. utrum hic tandem.* Tum obtestatione resumit Antecedens Enthymematis. *Num 26. quod quidem ego.* Et jam in specie ad singulas testium Græcorum criminationes accedit.

Prima criminatio seu querela est totius Asiæ, quòd Flaccus classis nomine pecuniam civitatibus imperârit. Hanc Cicero distributione refellit. 1. quia licuit Flacco pecuniam imperare; 2. quia opus fuit navibus; 3. quia ista classis navigavit. *Num. 27. etenim jam universa.*

Licuisse Flacco pecuniam imperare constat decreto Senatûs. *Ibid. licuisse ut intelligas.*

Opus fuisse navibus probatur ab adjunctis provinciæ, in qua præsidium ac splendor navium necessarius fuit *Ibid proximum est.* Probatur etiam exemplo Pompeii, qui etsi omnia jam bella, prædonesque sustulisset, classem tamen Asiæ imperavit, quantò magis Flaccus! *Num. 29. nulli erant.* Tum probatur Senatus exemplo. *Num. 30. quid nos hic.* Denique laudanda est diligentia Prætoris Flacci in apparanda classe,

vel

vel si nullus prædo inventus, aut captus fuisset. *Num. 31. quòd si Flacco.* Jam navigasse eam classem probatur testimoniis. *Num. 32. reliquum est.* Ubi iterùm diligentia Flacci in describendo numero navium, & iis sumptibus non faciendis, qui anteà non erant instituti, laudatur geminâ prolepsi. *Num. 33. qui igitur.*

Secunda criminatio seu querela fuit civitatis Æmonensis, cujus legatus Asclepiades ridetur propter turpem vitam, ac levitatem testimonii. *Num. 34. sed quoniam.* De laudatione autem Æmonènsium data Flacco, subtiliùs Cicero arguit Aschlepiadis responsum, qui fatetur suos cives (adeoque Græcos) extempore, quòd opus esset obsignasse. *Num. 36. idem laudationem.* Adde laudatio illa Æmonensium data Flacco, obsignata fuit cretâ: testimonii verò formula Lælio data, obsignata fuit cera, quod est falsitatis signum. *Ibid. nisi verò.*

Tertia criminatio Dorylensium eluditur litteris perditis, ac deinde supposito Phryge teste, cui nuper in liberali causa creditum non est. *Num. 39. venio nunc.* Istius testis mortem, ex intemperanti esu ficorum, confert in negligentiam Lælii, non invidiam Flacci. *Num 41. atq; hic Dorylensis.*

Quartam criminationem Temnitarum infirmat Cicero à persona & dictis trium legatorum, Heraclidis, Nicomedis, & Lysaniæ. Nam 1. singulorum utilitatem ostendit *Num. 42. caput est omnium.* 2. Quæ dixerunt de pecunia Flacco data (adverte soritem) & circumventis hominibus clarissimis nusquam probàri contendit. *Num. 44. dicunt se Flacco.* Magis in specie ac nominatim deprimit personam & fidem Heraclidis, ab odio in Flaccum, propter fundum Cymæum, cujus emptionem, mutationem, judicium, addictionem prosequitur narratione satis venusta. *Num. 49 atq; ut ejus impudentiam.* Aliam narratiunculam subjungit Lysaniæ cum apostropha ad Decianum. *Num 51. venio nunc ad Lysaniam.*

Sequitur 5. criminatio Trallianorum dupliciter elevata, 1. persona Meandrii, sordidi ac levis legati. *Num. 52 Venio nunc.* 2. Odio Trallianorum adversus Flaccum, propter ablatam ab ipsis pecuniam. *Num. 54. sed exponam quid.* Justè autem ablata fuit pecunia, quia Flaccus pecuniam in honores patris collocatam, & posteà translatam in quæstum, & fœnerationem recuperavit: quod dialogismo exprimitur. *Num. 55. qua pecunia fuerit.* Adde non tam accusat Flaccum

gravis

gravis civitas, quàm imperiti homines à Meandro concitati: quare comparatione Majorum, si istarum concionum etiam Romæ magni sunt fluctus, quanti igitur Trallibus? *Num.57. non civitas, sed.* Tum si licuit patri Flacci istam pecuniam capere, licuit pariter filio. *Num.59. at enim istam.* Hîc digreditur Orator in Asiaticos testes (à quibus dicebat Lælius pecuniam abstulisse Mithridatem) atque eorum hominum non modò levitatem, sed etiam crudelitatem, & odium in Romanos amplificat. *Num.60. qua quidem à me.*

His etiam hominibus comparatione opponit Athenienses, Lacedæmonios, cunctosque ex Achaia, Bœotia, Thessalia, Massilia: quorum civitates laudat à vetustate, situ, doctrina, legibus, humanitate. *Num. 62. aspiciant hunc florem.* Demùm distinguit Græciam ab Asia; hanc quibusdam proverbiis deprimit, illam publicâ laude & doctrinâ attollit. *Num. quamquam quis.*

Concludit primam contentionis partem de Asiaticis testibus. *Num.66. Equidem mihi jam satis.*

Secunda pars contentionis, *Iudæi testes sunt rejiciendi*, brevi hoc Enthymemate absolvitur: Edictum, quo sancit Flaccus, ne aurum ex Asia Hierosolymam exportaretur, Senatus authoritate, non Judæorum superstitione nititur: ergo Judæi testes sunt rejiciendi, qui id reprehendunt.

Antecedens patet. *Num. 67. sequitur auri.*

Adjectâ prolepsi de Cn. Pompeii abstinentia. *Num.68. At Cn. Pompejus.* Consequens subjicitur distributione urbium Asiæ, Apameæ, Laodiceæ, Adrymeti, Pergami: in quibus aurum, quod exportabatur, integrè, castéque deprehensum, & in ærarium relatum est. *Num.69. Vbi ergo crimen est.*

Tertia pars contentionis, *Romani testes sunt rejiciendi*, constat inductione per enumerationem testium, Deciani, Sextilii, Falcidii. Deciani querelam ac testimonium perpetuo joco, ac facetia cavillatur Cicero per dialogismum præsertim ejus negotiationem Pergami, & agrorum emptionem remoto in loco. *Num.70. quamobrem quoniam.* Mox à Deciano erepta Amyntæ prædia, & uxorem, quam circumvenit, & filium, quem malè tractavit, restitui lepidè petit. *Num. 72. sed concedo id quoque.*

Pergamorum autem laudationem, quâ gloriatur Decianus, deridet comparatione Smyrnæorum, qui Castricium mortuum ita laudarunt, ut eum derisisse videantur, non honorem attulisse. *Nu. 74. ita enim mihi.* Deinde

Deinde proscriptiones & emptiones Deciani repudiarunt ipsi Pergameni; nominatim tres Asiæ prætores, Orbius, Globulus, Flaccus. *Num. 76. isti igitur.* Interseritur prolepsis, quâ Flacci iracundia in decernendo, seu inimicitiæ purgantur. *Num. 77. veridicas adjungis.*

At concessione Orator de glorioso Deciano jocatur, qui ut ditior appareret, Apollonide, & Romæ in censum retulerat plures facultates, quàm reverà haberet. *Num. 79. at hæc prædia.* Concludit apostrophâ ad Decianum, sine suspicione corruptionis aut avaritiæ Flaccum rectè decrevisse. *Num. 81. siccine tu author.*

Andronis Sextilii querelam (quòd cùm esset uxor ejus Valeria intestata mortua, sic egit eam rem Flaccus, quasi ad ipsum hæreditas pertineret) refellit. 1. exclamatione ironicâ; quasi verò ab ingenuis mulieribus hæreditates non obveniant. *Num. 84. At verò Androni.*

2. Licèt hæreditas jure coemptionis ad Andronem, Valeriæ maritum, devoluta esset, non tamen peracta est coemptio cum consensu Flacci, qui tutor erat. *Ibid. in manum.*

3. Flaccus suum egit negotium, exemplo Judicis Luculli, & Vectii. Adverte communicationem. *Num. 85. relinquitur illud.*

4. Non impressione aut vi istam hæreditatem adiit, quia jam Globulo Prætore petita fuit, *Ibid. at istius.* Digreditur Cicero in Lurconem (qui negabat à privato pecuniam in provincia Prætorem petere oportere) ejusque testimonium elevat ab iracundia, & offensione in Flaccum. *Num 86. itaq; eodem.*

Addit exclamationem de misera conditione magistratuũ. *Num. 88 O conditiones miseras*

5. Flaccus decisionem cum Androne fecit; non igitur vis aut circumscriptio fuit. Deinde Flaccus istam hæreditatem liberaliter suo propinquo donavit; non igitur avarus censendus est, aut contra leges cœpisse pecunias. *Num. 89. at iste Andro.*

Falcidii querelam de quinquaginta talentis Flacco datis, pulchrè eludit Orator à persona ipsius Falcidii, qui ne videatur patrimonium satis lautum pergræcandò confecisse, fingit epistolâ se eam Flacco pecuniam dedisse. *Num. 90. at Falcidianum.* Excutit etiam mulierculárum testimonium Apostrophâ ad Lælium, & Decianum. *Num. 92. sed tamen quæ.*

ANNOTATIO.

Tota ferè contentio vel defensio ex confutatione testium Asiaticorum, & Iudaeorum, & Romanorum (qui Flaccum oppugnabant) & ex ipsius Flacci superiore vita, magnisq́ erga Remp. meritis constat, praesertim in Exordio, & peroratione. Hic verò in contentione quàm callide Orator, quoties potest, abstrahit orationem à persona, & criminibus Flacci, vt eam ad istos testes Asiaticos, & Iudaeos, & Romanos transferat, quos perpetuo risu ac facetiis cavillans contemnit. Et verò satis constat, non aliare, quàm jocorum opportunitate, in manifestissimis criminibus L. Flaccum severitati Iudicum à Cicerone esse ereptum.

PERORATIO.

Omissa longiore contentione perorat Cicero ad commiserationem L. Flacci, quem Apostrophâ ad Judices, & concessione, & exclamatione indignatur oppugnari ab iis de quibus optimè meritus fuit (Flaccus enim socios Catilinæ, præsertim Lentulum conjurationis principem oppresserat in urbe) *Num* 94. *sed quid ego.* Deinde exempla affert plurium civium, qui de repetundis aliisque criminibus absoluti sunt, propter merita in patriam. *Num.* 98. *M. Aquilium.* Accusationi etiam adversariorum testium, & provinciarum rationi opponit majorem authoritatem, & amicorum & provinciarum, quæ Flaccum defendunt. *Num.* 100. *quòd si provinciarum.* Iterum amplificat res gestas Flacci in conjuratione Catilinæ, pathetica Apostrophâ, & frequenti exclamatione. *Num.* 101. *& si prodesse.* Sed maximè laudibus effert ipsius charitatem erga Remp. ex qua Cicero dignitatem, ac salutem certam pollicebatur Flacco, nunc se falsum esse dolet. *Num* 103 *qui tum animus.* Præsertim eo tempore, quo tam pauci sunt amici Reip. *Num* 105. *quotus enim quisq́.* Ad extremum à persona filioli Flacci commiserationem finit. *Num.* 106 *praeclara illi.*

ANNOTATIO.

Superius dixi perorationem & exordium constare magnis in Remp. meritis L. Flacci; ex his enim Orator misericordiam captat,

ptat, præsertim periculoso Reip. tempore. Commiseratio autem fit apostrophâ Ciceronis ad Iudices, & ad Flaccum, cujus res gestas commemorat eò ampliùs, quòd sint cum sua laude conjuncta: semper enim Cicero nonas Decembris in ore habuit, quemadmodum omnes qui tunc temporis vel ipsi, vel Reip officium præstiterunt, magna charitate defendit. Notanda etiam in fine illa commiserationis industria, quâ Orator filiolum Flacci Iudicibus exhibet.

PRO P. SYLLA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

P *Syllam Consulatu dejecit L. Torquatus, eumque duplici conjuratione accusavit: verùm de prima conjuratione jam à biennio purgarat Hortensius: hujus posterioris reum negat quoq; Cicero esse P Syllam.*

Quæstio est in genere judiciali, an P. Sylla conjurarit cum Catilina.

Dicendi character ferè est tenuis.

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Cicero reprehensus à L. Torquato, quòd idem nunc pro Sylla diceret, qui antea Autronium, Vergunteium, cæterosque conjuratos accusarat, reddit rationem sui officii: nam istos conjurationis reos comperit, de Sylla ne suspicio quidem fuit: cur igitur Ciceroni erga hunc misericordi esse non liceat, exemplo Hortensii & aliorum? tum adolescentis Torquati maledicentiam, de regio ac peregrino nomine castigat.

PROPOSITIO.

P. Sylla non conjuravit.

ARGUMENTA.

1. Quia objecta P. Syllæ crimina facilè dissolvuntur.

2. Mores & vitam habet P. Sylla repugnantem conjurationi.

ARGUMENTAT.

1. ARGUMENTI.

Crimen de Allobrogum testimonio, de tabulis publicis, de indicio Cornelii, de Clucio, de Pompeianis, de Cæcilio, de epistola Ciceronis facilè refellitur: ergo objecta P. Syllæ Crimina facilè dissolvuntur.

2. ARGUMENTI.

Qui conjurant in patriam, habent mores & vitam isti crimini non repugnantem; ut patet exemplis conjuratorum: sed Sylla habet mores & vitam conjurationi repugnantem; est enim dissimilis his, qui conjurarunt: non ergo conjuravit.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECT.

1. ARGUMENTATIONIS.

Testimonio Allobrogum rectè opponitur testimonium Cassii. Tabulas publicas fide sua, & Consulis auctoritate Cicero incorruptas tuetur: ubi digrediens deterret ab accusatione Torquatum: cui ostenso iterum reddit rationem officii, Cornelii indicium infirmatur absentia Syllæ, gladiatoribusque emptis à filio pro munere. Cincium adjuncta temporis, & causæ, & prædiorum, & personæ refellunt Pompeiani & Coloni cum laude testantur de Sylla. Cæcilium excusat fraternus amor; tum rogatio non longè progressa, quam reprehendit Sylla. Denique de Epistola Ciceronis, aut de Consulatu per vim recuperando nihil liquet.

2. ARGUMENTATIONIS.

Catilina, Lentulus, Cethegus, Autronius, cæterique conjuratores fuerunt libidinosi, audaces, impii. Nihil horum in P. Sylla: at contra mitis animus, vitæ constantia, amor in Remp. quis hunc judicet, tanti sceleris affinem esse?

PROPOSITIO.

P. Sylla Consulatu & magno florentis fortunæ splendore dejectus nova conjurationis infamia laborare non debet: sed Judices erga hunc esse mansuetos oportet, quem adversarii crudeliter affligunt.

EXORDIUM.

QUanquam Cicero doleat afflictum Syllam bis accusatum esse, partim invidiâ, partim odio: tamen id ferret leniter, nisi reprehensus à L. Lorquato cogitur rationem sui officii ac defensionis reddere. *Num.* 1. *maximè vellem*. Digrediens se purgat ante contentionem: nam Apostrophâ ad L. Torquatum contendit se pari exemplo ac jure Hortensii posse Syllam defendere *Num* 3. *ac primùm.*

Pari etiam causâ & ratione summorum virorum, qui P. Syllæ adsunt, *Num.* 4. *quare illud.*

Subjectione ac prolepsi ostendit dissimilem esse in his viris rationem defendendi innocentem Syllam, quàm Vergunteium, Autronium, cæterosque conjuratos. *Num.* 5. *Quis nostrum.*

Quare iterùm iterumque concludit se non reprehendi debere, si cum his viris, & Reip. causa defendat P. Syllâm. *Num.* 7. *quamobrem quid est.*

Deinde objicienti Torquato, quòd inconstans Cicero in Autronium testimonium dixerit, Syllam autem defendat; respondet se ratione Reip. in illum testimonium dixisse, & hunc religione privati officii defendere. *Num.* 10. *in Autronium.* Nam duplex ab accusatore constituitur Syllæ conjuratio: prioris Cicero testis esse non potuit, testes fuerunt Hortensius, aliique Consulares viri, qui omnes Syllam defenderunt, nullus adfuit Autronio. *Num.* 11. *dua conjurationes.*

Posterioris conjurationis nullum indicium, nullas litteras, nullam suspicionem fuisse de Sylla testatur Consul Cicero. *Num.* 14. *& quoniam.* Aliam verò fuisse causam, & suspicionem Autronii quàm Syllæ, patet ex dissimilitudine personarum, & adjunctis conjurationis. *Num.* 15. *quid enim* Digreditur Cicero, & commendat suam lenitatem, quâ usus in supplicem Autronium fuisset, si de uno tantùm Cicerone occidendo cogitasset. *Num.* 18. *veniebat enim.*

Nunc eâdem lenitate ipse Cicero Syllæ causam suscipit. *Num.* 20. *atq; idem ego.*

Tertiò Torquatum refellit, ac se non esse Regem ostendit, quia paruit Senatui, nec se in judiciis regnare, quia apud iratos Judices pro innocente viro nihil affert præter fidem defensionis. *Num.* 21. *hic ait se.*

Quartò

Quartò secretum dicit esse Torquatum, qui maledicto peregrinum Ciceronem vocet potius, quàm Catonem, Coruncanum, Curionem, Marium; cum hi pariter ex mancipiis veniant. *Num.22.at hic etiam.*

Quare admonet Torquatum ne peregrinorum hominum subeat invidiam, aut horum suffragiis obruatur, dum suam patricii nobilitatem jactat non industria ac virtute, sed vetustate, atque otiò comparatam. *Num. 23. sed tamen te.* Concludit convitium Torquati multa verborum amplificatione, & repetitione, definiendo se eum esse Regem, quem non otium, & dominatio, sed labor ac parendi cura, ac Reip. conservatio inter pericula improborum detinuit. *Num. 25. quare neque me.*

Rursus immoderationem verborum Cicero objicit Torquato adhuc adolescenti & Reip. ignaro, qui, quod non debet, reprehendit, conjuratos à Cicerone in dicta causa esse necatos. *Numer. 30. at verò quid.* Tum parrhisiâ res à se gestas (sæpe, ut solet; nam, ut rectè dicebat Seneca, Cicero laudat se non absque causa, sed absque modo) plena voce, parata attentione recitat. *Num 32. itaque attende.* Altera parrhisia L. Torquatum, & ejus patrem omni improbitate consilii purgat. *Num.34. atque etiam illud.* Confutato L. Torquato, à quo erat reprehensus Cicero, quod Syllam defenderet, redit ex digressione ad causam P. Syllæ. *Num.35. sed jam redeo.*

ANNOTATIO.

Insinuatione utitur orator, captatq́; benevolentiam à suo dolore, & lenitate, & officio se, ac Syllam defendendi. Itaque accusatus à Torquato, quare Syllam defendat, prius confutat objecta adversarii, quàm ad contentionem, seu ad causam Syllæ accedat: sed hoc sæpius fecit in exordiis, ut vel prolepses adversariorum, vel quadam præjudicia, vel objecta præmittat contentioni. Confutatio autem L. Torquati constat primum auctoritate ac fide Ciceronis Consulis, qui P. Syllam conjurationis reum non comperit. Deinde regium nomen à se removet sedula parendi cura, & labore conservandi Remp. Tum L. Torquato maledicentiam ac immoderationem verborum objicit, facetum appellat; admonet adolescentem adhuc Reip. ignarum, ne peregrinos homines offendat, dum plus æquo nobilitatem suam æstimat.

CONTENTIONIS
Propoſitio & Diſtributio.

Contentionis propoſitio eſt hæc: P. Sylla non conjuravit.

Diſtributio ſeu argumenta ſunt hæc: 1. quia objecta Syllæ crimina facilè diſſolvuntur. 2. quia mores, & vitam habet Sylla repugnantem conjurationi.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propoſitionis primum argumentum, *objecta P. Syllæ crimina facilè diſſolvuntur*, inductione per enumerationem probatur.

Primum crimen de Allobrogum teſtimonio refellitur ſubjectione, & dialogiſmo. ex verbis Caſſii, qui nec Syllam inter conjuratos nominavit, nec ſcire ſe an conjurarit Sylla, cum cæteros ſciret, dixit. *Num.36. ab Allobrogibus nominatis.*

Secundum crimen de tabulis publicis refellitur ex fide atque animo Ciceronis Conſulis, qui non aliter ac indicatum fuit de conjuratis, & per Senatores cognitum, proſcribi tabulas celerrimè, & publicari, & toti imperio dividi curavit. *Num 40 excluſus hac.* Deinde ſi tabulas à Cicerone corruptas criminatur Torquatus, cur tamdiu nihil dixit? *Num. 44. ſed tamen abs te.* Cur mendacio & turpi hoc facto Cicero ipſe ſibi diſſentiat? *Num.45. mihi cujuſquam ſalus.* Digreditur atque acri reprehenſione adoleſcentem Torquatum perſtringit; terret imparem adverſarium. *Num. 47. fero ego te.*

Mox dialogiſmo eundem ſibi offenſum placat, allata ratione officii, ac defenſionis Syllæ. *Num. 48. neque verò.* Allato etiam diſſimili exemplo parentis Torquati, qui competitoribus ſuis non ſolebat iraſci. *Num.49. at verò.*

Tertium crimen de indicio Cornelii ſtatim infirmatur exclamatione ironica, *Num. 51. at accuſat,*

Nam neque Sylla comitatus fuit Catilinam (nam erat Neapoli) in campo Martio ſeu Conſularibus comitiis, aut illa nocte, qua conjuratio fuit acerrima. *Ibid. ſed quid eſt tandem.*

Neque Sylla ad cædem ac tumultum emit gladiatores, quos ejus filius, ut patet ex litteris, sibi comparavit, ut in honorem parentis munus gladiatorum daret populo Rom. *Num.54. sed quid ergo indicat?*

Quartum crimen de Cincio in Hispaniam misso ad eam perturbandam, refutatur. 1. A tempore quo profectus est. *Num. 56. at enim Cincius*, 2. A causa propter quam profectus est. *Ibid. ac profectus est*. 3. A venditione suorum prædiorum. *Ibid. tum autem*. 4. Ab re absurda, adjunctisque personæ Cincii. *Num.57. jam verò illud.*

Quintum crimen de Pompeianis ad conjurationem impulsis à Sylla, dirimitur ipso testimonio Colonorum, & Pompeianorum; nam ita carus utrisque est, atque jucundus Sylla, ut non alteros dimovisse sed constituisse videatur. *Num.60. jam verò quid.*

Sextum crimen de Cæcilio, qui rogationem promulgavit de fratre suo Sylla in Consulatum restituendo, elevatur ex ipsa causa promulgandi, quòd Cæcilius amore fraterno impulsus non res à Senatu judicatas rescindere, sed mitigare legem, seu fratris calamitatem voluerit. *Num.62. at enim &c.* Deinde Sylla promulgationem illam reprehendit, & rogationem de se noluit ferri *Num. 64. sed quid ego.*

Adde, hæc rogatio sine vi, aut seditionis timore fuit: quod ex persona L. Cæcilii, & P. Syllæ probatur. *Num.65. & illo tempore.*

Septimum crimen de epistola Ciceronis, quòd Sylla biennio ante conjurarit cum aliis, ironicâ responsione eluditur, *Num. 67. hic tu epistolam.* Nec est probabile hoc argumento: nam si Sylla manum comparavit, ut Catilinam Consulem efficeret, non igitur de Consulatu per vim recuperando cogitavit. *Num 68. de quo etiam.*

Propositionis secundum argumentum, *Mores, & vitam habet P. Sylla repugnantem conjurationi*, quinque partita argumentatione fusiùs tractatur. Major propositio est: qui conjurat in patriam, habet mores & vitam isti crimini non repugnantem. *Num.69. neque enim istorum.*

Probatio Majoris constat exemplis conjuratorum Catilinæ, Lentuli, Cethegi, Autronii. *Num.70. circumspicite.*

Minor propositio, seu assumptio est hæc, sed mores & vitam habet Sylla repugnantem conjurationi: effertur dissimili P. Syllæ comparatione cum his, qui conjurarunt. *Num. 72. agedum conferte.* Proba-

Probatio Minoris exornatur 1. considerato miti animo Syllæ erga omnes, præsertim in L. Syllæ victoria. *Ibid. ecquod hujus.*

2. A virtutum & vitæ constantia tam in prospera, quàm in adversa fort una. *Num 73 quid reliquum.* 3. Charitate erga Remp. *Num.75. mitto Remp.*

Complexio totius argumentationis præclarâ quadam amplificatione subjicitur. *Ibid. non inquam cadit.* Post complexionem digreditur Cicero in duas prolepses: 1. est de quæstionibus ac tormentis servorum, quæ accusator minitatur: verùm harum quæstionum veritatem elevat orator 1. ab adjunctis *Num. 78. quæstiones nobis* 2. A vita honesta P.Syllæ. *Ibid. vita P. Syllæ.* 3. auctoritate Ciceronis Syllam defendentis. *Num.80 quid verò hæc.* Altera prolepsis de accusatis uno nomine Consularibus, quòd Catilinæ adfuerint, elevatur etiàm.

1. Exemplo patris Torquati, qui Catilinam absolvit. *Num.81.accusati sunt* 2. Gravitate & fortitudine horum virorum, & charitate in Remp. *Num.82.atque ut de.* 3. Absurdo alias Ciceronis consilio, qui acerrimè cum periculo vitæ, & æterna rerum gestarum gloria conjuratum Catilinam extinxisset; nunc turpiter ejus conjurationis socium P.Syllam defenderet. *Num.83.sed quid ego.*

ANNOTATIO.

Contentionis propositio ac distributio clarè patet ex argumentatione; argumentatio autem inductione, & ratiocinatione constat. Inductio recenset & confutat crimina P.Syllæ objecta: nam Orator testimonio Allobrogum opponit testimonium Cassii. Tabulas publicas fide sua, & Consulis authoritate incorruptas tuetur: ubi digrediens deterret ab accusatione Torquatum, cui offenso reddit rationem sui officii, Cornelii indicium infirmat absentia Syllæ, gladiatoribusque emptis à Sylla pro munere. Circium adjuncta temporis, & causa, & prædierum, & persona refellunt. Pompeiani & Coloni cum laude testantur de Sylla. Cæcilium excusat fraternus amor, tum rogatio non longè progressa, hanc reprehendente Sylla Denique de epistola Ciceronis, aut de Consulatu per vim recuperando nihil liquet. Ratiocinatio amplificat integritatem P. Syllæ ex vita & moribus per dissimilem cum aliis conjuratoribus comparationem. In fine est digressio in duas prolepses.

Affectus reservantur in perorationem.

PERO-

PERORATIO.

Misericordiam movet Cicero erga P. Syllam 1. A sua persona, Deos testando se nihil de conjuratione P. Syllæ unquam comperisse; idcirco se erga hunc lenem esse, qui erga alios conjuratos vehemens fuit. *Num.* 86. *quamobrem vos.* 2. A persona P. Syllæ, & ejus parvi filii deprecantis judices, ne jam Consulatu, seu primo familiæ suæ, ac dignitatis splendore deturbatus P. Sylla, hac nova tanti criminis infamia laboret. *Num.* 88 *nihil video esse.*

3. Per apostropham à persona Torquati seu adversariorum, qui non contenti se Consulatum P. Syllæ eripuisse, crudeliter quoque famam & honorem detrahunt. *Num.* 90. *te ipsum jam.*

Exclamando auget affectum ex commutatione florentis fortunæ P. Syllæ in adversam. *Num.* 91. *O miserum & infelicem.* 4. A persona judicum, in quorum mansuetudine atque officio totam miseri Syllæ causam reponit. *Num.* 92. *sed jam impedior.*

ANNOTATIO.

Insignis est illa industria concitandi affectus commiserationis erga P. Syllam, à personâ defendentis Ciceronis, & rei Syllæ, & adversariorum, & judicum. Nam Cicero de innocentia Syllæ Deos testatur. præsentem P. Syllæ calamitatem amplificat à pristina ejus fortuna; tum adversariorum accusat crudelitatem, & invidiam contra quam mansuetos judices suscitat.

PRO

PRO ARCHIA POETA

Argumentum, Quæstio, Stylus.

URbem Romam eximia primorum regum primorumque Consulum virtus, quam posteritas imitata est, ab humili principio, ad summam amplitudinem, gloriamque perduxit. Ac mihi quidem in vas causas unde opes tanta manarunt, intendenti, cum alia nequaquam leves occurrunt, tum illa non sanè minimi videtur esse ponderis, quòd gentibus bello victis non modo locus in civitate, verùm etiam patria cum cateris civitatibus jura concedebantur. Transit ea benignitas in singulos cives: & primùm ii, qui strenuam in praliis operam navassent; mox etiam si qui doctrina prastantes ad ornandas populi Romani res gestas ingenium contulissent, civitatis jura consequebantur. Atque alii quidem aliis temporibus, Archias autem Antiochia in Syria natus, Ciceronis atate hunc honorem singulari principum civium studio est adeptus. Qui cum Poetica laude floreret, ubique jam in Italia clarus ab omnibus ferè populis expetitus, primùm à Tarentinis, Rheginis, Locrensibus, Neapolitanis, deinde ab Heracliensibus civitate donatus, postremò in civium etiam Romanorum numerum adscitus est. Verùm, ut multi sæpè reperiuntur non modo artium optimarum expertes, verùm etiam inimici, extitit quidam Gracchus, qui, quod Archia beneficium virtus pepererat, in dubium revocaret, eique litem de civitate, ex lege, quam Sylvanus, & Carbo Tribuni tulerant, intenderet. Respondit ei Cicero: causam probavit: merita hominis extulit: dignum ostendit non modò qui civitatem non amitteret, quam jure optimo teneret, verùm etiam, qui, nisi eam haberet, consequeretur. Manut,

Quæstio est in genere judiciali, an Archias Poeta sit civis Romanus.

Stylus, veluti in demonstrativo genere, est temperatus; & delectans, propter laudes Archia.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero debet potissimum defendere Archiam, præceptorem suum, à quo eloquentiam, & facultatem tam multos defendendi, accepit.

PROPOSITIO. Archias est civis Romanus.

ARGUMENTA. 1. Quia nihil obest Archiæ, quo minùs sit civis Romanus. 2. Etiamsi non esset, asciscendus fuit.

ARGUMENTAT.

1. ARGUMENTI. Archias est adscriptus Heracliæ, quæ est Civitas fœderata; Romæ domicilium habuit, quo tempore lex est lata; sexaginta diebus apud Prætorem est professus: nihil igitur obest Archiæ, quo minus sit civis Romanus.

2. ARGUMENTI. Poetæ docti & ingeniosi propter doctrinæ suæ fructum, & delectationem, & dignitatem, sunt in numerum Romanorum civium asciscendi: Archias est poeta doctus & ingeniosus: ergo etiamsi Archias non esset civis Romanus, fuit asciscendus.

AMPLI-

AMPLIF. ET AFFECT.

1. ARGVMENTATIONIS.

Ridiculè accusator Gracchus negat Archiam esse civem Romanum, qui publico Heracliensium testimonio, & quatuor civitatum Italiæ, & Metelli tabulis, magna ingenii laude, & familiaritate summorum virorum, jus civitatis Romanæ obtinuit.

2. ARGVMNETATIONIS

Maxima est laus poëticæ facultatis à fructu, delectatione, sanctitate, & præmiis multorum poetarum, qui Græcè & Latinè res gestas Imperatorum, populique Romani gloriam versibus prodiderunt: inter quos Archias non mediocrem sibi locum vendicat.

PERORA.

Judicibus commendat Cicero salutem Archiæ, propter hujus poetæ merita erga se, & erga patriam.

EXOR-

EXORDIUM.

CIcero incipit à suo erga præceptorem Archiam officio. *Num.* 1 *si quid est.*

Officium amplificat comparatione minorum. *Ibid. si quòd hæc vox.*

Ad prolepsim de facultatis oratoriæ, & poeticæ dissimilitudine, respondet Cicero, omnes artes inter se conjungi, & juvare. *Num.* 2. *ac ne quis.* Altera prolepsi deprecatur in judicio publico novum dicendi genus seu sermonem, qui in foro esse non solet de studiis humanioribus. *Ibid. sed ne cui*

ANNOTATIO.

Iudices Orator conciliat grato in professorem suum animo; callidè autem præter judiciorum consuetudinem, amplectitur laudem litterarum, ut, quasi causa sideret, videatur Archiæ laudatione potiùs, quam defensione egere.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: Archias Poeta est civis Romanus.

Distributio seu argumenta sunt hæc. 1. Quia nihil obest Archiæ, quo minùs sit civis.

2. Quia etiamsi non esset, asciscendus fuit.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Nihil obest Archiæ, quo minus sit civis Romanus,* hoc enthymemate explicatur: Archias est adscriptus Heracliæ, quæ est civitas fœderata; Romæ domicilium habuit, quo tempore lex est lata, sexaginta diebus apud Prætorem est professus; nihil igitur obest Archiæ, quo minus sit civis Romanus.

Ante-

Antecedens summatim narratione stabilitur, & qua fama ingenii in Asia, Græcia, Italia, Romæ, multis præmiis, & familiaritate summorum virorum, obtento jure civitatis Heracliensis, ad Romanæ civitatis honorem tanquam gradibus Archias ascenderit. *Num. 4. Nam ut primum.* Tum antecedentis singulæ partes confirmantur, confutato per apostropham accusatore Graccho: nam prima pars (de adscriptione) fide L. Luculli, & testimonio Heracliensi publico constat: at ridiculè tabulas desiderat Gracchus, quas incendio belli Italici periisse sciunt omnes. *Num. 8. si nihil aliud.*

Secunda pars de domicilio in Italia atque adeò Romæ, & tertia pars de professione, pariter constat Metelli tabulis. *Num. 9. at domicilium.* Consequens enthymematis effertur comparatione quatuor civitatum Italiæ, & municipiorum, quæ Archiam poetam receperunt. *Num. 10. quæ cum ita.*

Quod objicit Gracchus Archiam non esse censum, eludit Cicero censu non fieri, sed indicari civem. deinde Archiam pro cive se gessisse, testamenta fecisse, adiisse hæreditates, ad ærarium detulisse. *Num. 11. census nostros.*

Propositionis secundum argumentum, *etiamsi Archias civis Romanus non esset, asciscendus fuit*, tractatur hoc syllogismo: poetæ docti, & ingeniosi propter suæ doctrinæ fructum, & delectationem, & dignitatem sunt in numerum Romanorum civium asciscendi: Archias est poeta doctus & ingeniosus: igitur etiamsi Archias civis Rom. non esset, asciscendus fuit.

Major propositio per repetitiones, & desunctionem, & apostropham ad Gracchum, amplificatur testimonio & gloriatione Ciceronis, qui non mediocrem doctrinæ fructum ac delectationem, ac vitæ conformationem à poetis hausit. *Num. 12. Quæres à nobis.* Id confirmat monumentis librorum, & exemplorum, quæ posteris poetæ reliquerunt. *Num. 14. sed pleni omnes.*

Digreditur in prolepsim seu quæstionem, an summi viri, quorum virtutes poetæ scripserunt, natura, duce, an ista humanitatis doctrina res magnas gesserint: concludit exemplo Africani, Lælii, Furii, Catonis, utramque & naturam, & doctrinam deberi conjungi. *Num. 15. quæret quispiam.*

Redit ad delectationem poetices, hancque pulchrè amplificat

plificat effectis conglobatis, & dissolutione, & exemplo Roscii poetæ *Num.* 16. *quòd si non.*

Minor seu assumptio syllogismi breviter subjicitur ex versibus, quos vel extempore, vel meditato doctus, & ingeniosus Archias protulit. *Num.* 18. *Quoties ego.*

Complexio syllogismi variè amplificatur: 1. A persona Ciceronis, quasi per epiphonema, aut exclamationem. *Ibid. hunc ego.*

2 A sanctitate poetarum, quasi non arte & præceptis, sed natura & munere Deorum sint poetæ *Ibid. atqui sic.* 3. Duplici comparatione minorum, quæ ducitur à saxis & bestiis, & ab exemplo eorum, qui alienum poetam Homerum, & mortuum expetierunt. *Num.* 19 *saxa & solitudines.* 4. Exemplo multorum imperatorum, Marij, Themistoclis, Luculli, Africani, qui charum Archiam, aliosque poetas habuerunt; quod ab his suas res gestas, & gloriam populi Rom. versibus illustratam viderent. *Ibid præsertim cùm omnes.* Quòd si Archias Græcè scripserit, non tamen minori laude poetæ Græci, imò & majore, quàm Latini, sunt afficiendi: ut constat plurium Imperatorum exemplis, Alexandri, Pompeii, Syllæ, Metelli, Bruti, Fulvii, qui laudis studio poetas coluerunt, præmiis, & civitatibus donarunt. *Num.* 23. *Nam si quis.* Maxime Cicero pari rerum gestarum gloria tractus amat Archiam, ut versibus Consulatum suum perficiat: excurritque amplius in istud laudis studium, quo ipse, & optimus quisque seu Imperator, seu Philosophus ducitur. *Num.* 28 *atque ut id.*

ANNOTATIO.

Contentionis clara est distributio, & argumentatio per enthymema, & syllogismum. Enthymemate refellitur Gracchus, narraturque quo pacto Archias civitate sit donatus. Syllogismo explicantur laudes Poeseos. Et quanquam Orator ab hypothesi seu persona Archiæ sæpius abstrahit orationem & hanc transfert ad thesim, sed ad laudandos Poetas. id eo artificio fit, ut tanto charior salus Archiæ, ac dignitas sit, quòd summos poetas adæquet. Deinde ut in exordio cœpimus dicere, cùm Cicero in hac tam nova causa novi & insoliti rei. novo dicendi genere utatur; liberiùs digreditur. & amplificat multa, ad fiduciam

ciam causa ostentandam, ut magis delectare laudando quam probare docendo, aut inflectere movendo possit videri.

PERORATIO.

PEroratio constat anacephalæosi argumentorum, & deprecatione (uti in exordio) ad Judices in tali causa, genereque dicendi. *Num. 31. Quare conservate.*

ANNOTATIO.

Est idem affectus, qui in exordio ac contentione, nimirum officii & charitatis erga eximium virum, & professorem suum.

POST REDITVM SVVM AD QUIRITES.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Cicero usque ad 46. ætatis annum virtutis & ingenii, imò etiam felicitatis cujusdam laude floruit: initia deinde calamitatis illi inciderunt, quæ Plutarchus repetit non ab ullo turpi, vel indigno facinore, sed ab illa Atticis odiosa dicacitate atque jactantia. Enim verò Tullius mortales multos antea lepore dicendi & venustate sibi conciliaverat, multos eloquentia præsidio defenderat. Neminem (excepto Verre) læserat: ea res ad honoris ascensum facilem, tam multis comparatis adjutoribus præbuit. In conjurationis verò animadversione, quia civitatis propugnatio, potius erat quam civium improborum oppugnatio omnes ordines consentientes habuit. At postea prosperis rerum eventis, nescio quomodo insolentior factus, plerosq; civitatis principes, pro loco sua cujusque dignitatis ac familia negligentius observare, vel potius aspernari, & nonnunquam asperius cavillari visus est. Deinde cum locis omnibus de conjuratione tanquam triumpharet, & Non. Decembris

bris semper in ore haberet, invidiam summam sibi conflavit; quosque conjurati propinquos, familiares, amicos habuere, tot adversarios & invidos habuit. Ex illa igitur levitatis origine procacitas & jactantia derivata molestias graves attulerunt. Totius autem invidiæ sanguis Clodiano judicio primum missus est. Clodius patricia & summis opibus fundata familia, maximeque popularis adolescens fuit, Ciceroni adeo familiaris, ut Clodiæ sororis nuptias Terentia Ciceronis uxor inde metueret. Itaque cum de violatis religionibus Clodius reus ageretur, Tullius à Terentia leniter (ut Plutarchus putat) impulsus, & Consulatus potentia elatus testimonio suo Clodium acriter primò perculit, deinde civitatis consensum dissolutum, id est, potentiam suam debiliorem animadvertens, vela contraxit, Clodiusq; magna quidem judicum turpitudine, sed tamen contra testimonium Ciceronis absolvitur. Ita res initio severius acta, deinde neglecta quadriennio post exilii causa Ciceroni fuit, dum Clodius Crassum, Pompeium, Cæsarem, & reliquos illius invidiæ principes sibi conciliat, Tullius negligentius retinet, imò Clodium quotidie magis ac magis in perniciem suam irritat. Clodius igitur factus Tribunus plebis jam audacia insultabat, eumque Tullius legationi, quam Cæsar offerebat, effugere potuit, sed avebat dimicare, modicèque minis & contentionibus Clodii movebatur; quin velut iterum contra Catilinam contenderet, sperabat se studia omnium ordinum habiturum, & cum summa gloria, aut certè sine molestia discessurum. Pompeius divinitus loquebatur se prius occisum iri à Clodio, quàm Tullius violaretur; Clodius tamen (ait Plutarchus) metuens ne Cicero Cæsari legaretur, reconciliationem gratiæ simulat. Itaque seductus Cicero, legationem missam facit: quo Cæsar incitatus Clodium sua sponte incensum vehementius inflammat, Pompeiumque disjungit. Tullius itaque reus agitur à Clodio, quòd Cives Rom. indicta causa necavisset. Iam cupiditas illa dimicandi, ostentatioq; summum in periculum adducta est, ac prorsus incredibile dictu est, quàm repentè ventus ille dicacitatis, & jactantia hominem defecerit: atra veste, profluente coma, reatuque misero & miserabili plebis misericordia suppliciter & humiliter imploratur: sed contra Clodianæ factionis arma nihil Ciceroni sua lachryma, nihil viginti millium luctus, nihil quòd Senatus vestis etiam mutatione consimilem dolorem declarandum censuisset, nihil, inquam, ista profuere. Clodii rogatione ultra quadraginta ab urbe millia exulare jussus est anno

 ætatis

ætatis suæ 49. anno U. C. 695 L. Calpurnio Pisone, & A. Gabinio Coss. Thessalonica autem in Macedonia ad miseriæ locum propter Plancium Quæstorem amicissimum delecta est. Non fuit autem Clodius exilio Ciceronis contentus, domum & villas ejus incendit, in area domus libertatis atrium erexit: omniaq; Ciceronis bona publicavit. Sed vis illa diuturna non fuit. Decimo post mense dum Clodius in Pompeium & optimates reliquos impotentius invehitur, omnium ordinum animis ad Ciceronem conversis, Clodiana lex abrogata est, redituśq; Ciceroni, & omnium bonorum restitutio decreta est. Anno U. C. 696. P. Cornelio, Lentulo & Q. Cæcilio Metello Coss. Freigius.

Quæstio est in genere demonstrativo, an singulari beneficio populus Rom. revocarit Ciceronem ab exilio.

Dicendi genus est temperatum.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Gaudet Cicero se devovisse pro salute Reip. & eo magis gaudet, quo nunc post exilium omnia ipsi jucundiora videntur.

ARGUMENTATIO.

PROPOSITIO. Singulari beneficio populus Rom. revocavit Ciceronem ab exilio.

ARGUMENTUM. Quia populus Rom. non solùm calamitatem Ciceroni detraxit, sed etiam dignitatem auxit.

Cicero incredibili Senatus populique Rom. consensu, maximisque amicorum officiis rediit in patriam: ergo populus Rom. non solùm calamitatem Ciceroni detraxit, sed etiam dignitatem auxit.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS. Multis adjunctis est clarior Ciceronis reditus, ipso Popili, Metelli, Marii reditu; pluresque amici præsertim Lentulus, Milo, Sextius, Pompeius, &c. plura pro ipso restituendo fecerunt. Quare tanto beneficio ornatus Cicero gratum se præbet.

PERORATIO. Cicero iterum gratus est populo Rom.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero sumit exordium à sua devotione pro salute patriæ, quando discessit in exilium. *Num.* 1. *Quod precatus.* Nunc quando singulari populi Rom. beneficio rediit ab exilio, ejus devotionis se esse convictum lætatur. *Ibid. ejus devotionis.* Hanc reditus sui lætitiam, ac singulare populi Rom. beneficium, amplificat eleganti inductione à fortuna, liberis, fratre, re familiari, amicis, honore, patria: quæ nunc ipsi jucundiora videntur, quàm antè. *Num.* 2. *& si homini.* Adjungit simile. *Num.* 4. *sed tanquam.*

ANNOTATIO.

Multis synonimis Cicero amplificat 1. *devotionem suam seu charitatem erga patriam.* 2. *gaudium ex reditu perceptum.* 3. *singulare beneficium populi Rom. atque hic est triplex affectus, quem Orator tota oratione prosequitur. Hunc in exordio quàm blandè & suaviter inchoat, ut sint prima semina callida insinuationis, & grati animi erga populum Rom. qui illum revocavit ab exilio.*

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Propositionis propositio est hæc: singulari beneficio populus Rom. revocavit Ciceronem ab exilio. Hæc propositio amplificata est comparatione. *Num.* 5. *quorsum igitur hæc?*

Distributio seu argumentum: quia populus Rom. non solùm calamitatem Ciceroni detraxit, sed etiam dignitatem auxit. *Num.* 6. *Nam in ipso.*

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

Propositionis argumentum, *populus Rom. non solùm calamitatem Ciceroni detraxit, sed etiam dignitatem auxit*, effert hoc

enthymema: Cicero Senatus Populique Rom. consensu, maximisque amicorum officiis rediit in patriam: igitur populus Rom. non solùm calamitatem Ciceroni detraxit, sed etiam dignitatem auxit. Antecedens amplificatur dissimili comparatione reditus P. Popilii, Q. Metelli, C. Marii. *Ibid. Non enim pro* Amplificatur deinde oratoria narratione eorum, quæ amici, in primis Lentulus, Milo, Sextius, Pompejus, Servilius, Gellius fecerunt, ut restitueretur Cicero. *Num.* 11. *Calend. verò.* Amplificationi Orator affectum subjungit, pollicendo pro tam insigni beneficio pietatem. *Num.* 18. *En ego tot testimoniis,*

Pollicetur etiam fortitudinem exemplo C. Marii, contra malos cives, perfidos, amicos, invidos, mercatores provinciarum. *Num.* 19. *quòd si vis.* Postremò magnam referendæ gratiæ curam, seu remunerationem quod ipsi difficiliùs erit, quàm non ulcisci inimicos, aut debitas pecunias dissolvere. *Num.* 22. *quamquam mihi,*

ANNOTATIO.

Comparatione amplificando beneficium populi, simul auget Cicero & dignitatem suam, & gaudium, & grati animi testificationem. Præcipuè Orator narrat officia amicorum, illos & se commendat,

PERORATIO.

ITerum Cicero habet gratias Senatui, populoque Rom. pollicetur que æternam beneficii memoriam, *Num.* 24. *quapropter.*

ANNOTATIO.

Rursus multa verborum amplificatione repetit, quod antè sæpiùs dixit in Exordio *& contentione se gratum fore; ut pietate sua erga patriam majores deinceps labores perferat, & honores assequatur.*

POST REDITVM
IN SENATU.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Argumentum vide in superiore oratione.

Quæstio est in genere demonstrativo, an Senatus maximo beneficio ornarit Ciceronem, quando illum revocavit ab exilio.

Dicendi genus est temperatum, vti in superiore oratione; sed & vtriusq; ferè simile argumentum, & similis contentio.

Putant multi Ciceronem priùs egisse gratias Senatui, quàm populo; hancque orationem post reditum in Senatu præcedere eam, quam habuit ad Quirites.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero agit gratias Senatui pro maximo beneficio.

PROPOSITIO. Senatus maximo beneficio ornavit Ciceronem, quando illum revocavit ab exilio.

ARGUMENTA. Quia Cicero immortalitatem quandam per Senatum adeptus videtur.

ARGUMENTATIO. Consules, Tribuni, Prætores, aliique multi Consulares viri, uno consensu, inaudito quodam triumpho, reditum Ciceronis postularunt, decreverunt, ornarunt: igitur Cicero immortalitatem quandam per Senatum adeptus videtur.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS. Quam gloriosum est Ciceroni, octo Tribunos studiosè pro salute ipsius retulisse! duos Consules Lentulum, & Metellum fortiter inimicis Ciceronis, præsertim duobus conscleratissimis, libidinosissimis, crudelissimis isto anno Consulibus Gabinio, & Pisoni restitisse! duos Tribunos, Annium, & Sextium; multos item Prætores; imò & ipsum Pompeium, magna virtute, fide, animo, Ciceroni favisse! quorum virorum beneficio recolendo, gratiisque referendis par esse vita non potest.

PERORATIO. Gloriosissimè restitutus Cicero promittit se strenuè ac fortiter facturum omnia Reip. causâ.

EXOR-

EXORDIUM.

CIcero quantas potest, agit gratias Senatui pro accepto beneficio immortali. *Num. 1. Si Patres conscripti.* Hoc beneficium amplificat ab effectis per comparationem, & distributionem parentum, Deorum, populi, Senatusque Rom. *Ibid. qui mihi fratrem.*

ANNOTATIO.

Grati animi est primùm æstimare beneficium, & pro accepto gratias agere; deinde illud prædicare, extollere, omni tempore & loco præ se ferre; tum par polliceri ac præstare. Quod hac oratione non omittit gratus Orator: nam hunc grati animi affectum ita tractat, ut statim in exordio beneficium æstimet ab effectis, & comparatione, agatq́ maximas gratias; in contentione verò illud prædicet, extollat, præ se ferat; in peroratione deniq́ polliceatur: ut videbitur. Atq́ hac ratione mirè benevolentiam captat.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: Senatus maximo beneficio ornavit Ciceronem, quando illum revocavit ab exilio.

Distributio seu argumentum: quia Cicero immortalitatem quandam per Senatum adeptus videtur.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumentum, *Cicero immortalitatem quandam per Senatum adeptus videtur*, exponit hæc inductio: Consules, Tribuni, Prætores, aliique multi Consulares viri, uno consensu inaudito quodam triumpho, reditum Ciceronis postularunt, decreverunt, ornarunt: Igitur immortalitatem quandam per Senatum adeptus videtur.

Ante-

Antecedens primò amplificatur studio L. Mummii, & octo Tribunorum pro salute Ciceronis referentium. *Num. 3. Itaq; P.C.*

2do. Amplificatur rebus gestis duorum Consulum P. Lentuli, & Q. Metelli, etiam Cn. Pompeii; præsertim fortitudine Lentuli contra inimicos Ciceronis, qui urbem afflixerant. *Num. 5. Postea verò quam.* Exclamatione effert beneficium Consulis Lentuli, & dictum Q. Metelli commemorat. *Num. 8. Dii immortales,*

Digreditur acriter in duos consceleratos isto anno Consules, Gabinum & Pisonem, quorum invidia Cicero pulsus fuit in exilium *Num 9. sed fuerunt.* Gabinii libidinem, tribunatum, latas leges, conciones, aliaque facta contra Ciceronem vehementissimè insectatur Ethopœia. *Num. 10. quis enim ullam.*

Pari stylo & Ethopœia Pisonem describit, vituperàtque agrestem, mœstum, tardum, libidinosum, Epicuri discipulum. *Num. 12. nam ille alter.* Aspera deinde apostropha improbum & crudelem redarguit, qui affinem suum & consularem virum Ciceronem, junctus Gabinio, prodiderit, urbe, domo, bonis dejecerit *Num. 15 L. Piso tunc.* Confectâ digressione Antecedens 3. amplificatur virtute, animo, fide duorum tribunorum T. Annii, & P. Sextii. Adverte Antitheta; & frequentes verborum repetitiones. *Num. 18. quid ego de.*

Cæterorum tribunorum officia studiaque Orator prætérit. *Num. 20. jam cæterorum.*

4. Amplificatur officioso animo Prætorum, Cæcilii, Septimii, Valerii, Crassi, Quintilii, Cornuti. *Num. 21. Iam verò Prætores.*

Horum Prætorum commemorandis beneficiis & referendis gratiis mavult Cicero reliquum vitæ tempus impendere, quàm ulciscendis inimicis. *Ibid. qua cùm libenter.* Sed & iterum & nominatim Consuli Lentulò gratias habet, & gloriatur pro insigni beneficio. *Num. 22. quando enim.* Iterum & Q. Metello, quem P. Servilius gravi oratione reconciliavit Ciceroni *Num 24. nam Q. Metellus.* Et rursus Lentulo. *Nu. 27 quid denique.*

Pari etiam ratione Cn. Pompeio, qui salutis suæ & dignitatis author fuit, gratias habet. *Num. 28. possum ego satis.* Denique adhuc T. Annio, & P. Sextio, singulis & universis, præsertim iis, qui mutarunt vestem, sæpiùs agit gratias; eosq;

tanquam

tanquam Deos colere & venerari vult. *Num. 29. quibus autem officiis.* Ad extremum causas affert, cur maluerit in exilium ire, quàm se vi defendere: ubi etiam obiter Cn. Plancii hospitis sui charitatem commendat. *Num. 31. quibus ego rebus.*

ANNOTATIO.

Iucunda est illa testificatio grati animi in Cicerone, quando iterum iterumq́, ac sæpius, singulis ac universis, magna orationis copia & suavitate agit, habetq́ gratias pro beneficio, quod mirificè amplificat, & gloriatur, & tota vita recolet. Sed & singulos benefactores quot Epithetis exornat, quanto affectu prosequitur, quanto honore veneratur, ut officium officio, fidem fide, pietatem pietate possit solere! maximè Lentulum, & Metellum Consules compellat & amplificatione per ratiocinationem horum voluntatem studiumq́, opponit perfidia, flagitio, crudelitati duorum improborum Consulum, Gabinii, & Pisonis, à quibus desertus est.

PERORATIO.

Cicero promittit se majori fide, quàm antè, ac virtute defensurum Remp. cui est gloriosè restitutus. *Num. 35. quapropter P.C.*

Atque istius restitutionis gloriam (quod adhuc fecit, superiore oratione) auget dissimili reditu P. Popilii, P. Metelli, C. Marii, prædicatque summum amorem fratris sui, & generi Pisonis. *Num. 36. pro me non.*

ANNOTATIO.

Is demùm est apex & cumulus grati animi, par officium polliceri & præstare. Et hoc Ciceronem stimulat nova dignitas ac gloria restitutionis suæ quam amplificat studio totius Italiæ, charitate fratris & generi, dispari ratione reditus clarissimorum virorum. Sic Orator concludit affectum, quem orsus est.

PRO

PRO DOMO SVA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Clodius pulso in exilium Cicerone contentus non fuit: insuper eius domum, quasi perduellis civis, evertit, ac libertati dedicavit. Contrà Cicero, *summa omnium ordinum voluntate restitutus, suam domum propter Clodij consecrationem, sacram non esse, sed ab omni religione vacuam, atque puram contendit, quia nihil ab eo Tribuno plebis jure fieri potuit, qui ipse contra omne jus è patricio plebeius factus esset. Itaque Pontificibus persuasit, ut sibi aream, ac postea domum sumptu publico readificandam censuerint.*

Quæstio est in genere judiciali, an cum jure ac religione Clodius civitate dejecerit Ciceronem. Domum everterit, & dedicarit.

Dicendi character est subtilis, digressione copiosus, ubique ferè ardens in Clodium: nam ut ipsemet Cicero ad Atticum scribit Ep. 2. lib. 4. Diximus apud Pontifices prid. Kal. Oct. acta res est accuratè à nobis: & si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquàm aliàs fuimus, tum profectò doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit: Itaque oratio juventuti nostra deberi non potest, quàm tibi etiamsi non desideres, tamen mittam cito.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Quæ sit dignitas & officium Pontificum contra improbos cives; præsertim contra Clodium, cujus quinque convicia refellit Cicero.

PROPOSITIO. Sine jure, & religione Clodius, civitate dejecit Ciceronem; hujusq; domum evertit, & dedicavit.

ARGUMENTUM. Quia Tribunatus Clodij fuit nullus; quare & irritæ omnes ejus actiones.

ARGUMENT.

1. ARGUM. Clodii adoptatio contra jus sacrorum, & Auspiciorum, & legum facta est: ergo Tribunatus Clodii fuit nullus.

2. ARGUM. Lex Clodia de exilio Ciceronis est irrita, domus eversio est irrita: igitur actiones Clodij Tribuni sunt irritæ.

AMPLIFIC. ET

1. ARGUMENT. Clodius Tribunus plebis esse non potuit: quomodo enim, cum Patricius esset, transivit ad plebem? adoptione? at ea nulla est jure sacrorum, Auspiciorum, legum, quæ ipse violavit.

2. ARGV. Ponamus Tribunum plebis fuisse Clodium: fieri tamen ab eo lex de exilio ac domo Ciceronis non potuit; quia privilegio lata est, quia contra formam judiciorum, quia imperitè & simul de pluribus rebus, quia per vim, quia de exilio. Neque enim Cicero vel ex peccato, vel ex judicio subiit exilium. Quod peccatum in eo, qui bis Remp. conservavit? quod judicium de eo, qui indemnatus discessit? qui nec liberta-

tem

tem invitus, nec civitatem amittere potuit? præsertim eo tempore, quo Romæ nulla fuit civitas: ejus igitur & optimi, & indemnati civis domus evertetur ab improbo Tribuno, & libertati dedicabitur, sine religione, sine voluntate Deorum, sine collegio Pontificum, sine apprehensione postis, sine verbis solennibus, denique sine jure, & lege vel Papiria, vel Clodia?

MENT.

PERORATIO.

Dolor est, ac probrum Ciceroni, qui Deos, & patriam, & Pontifices conservavit, domum suam dirutam ferre, & consecratam ab insolente Clodio: quare hos & illos rogat, ut gloriosè in urbem reportatus novo gaudio suas ædes recuperet.

AFFECTUS.

EXORDIUM.

Exordium sumit Cicero à dignitate & officio Pontificum. *Num.* 1. *cum multa.*

Quæ amplificat à consequentibus in hac causa, contra improbum Clodium. *Num.* 2. *vobis hodierno.*

Mox digreditur prolixiùs ante contentionem in convicia Clodij. *Num.* 3. *sed quoniam.*

1. Convicio (de abalienatione Pontificum à se propter gratiam Pompeij) respondet apostrophâ, Pontifices non esse inconstantes *Ibid primùm illud.*

Secundum convicium, quod Ironia vibrat, indignatio retorquet. *Num.* 4. *tune es ille.*

Tertium confutatur Ciceronis cautione, & officio. *Num.* 6. *at enim in Senatum.*

Quartum pari officio boni, ac non timidi Senatoris refellitur. *Num.* 7. *hic tu me.*

Quintum propulsatur defensione ejus sententiæ, quam liberè & officiosè, & cum acclamatione omnium dixit Cicero in Senatu, esse Pompeio deferendam rei frumentariæ potestatem. *Num.* 9. *an quia non condemnavi.* Istius ferendæ sententiæ causa fuit imminens fames, & seditio Clodiana, quam amplificat Cicero ab effectis L. Sergij, & M. Lollij. *Num.* 10. *sed quæro.* Istius etiam ferendæ sententiæ partes fuerunt Ciceronis, qui à Senatu sententiam, & à populo frumentum flagitabatur, vilitatem interim annonæ subitò consecutam non tam adscribit virtuti Pompeij, quàm felicitati reditus sui. *Num.* 14. *videte nunc.* Nec refert istam potestatem esse extra ordinem Pompeio delatam; nam idem extra ordinem Asiatico bello præfectus est. *Num.* 18. *negat oportuisse.*

Et ipse Clodius (licet iniquè, & sibi ipse pugnans) extra ordinem Catoni bellum detulit adversus Ptolomeum regem. *Num.* 20. *sed cum illis.* Improbis verò Consulibus Gabinio & Pisoni (quos, uti paulò antè Sergium & Lollium, epithetis ornat) liberas provincias decrevit, dissimili exemplo Gracchi, *Num.* 23. *quis provinciam.* Ex quo Cicero conijcit futurum Clodij imperium ac furorem pulchrâ allegoriâ, nisi Pompeius rei frumentariæ præfectus fuisset, rejecto Sex. Clodio. *Num.* 24. *quid tandem si.* Tertiò idem Clodius multa nefariè extra ordinem tulit de Cicerone. *Num.* 26. *quid de me.*

Quare

Quare Cicero suam de Pompeio sententiam, & cum illo amicitiam, licet invidiâ diremptam prædicat, & vehementer amplificat multis utrimque præstitis officijs. *num. 27. qua quidem.*

ANNOTATIO.

Est hac captatio benevolentiæ seu insinuatio Oratoris; ita Pontificum dignitatem ac potestatem laudare, ut etiam contra improbos requirat officium in hac causa.

Digressio autem illa prolixior in convicia Clodij, idcirco post Exordium præmittitur Contentioni, quia ad hanc multum facit: nam auctoritate Clodij infractâ, fortius stabilit Contentionem, hoc est, vocato in invidiam adversario certiùs sibi Pontifices conciliat, ut domum suam readificent.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hujusmodi sine jure, & religione Clodius civitate dejecit Ciceronem; hujusque domum evertit, & dedicavit.

Distributio seu argumenta; quia Tribunatus Clodij fuit nullus, quare & irritæ omnes ejus actiones. Tam propositio quam distributio clarè expressa est, prius excusata digressione prolixâ & prætermissâ religionis parte, cujus cognitio ad solos Pontifices pertinet. *num. 31. intelligo Pontifices.*

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Primum argumentum, *Tribunatus Clodij fuit nullus*, hoc enthymemate contenditur: Clodij adoptio contra jus sacrorum, & auspiciorum, & legum facta est: ergo Tribunatus Clodij fuit nullus.

1. Pars antecedentis seu adoptio contra jus sacrorum, facetè probatur à persona, & ætate, & causa, & genere Patricij Clodij. *num. 34. quod est Pontifices.* Amplificat à consequentibus, si sine causa, aut cum perversa, quivis è Patricio Plebeus fieret. *num. 37. probate genus.*

2. Pars seu adoptio contra jus auspiciorum, patet ex eo, quod Clodius cum populo egit, postquam servavit è cœlo: quod plures testantur. *num.* 39. *venio ad augures.*

3. Pars seu adoptio contra jus legum, plana est, quia pro adoptione Clodij spatium promulgationis trinundinum non fuit. *num.* 41. *si & sacrorum.*

Secundum argumentum, *actiones Tribuni Clodij sunt irrita*, constat hac inductione, lex Clodia de exilio Ciceronis est irrita, Domus eversio est irrita, dedicatio est irrita: igitur actiones Clodij Tribuni sunt irritæ.

1. Pars inductionis, *lex Clodia de exilio Ciceronis est irrita*, affertur distributione, 1. quia privilegio lata est homini privato: cujus rei indignitas exaggeratur concessione, & apostrophâ ad Pontifices. *num.* 43. *fuerit sanè.*

2. Lata est contra formam judiciorum, seu lata est nominatim de capite civis indemnati: quod pariter indignum esse, & periculosum Pontificibus, & perniciosum urbi, ostenditur à consequentibus. *num.* 45. *vobismet ipsis.*

3. Quia lata est imperitè, seu ut interdictum esset aquâ & igni, cui nondum interdictum esset: crescitque indignatio exclamatione. & mordace apostrophâ ad Clodium, & ad scriptorem legis suæ. *num.* 47. *Ad quid tulit?*

4. Quia lata est simul de pluribus rebus, exemplo legum Drusi, Scauri, Crassi. *num.* 50. *quid si etiam.* Eadem ratione negat Ciceró legem fuisse de Cyprio Rege, & exulibus, *num.* 52. *tam Hercule.* 5. Quia lata est per vim: nam repetitione ab adjunctis, lapidatio, & hominum conscriptio, & comportatio armorum in ædem Castoris, & provinciarum venditio improbis Consulibus, vim probant. *num.* 53. *quid si per vim.* Imò timor (non inopia amicorum, aut eloquentiæ) & ipse discessus Ciceronis vim, furorem, crudelitatem adversariorum declarat. *num.* 56. *quid igitur ego.* Magis istam rem crudelitatemque amplificat comparatione minorum, scilicet suæ absentiæ, uxoris, filiæ, parui filij, fratris & (digressione) domus. *num.* 58. *an si ego præsens.* Prosequitur comparatione avaritiam Clodij, & furorem, & odium in domo sua excidenda. *num.* 60. *non enim te.*

Describit etiam ædium suarum eversionem, atque triste incendium opposita inimicorum lætitia & gratulatione. *num.* 62. *nihil erat.*

Redit ad suum timorem ac discessum Cicero, quo non scelus

lus ac tela improborum (quæ unus cervicibus excepit in conjuratione Catilinæ) sed vim & internecionem civium Romanorum declinavit, *num.* 63. *hanc ego vim.*

Aliàs exemplo Decij lubens se devovisset Reip. *num* 64. *videbam vivo.* Præsertim cum ipse Cato proximè Ciceronem secutus fuisset, vi & lege Clodij. *num.* 65. *Cato fuerat.*

Imò nec Pompeius ipse insidias, & vim, & furores Clodij subterfugere domi potuit. *num.* 66. *Atque ut sciatis.* Quare Cottæ testimonio confirmat vim Clodij, ac propterea nullam fuisse ejus legem. *num.* 68. *hoc vidit.* Huc accessit par sententia Pompeij, Pontificum, Bibuli, Lentuli, Metelli. *num.* 69. *neque hoc,*

Ac Lentulus quidem Consul cum collega Metello vim sentiens, nihil veritus hanc Clodij legem, quam Gabinius, & Piso improbè metuebant, de reditu Ciceronis tulit; nec tulit ut ei venire Romam liceret, sed ut veniret. *num.* 70. *Atque hanc rem.* 6. Lex Clodij est irrita, quia lata est de exilio, nam Cicero neque peccato; neque judicio meritus est exulis nomen, quo Clodius etiam illum appellavit. Non peccato, quia testimonio Senatus, totiusque populi Rom. (quod ipse præco suarum laudum magnificè amplificat inductione) bis Remp. conservavit, & Consul cum Catilinam vicit; & privatus, cum cessit Clodio, quo nunc furente reportatur in patriam. *num.* 72. *hunc tu etiam.* Non judicio; 1. quia indemnatus, *num.* 77. *Esto non fuit.* 2. Quia libertatem amittere invitus non potuit. *Ibid. scilicet cum hoc,*

3. Quia nec civitatem amittere potuit, argumento à majori: nam si Colonijs, & exulibus, & Volaterranis civitas à Sylla adimi non potuit, multò minùs à Clodio Ciceroni Consulari. *num.* 78. *quin etiam.* Frustra præsente (qui certè præsens non fuit) & suffragium ferente Sedulio. *num.* 80. *Sedulio principe.*

4. Quia in ipsa rogatione Clodius nihil tulit, quo minùs Cicero esset non modò in civium, sed etiam in Senatorum numero. *num.* 82. *sed tametsi nihil.* Hic brevi excursione pungit scribam legis. *num.* 83. *quare hoc.*

Argumentum amplificat primùm dissimili casu, sed pari exemplo patris Clodij. *Ibid. sed si patrem tuum.* Deinde testimonio universi Senatus, qui M. Tullium semper civem optimum appellavit. *num* 85. *denique universus.*

3. Exemplis Quinctij, Camilli, Halæ, Popilij, Metelli, quibus non civium, ac Senatorum nomen ademit exilium ac calamitas, sed ne gloriam quidem. *num.* 86. *ut verò, at annales.* 5. Quia in lege illa Clodia suffragium tulit non populus Rom. (quem eleganter definit) sed multitudo hominum è servis conductis, & facinorosis, & egentibus congregata. *num.* 88. *ac si me.* Digreditur & iterum reddit causam sui discessus. *num.* 91. *hoc ego populo.*

Cætera maledicta Clodij: videlicet Ciceronem esse Jovem, refellit acerbè pungens Clodium à sorore. *n.* 92. *Hic tu me.* Objecta autē sibi furta, libidines, crudelitatem, tyrannidem publico testimonio diluit. *Num.* 93. *nam si eum.* Redit ad causam, quæ objicitur sui discessus è patria, non peccati conscientia, aut metu judicij, aut penuria amicorum, aut timore mortis; sed quia noluit pugnare cum periculo Reip. Adverte venustam subjectionem, & licentiam. *Num.* 95. *aliud exortum est.* Hanc patriæ salutem antepofuit charitati suorum omnium, conjugis, liberorum, fratris, familiæ, vitæ: quæ non sine pathetico doloris sensu commemorat. *Num.* 96. *quod cum judicassem.*

Concludit epiphonemate & licentia, cum sui gloriatione, *Num* 99. *quare Remp.*

2. Pars inductionis, *Ciceronis domus eversio est irrita*, petitur ex institutis ac legibus civitatis, in qua justè eorum civium domus evertebantur, qui scelerati & perduelles fuissent: Cicero non sceleratus civis fuit, sed conservator patriæ. Hæc pars magno restituti Ciceronis probro, & indignatione in eversorem Clodium, & apostropha ad Pontifices, & exemplo sceleratorum quinque civium, Melij, Cassij, Vacci, Manlij, Flacci amplificata est. *num.* 100. *Sed si hic meus.*

3. Pars inductionis, *Ciceronis domus dedicatio est irrita*, ostenditur ex eo, quòd Clodius sine religione & jure illam dedicarit. Nam in genere religionem Clodij (qui præsertim sacra Bonæ Deæ polluit) deridet Cicero. Frequenti exclamatione & apostropha. *num.* 104 *nisi quem forte.* Tum sine religione dedicasse domum suam probat, 1. quia sine Deorum voluntate dedicavit. *Num.* 107. *Equidem sic accepi.*

Confirmatur à consequentibus & comparatione minorum: nullus enim hominum domum illam, aut ex ejus bonis rem ullam attingere voluit, multò minùs Dij. *Ibid. hominem invenire.* Quòd verò in ea domo Clodius libertatis signum

collo.

collocarit, id Cicero elevat à privilegio, fanctitate, ac libertate domus uniuscuiusque civium. *num.* 109. *quid est sanctius.*

Mox Clodium arguit, enumeratione flagitiorum, eam domi suæ libertatem collocasse, quam urbe tota sustulit. *num.* 110. *At qua Dea.*

Signum etiam quale illud sit, aut ubi inventum, exponit ironia & indignatione. *num.* 111, *at unde inventa.*

Exclamatione & apostropha ad duos Catulos, ut ædium suarum ruinam spectent, dominantibus in urbe duobus improbis Consulibus, & furioso Tribuno. *num.* 113. *O. Q. Catule.*

Denique Clodius domum Ciceronis diruit non religionis, aut monumenti gratia, sed laxæ habitationis causa: quo etiam fine Posthumum veneno sustulit; Statonem emendis ædibus supposuit. *num.* 115. *at videte.* 2. Probat Clodium sine religione dedicasse domum suam quia non affuit Collegium Pontificum, sed unus tantùm Pontifex; isque frater uxoris Clodij, adolescens imperitus, novus Sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus. Adverte subjectionem. *n.* 117. *Pontifex inquis.* 3. Sine religione dedicavit, quia sine apprehensione postis: hoc autem maximè interest ad bonum commune civium. *num.* 119. *videte igitur.* 4 Sine religione, quia sine verbis solemnibus. Verùm hoc argumento (quod postea resumet) tantisper relicto, duo alia interponit, scilicet Clodium sine jure & lege domum suam dedicasse; dedicavit sine jure, quia non est Tribuni, sed Pontificis, consecrare; quod Cicero concessione & correctione, & à consequentibus aggreditur probare. *num.* 121. *quamquum quid.* Ad prolepsim seu exemplum C. Atinij, quo se munit Clodius, respondet ejusmodi consecrationem Tribunorum non fuisse fraudi Metello; additque tria alia exempla Lentuli, Clodij, Mummii. *num.* 123. *Atqui C. Atinius.* Imo, omissa consecratione Gabinii à Clodio facta, consecrationem domus Clodii esse irritam ac pollutam dicit Cicero, *num.* 125. *quid ergo.* Deinde dedicavit sine lege vel Papiria, vel Clodia: lex enim Papiria agit de publicorum locorum, non privatorum dedicationibus: Clodius autem pro suo arbitrio, injussu populi dedicavit domum Ciceronis. Ingreditur hoc argumentum ironia, & auget frequenti interrogatione. *num.* 127. *dedicatio magnam.*

In lege autem Clodia, consecratio omissa est à scriba: cuius oblivionis invidiosæ causas affert per similiter desinentia. *n.* 129. *unum ostende verbo.*

Atque eleganter vim Papiriæ legis & Clodii amplificat dissimili exemplo C. Cassij censoris & Clodij. *num.* 130. *At videte.* Urget à majori præcipuè dissimilitudinem, nam si quid privati Clodius in religione tentasset, Pontificem consuluisset; quanto magis in Repub. *num.* 132. *si quid deliberares.* Lepidè hanc impudentiam Clodij auget communicatione ab ipsius persona, tum Pontificum, P. Servilij & M. Luculli, tum affinis seu fratris uxoris Clodii, qui mente & linguâ titubante affuit dedicationi, *Ibid. At si Collegium.* Absolvit dissimili exemplo Cassij & Vestalis Liciniæ vehementiùs urgere exemplum à minori; nam si virgini & censori non licuit inaugurato dedicare; multò minùs licuit Clodio. *num.* 136. *Sed ut revertatur.*

Quartum argumentum resumit, quod intermisit, *sine religione domum Ciceronis dedicavit Clodius*, *quia sine verbis solemnibus*, præteritione & concessione prosequitur. *num.* 138. *At si Pontifex.* Amplificat præsertim ab adjunctis personarum Coruncanii, & M. Horatij, & fratris uxoris Clodij, qui ineptus erat Pontifex. *num.* 139. *quæ si omnia.*

Hujus sacerdotis, uti & Clodij, perturbationem, ac in dedicando terrorem pulchrè Cicero conijcit in conscientiam, metumque Deorum, ut nullum solemne verbum potuerit effari, *num.* 140. *quod quidem.*

ANNOTATIO.

Contentionis argumentatio 1. est enthymema; 2. Inductio. Amplificatio enthymematis versatur in adjunctis adoptionis Clodij. Amplificatio, partium inductionis fit distributione, apostropha ferè perpetua ad Clodium vel ad Pontifices, comparationibus & exemplis, frequenti digressione & prolepsi. Affectus est indignatio in Clodium, qui Ciceronem sine jure ejecit in exilium, ejusq; dirutam domum dedicavit. Nascitur hic affectus ex insolentia Clodij, qui tribunatum contra jus sacrorum, & auspiciorum; & legum tenuit, ut perturbaret Rempub. ut iniquissima vel nulla lege civem Rom. ac Senatorem urbe & domo sua pelleret. Assurgit verò affectus maximè in 2. 3. & 4. inductionis parte; quando Orator vim ac crudelitatem Clodij amplificat opposita timore suo ac tristi discessu, suarumq; ædium incendio. Rursus hunc affectum in 5. parte adauget pathetica doloris sensu erga suos, à quibus patria causa divellitur. Passim permisso-

permiscetur etiam affectui ironia, qua acriter Clodium pungit & asseclas, eiusq; uxoris fratrem Pontificem, & scribam legum suarum. Ita scilicet maledicta Clodij maledictis Cicero superat: neque enim hic vir mediocriter mordet, praesertim cum jam publico Senatus testimonio, & honore revocatus in patriam, insultat inimico Clodio.

PERORATIO.

Peroratio conficitur duplici apostrophâ; una ad Deos, Deasque; ad Pontifices altera. Hos primùm sibi conciliat (uti fecit in exordio) à potestate & dignitate, tum etiam Deorum numine, ut per Pontifices Cicero in domum suam restituatur. *num.* 141. *Qua cùm ita sint.*

Deinde Jovem, Junonem, Minervam, patrios Penates, & familiares, & Vestam precatur, ut si nefariam flammam ab eorum templis ac delubris depulerit, si suum caput pro eorum ceremonijs atque templis perditissimorum civium furori, ferroque objecerit; si nihil unquam magis quàm de Reip. salute laboraverit; hunc fructum ferat, ut sibi redire in suas sedes liceat. *num.* 144. *Quocirca te.* Iisdem precibus conversus ad Pontifices utitur, ut ab ipsis jam in patriam restitutus, nunc auctore Senatu, manibus eorum in suis sedibus collocetur. *num.* 146. *nam nunc quidem.* Interserit contemptum bonorum fortunae, ne videatur magis domum petere ad luxum aut divitias, quàm ad gloriam, dedecusque ex illa eversione, & dedicatione domus suae fugiendum. *Ibid. non me bonorum.*

ANNOTATIO.

Ista peroratio Ciceronis pietatem spirat erga Deos, & Pontifices, & amicos; atque hos affectus tota oratione sparsit Orator, quos hic artificiosè colligit ad causam obtinendam; nam Deorum sanctitatem, & contra improbum Clodium potestatem Pontificum pro sua domo readificanda maximè implorat; enim verò domum suam, si restituitur, veluti triumphum, aut trophaeum putat esse de Clodio. Quare nihil omittit industria precando, dolendo, indignando, insinuando, ut hic sit restitutionis sua & gloria cumulus.

DE HARVSPICVM RESPONSIS.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

PLuribus prodigijs in agro Latiniensi factis, Senatus Haruspices consuluit, qui responderunt iratos esse Deos, *1. quòd loca sacra, & religiosa profana haberentur. 2. quòd ludi minus diligenter facti pollutique. 3. quòd Oratores contra jus fasq; interfecti. 4. Quòd fides & jusjurandum neglecta. 5. quòd sacrificia vetusta, occultaque minus diligenter facta pollutaq;. 6. Monere Deos immortales, ne per Optimatum discordiam, dissentionemq; Patribus Principibusq; cædes periculaq; creentur, auxilioque diminuti deficiantur: quare ad unum imperium provinciæ redeant, exercitusq; pulsus, diminutioq; accedat. 7. ne deterioribus, repulsisq; honos augeatur. Hanc occasionem accipiens Clodius ædilis habuit concionem de sacris & religionibus, atque Ciceronis domum inter ea loca esse dixit, quæ sacra & religiosa, profana haberentur. Verùm Cicero ut domum suam defenderet, invidiaq; liberaret, postridie hanc Orationem habuit in Senatu, ubi post expiatam ædium suarum religionem, ita in ipsum Clodium est invectus, ut omnia ferè Haruspicum Responsa ad ipsum pertinere ostenderit: quòd si quid calamitatis Reip. impendeat, ejus sceleri, furori tribuendum.* Freigius.

Quæstio est in genere judiciali, utrum Haruspicum Responsa pertineant ad Ciceronem, an ad Clodium. Quia verò Orator passim vituperat Clodium, mixtum est judiciali genus demonstrativum.

Genus dicendi est subtile & acutum: nonnunquam etiam vehemens in vituperatione Clodij.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Cicero excusat suam in Senatu iracundiam adversus Clodium, quē uti Gabinium & Pisonem, non tam suâ quàm Reip. & Deorum causâ odit; eum porrò de stupro non accusat, ne hujus rei laudem præripiat Miloni.

PROPOSITIO. Haruspicum Responsa non pertinent ad Ciceronem, sed omnia ad Clodium.

ARGUMENTA.

1. Quia domus Ciceronis sacra & religiosa, non est profana; sed domus Clodii.
2. Ludos minùs diligenter fecit Clodius, polluitq;
3. Oratores contra jus fasque interfecit Clodius.
4. Fides & jusiurandum neglectum operâ Clodii.
5. Sacrificia vetusta, occultaque minùs diligenter facta, pollutaque à Clodio.
6. Optimatū discordiam molitus est Clodius, unde Patribus Principibusq; cædes & pericula creantur.
7. Deterior, & repulsus est Clodius, cui honos augeri non debet, uti monent Dii.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Domus Ciceronis omni religione est liberata, ex lege Clodia, & ex populi Rom. & Pontificum, & Senatus judicio; quam verò domum Clodius, vetere Domino Q. Seiò interfecto, tenet, in ea sacellum & aræ fuerunt: igitur domus Ciceronis sacra & religiosa, nō est profana; sed domus Clodii.

2. ARGUM. Deorum monitis nō possunt ludi ulli, nisi Megalesia, significari, quæ Clodius Ædilis fecit, polluitq; servorū multitudine in scenam immissa: igitur minus diligēter ludos fecit Clodius, polluitque.

3. ARGUM. Clodius Theodosiū Chiū, legatum à libera civitate missum, sica percutiendum curavit. Piso autem amicus Clodii, Platonē Orestide libera *Macedonis* parte, cū ad se legatus venisset, crudelissima nece affecit: ergo Oratores contra jus fasq; interfecit Clodius.

TATIO.

4. ARGVM.

Iudices, qui manifesto incestus crimine Clodium cõtra fidem & jusiurandum absolverunt, pecuniâ corrupit Clodius: ergo fides & jusjurandum neglectũ opera Clodii.

5. ARGVM.

Sacra Bonæ Deæ omnium vetustissima, & occultissima stupro nefario polluit Clodius: ergo &c.

6. ARGVM.

Clodius in adolescentia, in virili ætate, seu bello piratico, in quæstura, in Tribunatu, fax & turbo Reip. abalienavit Ciceronem, Pompeium, aliosque non sine periculo & horum cæde; ergo, &c.

7. ARGVM.

Vitia habet maxima Clodius, propter quæ repulsus est, atque deterior. ergo. &c.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

Religiosus sanè Clodius eam domum profanam habet, quæ præ cæteris in urbe, singulari jure, auctoritate Senatus, ab omnibus propè Pontificibus, religione est liberata: Quando, aut qui unquam ludi magis polluti, quàm Megalesia, ista servorum colluvie, nullo Romæ exemplo? Quid sanctius Legatorum jure? eos interfecit Clodius. Quid vetustius, occultiusve sacris Bonæ Deæ? hæc Clodius, quamquam ab hominibus corruptis absolutus, tamen à Diis furore animi ac cæcitate perculsus, polluit. Quis adolescens, quis Quæstor, quis Tribunus magis seditiosus, quàm Clodius? qui, non ut duo Gracchi, Saturninus, Sulpitius, florente ac stante Rep. sed afflicta discordiis Principum, cum periculo ac cæde, Tribunatum invasit, Ciceronem abalienavit, Pompeium domi obsedit? Denique deterrimus est Clodius in parentes, in Deos, in patriam, in seipsum. **Ad hunc igitur pertinent Haruspicum responsa.**

PERORATIO.

Obsecrandos esse Deos monet Cicero, placandasque discordias, punito Clodio.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero suam pridie adversus Clodium iracundiam excusat. *Num.1. hesterno die.*

Nam licet suâ & Reip. causâ, maximè inimicus Pisoni & Gabinio, non tamen magis hodie odit Clodium, quàm illo die, cum stuprum commisit: vidit enim tum Cicero Clodium, & Dijs, & patriæ perniciosum fore. *Num.3. Ego enim P.C.* Neque adeò odit P. Clodium Cicero, stipitem ac belluam, ut accusandum putarit, quem à T. Annio brevi accusandum aut cum laude interficiendum cognoscit. *Num.5. Itaque eum.*

ANNOTATIO.

Insinuatione Orator suum, & Reip. & Deorum hostem despicit, quasi ob stuporem ac flagitium, ira & accusatione suâ indignum: verùm ipsi apertè accusationem Milonis, tacitè cædem denuntiat. Facit hoc Exordium mirificè ad Contentionem, in qua Haruspicum responsa detorquet in despectum ac sceleratum Clodium.

CONTENTIONIS
Propositio & distributio.

Contentionis propositio est hæc: Haruspicum responsa, non pertinent ad Ciceronem, sed omnia ad Clodium.

Distributio seu argumenta sunt hæc: 1 quia domus Ciceronis sacra & religiosa, non est profana, sed domus Clodii. 2. ludos minùs diligenter fecit polluitque Clodius. 3. Oratores contra jus fasque interfecit Clodius. 4. fides & jusiurandum neglectum operâ Clodii.

5. Sacrificia vetusta, occultaque minùs diligenter facta, pollutaque à Clodio. 6. Optimatum discordiam molitus est Clodius, cui honos augeri non debet, uti monent Dii.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Primum argumentum, *domus Ciceronis sacra & religiosa, non est profana*, tractatur enthymemate; domus Ciceronis omni

omni religione est liberata, ex lege Clodia, & ex populi Rom. & Pontificum, & Senatus judicio: ergo &c.

Antecedentis primam partem ingreditur Orator festivâ ironiâ in religiosum Clodium, qui de sacris ac ceremoniis concionatur, *Num.8. de religionibus.* Deinde domum suam præ cæteris, quæ sunt in urbe liberæ, solam esse religione liberam probat testimonio Lentuli, & Philippi Consulum. *Num.10. gaudeo mihi.*

Antecedentis 2. & 3. pars certa est, quia suffragante populo Romano non duo aut tres Pontifices (quod omnibus sanctum habetur) sed plures, maximâ post conditam urbem frequentiâ, domum liberarunt. *Num.11. Deinde eandem.*

4. Pars patet ex singulari jure, quo frequentissimus item Senatus domum Ciceronis ex ærario ædificandam, à Pontificibus liberandam, à Magistratibus defendendam, à Judicibus muniendam voluit. *Num.13. Postero die.*

Auget Orator beneficium comparatione domus P. Valerij. Tum parvâ digressione gloriatur apud populum Rom. contra invidos, se istius esse civitatis, quæ carere se non potuit. *Num.16. P. Valerio.*

Secundo argumento, *ludos minùs diligenter fecit polluitque Clodius*, præmittit, laudatque Haruspicum scientiam, religionemque auctoritate Majorum ac Philosophorum: quam confirmat ex variis prædictionibus; & effectis seu numine Deorum immortalium. *Num. 18. sed quoniam.*

Mox Haruspicum responsa discutiens hoc enthymemate explicat: non possunt ludi ulli, nisi Megalesia, significari, quæ Clodius ædilis fecit, polluitque servorum multitudine in scenam immissa; cum ad eos ludos liberi tantùm homines accedere solerent: ergo &c.

Antecedens apostropha ad Lentulum, probatur eleganter ab adjunctis istorum ludorum. *Num.20. quare ne plura.* Amplificatur exclamatione ad Deos, & comparatione, & indignatione contra immissam horum servorum colluviem. *Num. 25. proh Dij immortales.*

Amplificatur magis dispari exemplo parentum Clodii, qui ludos religiosè fecerunt. *Num.26. Istiusmodi.* Digreditur Cicero in alterum Clodii facinus, quo templum Magnæ Matris vastavit, & illud Brogitaro Gallo Græcorum Regi vendidit. *Num.28. sed quid ego.*

Hoc facinus amplificat à persona, & religione Deiotari, cujus

jus gener erat Brogitarus. *Num.* 29. *Atque hunc tamen.* Reversus ex digressione concludit argumentum. *Num.* 30. *sed ut ad hac.* Transit ad loca sacra, seu ad secundam partem primi argumenti, *domus Clodii sacra & religiosa, est profana,* hoc enthymemate: quam domum Clodius, vetere Domino Q. Scio interfecto, tenet, in ea sacellum & aræ fuerunt; ergo domus Clodii sacra & religiosa, est profana.

Antecedens exclamatione, & apostropha ad Clodium constat. *Ibid. O impudentiam.* In eadem religione ponit amicos Clodii, L. Pisonem, qui Dianæ sacellum in Cæliculo sustulit; & Sex. Serranum, qui sacella suffodit, incendit, inædificavit, oppressit. *Num.* 32. *verumtamen.*

Subjectione concludit primum argumentum, præsertim de domo sua, quæ à Clodio sacra tribus judiciis liberata est: *Num.* 33. *tu meam domum.*

Tertium argumentum, *Oratores contra jus fasque interfecit Clodius,* etiam hoc enthymemate stringitur: Clodius Theodosium Chium, legatum à libera civitate missum, sica percutiendum curavit; Piso autem amicus Clodii, Platonem Orestide, libera Macedoniæ parte, cum ad se Legatus venisset, crudelissima nece affecit: ergo Oratores contra jus fasque interfecit Clodius.

Antecedens jure ac sanctitate Legatorum, & invidia Clodii ac Pisonis effertur. *Num.* 34. *sed jam Haruspicum.*

Consequens est conjunctum antecedenti.

Quartum argumentum, *fides & jusiurandum neglectum operà Clodij,* hoc enthymemate conficitur: Judices, qui manifesto incestus crimine Clodium contra fidem & jusiurandum absolverunt, pecunia corrupit Clodius; ergo, &c. *Num.* 36. *sed recitemus.*

Quintum argumentum, *sacrificia vetusta, occultaque minus diligenter facta, pollutaque à Clodio,* hoc enthymemate patet: sacra Bonæ Deæ omnium vetustissima & occultissima stupro nefariò polluit Clodius: ergo &c.

Antecedens subjectione, & Lentuli Oratione, cæterisque adjunctis sacrorum amplificatur. *Num.* 37. *& video in.* Hujus sceleris Cicero pœnas denuntiat cæco ex libidine Clodio, si non ab hominibus, qui hunc absolverunt, verum à Diis. *Ibid. non ignovit.* Quamquam jam Dii furore atque dementia percusserunt Clodium: quæ pœna seu furor animi miserior est quovis dolore corporis; ut probatur exemplo Philoctetæ, & Athamantis. *Num.* 38. *A dijs quidem.* Sex-

Sextum argumentum, *Optimatum discordiam molitus est Clodius, unde Patribus, Principibusque cades & pericula creentur*, dilatat hæc argumentatio: in adolescentia Clodius, in virili ætate seu bello piratico, in quæsturâ, in tribunali, fax & turbo Reip. abalienavit Ciceronem, Pompeium, aliosque non sine periculo & horum cæde: ergo Optimatum discordiam molitus est Clodius, unde Patribus Principibusque pericula & cædes creentur.

Antecedens ingreditur Orator dissimili comparatione Clodii, & duorum Gracchorum, Saturnini & Sulpicii, qui seditiones & arma concitaverunt. *Num. 40. sed quoniam*. Porrò adolescentiam & virilem ætatem Clodii libidinosam, insedatam, nefariam describit, *Num. 42. hic verò de quo*. Ironia autem flagitiosam quæsturam, &, ut popularis fieret, maximè turbulentam fuisse ostendit dissimili comparatione superiorum quatuor virorum. *Num. 43. Exorta est illa*. Deinde Tribunatus, quem per discordias Principum obtinuit Clodius, Reip. luctuosus fuit. *Num. 44. Hanc ob amentiam*.

Cui Tribuno restitit Cicero, sed frustra desertus à suis, quos abalienarat Clodius. Ubi animadverte quomodo Orator desertores suos Pompeium, Cæsarem, Crassum, Hortensium insinuatione redarguat, & simul placet, totam hujus rei invidiam conferendo in turbulentum, & venditantem se Clodium. *Num. 45. excepi & pro patria*. Imò ista fax & turbo Reip. Clodius est insidiatus Pompeio, eumque domi obsedit. *Num. 49. Tum verò*. Prosequitur Cicero ea, quæ in fine Tribunatus gessit Clodius; increpatque digressione illos, qui Clodium defendunt, quasi in sua concione Clodius magis laudarit Pompeium, quàm vituperarit. *Num. 50. reliqua jam*. Monet ne plus doloris accipiat ex reconciliatione Clodii cum Pompeio, quam antè acceperat gaudii ex inimicitiis. *Num. 52. videant ii*.

Consequens enthymematis affertur tum adhortatione ad cives, ut sibi prospiciant, tollendo discordias, & Clodium; tum propositis exemplis Marii, Syllæ, Octavii, Cinnæ, *Num. 53. Quare cum Dij*.

Septimum argumentum, *deterior, repulsusque Clodius, cui honos augeri non debet, uti monent Dij*, sic conficitur: vilia habet maxima Clodius, propter quæ repulsus est, atque deterior; ergo honos augeri non debet.

1 Pars antecedentis de repulso Clodio constat definitione :emplo repulsorum. *Num. 56. Sequitur illud*.

2. Pars de deteriore Clodio constat insigni distributione, ac enumeratione vitiorum Clodii in parentes, in Deos, in patriam, & comparatione in seipsum. *Num. 57 Deteriores cavete.*

3. Pars antecedentis, de non augendo honore Clodio, constat adhortatione ad concordiam afflicto Reip. tempore. *Num. 60. quare id quod.*

ANNOTATIO.

Argumentatio hujus Orationis fit frequenti enthymemate, quia hac argumentatio, brevis & efficax, perstringit acriter, & retorquet in Clodium argumenta. Amplificatio & affectus fiunt frequenti ironia, & comparatione Clodii, quibus acriter Orator conflat suo hosti invidiam.

PERORATIO.

Cicero excusat gravitatem hujus Orationis, cujus causa fuit publica religio. *Num. 61. atque ego.* Monetque velle Deos significare istis prodigiis, ut procurationes, & obsecratio constituatur placatis discordiis *Num. 62. quòd si cætera.*

ANNOTATIO.

Brevis hac Peroratio religionem Ciceronis commendat; quæ quidem obsecrationem Deorum petit, & civium concordiam.

PRO CN. PLANCIO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Cum Ædilitatem simul peterent Cn. Plancius & M. Iuventius Laterensis, creatus Ædilis est Plancius, Laterensis præteritus. Qua ille commotus ignominia, Plancium de sodalitiis accusavit, quod inter ambitus crimina gravissimum est: patrocinium Cicero suscepit, egitque causam diligenter, memor ejus temporis, quo Quæstor in Macedonia Plancius ejectum lege Clodia, complexus est, fovitque omni genere officij. Manut.

Quæstio hujus Orationis est in genere Iudiciali, an Cn Plancius reus sit ambitus; seu, an largitione populum Rom. corruperit, ut præ Laterensi ædilis fieret?

Stylus ubique est subtilis, ut solet in hoc genere.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM.

Fide ac integritate Plancii fretus, fidit Orator suæ causæ apud amicos Iudices.

PROPOSITIO.

Plancius non est reus ambitus, seu largitione populum Rom. non corrupit ut præ Laterensi Ædilis fieret.

ARGUMENTA.

1. Quia etsi Plancius dignitate inferior sit Laterensi, tamen ipsi comitia favere potuerunt.
2. Rectè creaverunt comitia ipsum Ædilem.
3. Adversarius crimen ambitus probare non potest.

ARGUMENTATIO.

1. ARGVM. In comitiis non semper dignitas, sed sæpius favor, aut invidia, aut arbitratus populi spectatur: ergo etsi Plancius dignitate inferior sit Laterensi, tamen ipsi Comitia favere potuerunt.

2. ARGVM. Plancius est Equestris Ordinis, & suffragiis superior, & virtute singulari: ergo rectè crearunt Comitia Ædilem Plancium.

3. ARGVM. Perversè Laterensis lege Licinia accusat Plancium de sodalitiis, neque ulla decuriatio, aut coitio facta constat: ergo adversarius crimen ambitus probare non potest.

AMPLIFICATIO, ET AFFECT.

1. ARGUMENTAT.

Cum hæc ſit comitiorum ſeu populi liberi conditio (ferenda ſapienti) ut ſæpiùs digniores prætereat, non judicio, ſed temeritate, ſed invidia, ſed gratia; non eſt quòd Laterenſis miretur aut iraſcatur Plancio, aut quidquam de exiſtimatione ſua detractum putet, ſi repulſam tulerit.

2. ARGUMENTAT.

Si dignitas Equeſtris Plancii, quæ ſæpè plus confert ad munia, quàm ſumma nobilitas Laterenſis; ſi Municipium ſeu Atinates magis quam Tuſculani faveant ſuis; ſi parens Plancii, ſi Cicero, ſi modeſtia, prudentia, pietas maximè commendarint Plancium, quin rectè crearunt comitia ipſum Ædilem?

3. ARGUMENTAT.

Laterenſis accuſat. Planciū non de ſodalitiis, ſed de univerſo ambitu: hoc eſt, cum non habeat crimen, quod Plancio lege Licinia objiciat, accuſat tamen ea lege graviſſima; ut edere quos vult judices poſſit, ut ex quibus velit Tribubus, etiam largitione non corruptis. Quòd ſi decuriatio vera eſt, edat accuſator tribum Plancii, aut nominet quam ille corruperit: aliàs decuriatio, uti pariter coitio, ficta eſt, & ſine argumento; præſertim cum Plancius binis comitiis, & magno honore ædilis factus eſt.

PERORATIO.

Cicero exſolvit fidem amico Plancio, ac pro ejus ſalute deprecatur Judices.

EXORDIUM.

Commemorat Cicero Plancii fidem erga se; hancque apud amicos Judices sperat magis profuturam reo Plancio, quàm obesse potuerit accusatio & invidia. *Num.* 1. *cum propter.* Nec sola ista fide Plancium esse defendendum putat, sed maximè integritate vitæ. *Num,3,quamquam mihi.* Et quia non tantùm de Plancio, verùm etiam de Cicerone plura dixerunt adversarii, ipse utrumque defendet: Plancium primùm, deinde se. *Ibid,equidem ad reliquos.*

ANNOTATIO.

Elegans est hac insinuatio, cum Orator fiducia Judicum, quos ipsimet adversarii elegerant, utitur ad Plancium, & se defendendum: ita enim illorum benevolentiam captat à suis, & Plancii meritis, ut causa sua nihil metuat,

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est, Cn. Plancius non est reus ambitus, seu largitione populum Rom. non corrupit, ut præ Laterensi AEdilis fieret.

Distributio seu argumenta propositionis sunt, 1. quia etsi Plancius dignitate inferior sit Laterensi, tamen ipsi comitia favere potuerunt. 2. quia rectè crearunt comitia ipsum AEdilem. 3. quia adversarius crimen ambitus probare non potest.

CONTENTIONIS.

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primo argumento; *etsi Plancius dignitate inferior sit Laterensi, tamen ipsi comitia favere potuerunt*, præmittit Cicero difficultatem defendendi Plancii, salva Laterensis amicitia, & contentione dignitatis. *Num,5,sed mihi in causa.*

Sed discedet ab ista comparatione Plancii & Laterensis. *Num.6.sed ego.* Atque orditur argumentum hoc modo: in comitiis non semper dignitas, sed sæpius favor, aut invidia, aut arbitratus populi Rom. spectatur: ergo etsi Plancius dignitate inferior sit Laterensi, tamen ipsi comitia favere potuerunt.

Antecedens perpetua apostropha seu communicatione ad Laterensem urgetur ab ipsa populi conditione, qui non semper est æquus dignitatis Iudex. *Num.7.quid tu ne.*

Propterea non est condemnandus, cui comitia faverunt; nec læsus, qui præteritus. *Ibid. quamquam nihil.* Hoc confirmatur, nam si sapientes tantùm decem judicassent Laterensem indignum esse ædilitate, graviter de illo judicatum putaretur. cùm verò multitudo populi ipsum præteriit, non est imminuta Laterensis existimatio. *Num.8.Itaque quamquam.*

Adde ista multitudo populi plerumque gratia, vel precibus, vel temeritate, & studio movetur, non judicio: quod dialogismo ostendit Cicero ferendum esse sapienti. *Num.9.non enim comitiis.* Denique venustà populi prosopopœia Cicero insinuat, quare præteritus sit Laterensis, quod Ædilitatem scilicet negligenter, nec satis submissè peteret. *Num.12.venio nunc.*

Concludit non posse gradus dignitatum, nec debere servari in tanta varietate & æstu comitiorum; quare populum Rom. in creando Ædili Plancio fecisse, si non quod debuit, at id quod voluit. *Num.14.hac populi oratio est.*

Propositionis secundum argumentum, *rectè crearunt comitia Ædilem Plancium*, hac argumentatione Orator contendit: Plancius est Equestris Ordinis, & suffragiis superior, & virtute singulari: ergo rectè crearunt comitia Ædilem Plancium.

Probatur primum, quia Equestri Ordini, ex quo est Plancius, semper patuit ædilitas: quare non est causa, cur Laterensis irascatur magis Plancio, quàm cæteris equitibus, qui cum ipso tametsi Consulari viro, competitores fuerunt. *Num.17: quid si populi.*

Probatur secundum, quia sit nobilitate inferior Laterensi Plancius, idcirco fortasse plura suffragia retulit, quòd pauci nobilitati favent. *Num.18.sed vide ne.* Confirmatur id diverso municipum studio: nam Tusculani, ex quorum municipio est Laterensis, quia Consularibus viris abundant, non admodum suis favent. at contra, Atinates, ex quo municipio est Plancius

uti

uti & Arpinates maximè honore suorum moventur;quod patet exemplis. *Num. 19. Etenim ad caput*, Adde, Atinates multo plures sunt & frequentiores, quàm Tusculani; ex quo Plancius plura habuit suffragia. *Num. 21. Deinde tui.* Ad hæc vicini Atinatibus multi (gens officiosa & fautrix suorum) suffragati sunt etiam Plancio, *Num. 22. jam municipia.*

Præterea pater ipse Plancii publicanorum studium, ac favorem comparavit filio. *Num. 23. adjungam, si vis.* Ipse insuper Cicero rogatione sua apud amicos non parum contulit. *Num. 24. Aliquid præterea.* Præsertim cum causa rogationis esset gratiosa; quod comparatione Majorum seu exemplo Minturnensium ostendit. *Num. 25. nam ut omittam.*

Probatur tertium quia magna laude, ac modestia adolescens in bello contubernalis fuit Torquati, & Saturnini. *Num. 27. vitia me hercule.*

Postea in Macedonia Tribunus, & Quæstor charus. *Num. 28. in Macedonia* Deinde in urbe moderatus ac prudens Tribunus plebis. *Ibid. Tribunus plebis.* Domi erga patrem pius, & cum necessariis conjunctus. *Num 29. omitto illa.* Concludit Orator per anacephalæosim rectè creatum esse Ædilem Plancium, *Num 30. omnibus igitur.*

Objicit Laterensis 1. vitia anteactæ vitæ, 2. patris asperius dictum; propter quæ non debeat creari ædilis Plancius. Ea breviter Cicero refellit: ac primum esse maledictum, & mendacium respondet, subjecta exclamatione. *Ibid. hunc tu vita.* Secundum negat obesse filio debere: nec enim si pater quidem esset turpissimus, & sordidissimus (quod longè abest) hujus delictum non noceret filio. *Num. 31. Pater verò, inquit.*

Deindè si asperè Cæsari, ac liberè locutus est; quod Equiti Rom. licet multò magis quàm præconi Granio, aliisque qui summos viros perstrinxerunt. *Num. 33. asperius inquit.*

Imò non contumeliosè, sed significandi communis doloris causâ locutus est. *Num. 34. quæ enim unquam.* Plura etiam fingitur dixisse, quàm dixit; quod exemplo Ciceronis confirmatur. *Num. 35. quamquam judices.*

Propositionis tertium argumentum, *adversarius crimen ambitus probare non potest*, hoc enthymemate exponitur: perversè Laterensis lege Licinia accusat Plancium de sodalitiis, neque ulla decuriatio aut coitio facta constat: ergo adversarius crimen ambitus probare non potest.

Antecedens patet; nam Laterensis lege Licinia (quæ lex de sodalitiis propriè lata est, non de universo ambitu; permittitque accusatori edere judices quos vult; sine rejectione, ex tribubus largitione corruptis) accusat Plancium non de sodalitiis, sed de universo ambitu: sicque, cum non habeat crimen, quod Plancio lege Licinia objiciat, accusat tamen ea lege gravissima, ut edere, quos vult, Judices possit, & ex quibus velit Tribubus, etiam largitione non corruptis. Hæc est summa & amplificatio argumenti, ut ostendi in Synopsi. Resolvamus partes. Laterensis contra sententiam legis ac Senatus Judices edit non in Tribuaria re, id est, in crimine sodalitii, sed in reliquis de ambitu legibus. *Num.36, sed aliquando.*

Imo, quod est acerbius, non edit reo Plancio Judices è Tribu Terentina, aut Voltinia, de quibus criminatur: sed de tribu Lemonia, Veientina, Crustumina, Mœcia, quibuscum Plancio nihil fuit. *Num.37. acerbum omninò.*

Quare Cicero tacitè Judices admonet de consilio Laterensis, eos Judices edentis, quos putaret aut amicos suos, aut inimicos Plancii, aut inexorabiles, crudeles, iniquos. *Num.39. Dubitatis igitur.* comparatione auget querelam & acerbitatem, quando Laterensis prohibet Plancio rejicere constitutos Judices. *Num.41. an verò nuper.* Neque ita quereretur Cicero, si, quemadmodum in Senatus-consulto & lege scriptum est, ita Laterensis fecisset, ut in Plancium, & suam tribum Terentinam, & ab eo observatas ederet: editis enim Iudicibus ijs, quibus Plancii integritas nota esset, absolutum Plancium putaret. *Num.42. neque ego nunc legis.* Deniquè Laterensem arguit, qui non consilium seu mentem Senatus servavit in edendis Iudicibus ex ea tribu, cui reus notus esset: vidit scilicet Plancium apud Tribules suos gratiosum esse, quod Senatus non vetat. *Num.44. neque ego nunc consilium.*

Iam verò Decuriatio, quam objicit Laterensis Plancio (decuriare, inquit, Sylvius, est tribus in decurias dividere, ut iis vel prandia fierent, vel pecunia faciliùs quàm viritim divideretur) probari non potest. Ideò accusator tribum Plancii, & ab eo observatas, quibus notissimus esse debebat, edere noluit. *Num.45. Decuriatio tribulium.*

Exinde gratiam Plancii & officia erga Tribules suos prædicans, interrogatione & concessione urget eleganter Laterensem Cicero, nominet eam tribum, quam largitione corruperit Plancius. *Num.46. Ego Plancium.*

Con-

Confirmat correctione non corruptas à Plancio tribus fuisse, quia binis comitijs magno honore ædilis factus est. *num.* 49 *sed cur ego.*

Digreditur, & reddit causam Laterensi, quare ædilitatem non sit assecutus, quòd populo supplex noluerit esse exemplo Majorum. *num.* 50. *quo quidem tempore.* Nec propterea, ut superiùs dixit, quidquam de dignitate Laterensis est detractum; ut patet exemplo plurium clarissimorum virorum. *num.* 51. *quaeris etiam.*

Coitio autem facta probari item non potest ex eo, quòd Plancius cum Plotio easdem tribus iisdem ferè punctis tulerit; quia hi duo prioribus comitijs erant propè facti declaratique ædiles; non igitur posterioribus comitijs veriti sunt angustias, seu discrimen, ut à Laterensi tribus avellerent, aut nummos dividerent. *num* 53. *at te illa.* Adde illud crimen de nummis est sine capite, & quodam rumore, & invidia, aut Laterensis aliorumque gratia confictum: contra quæ pugnaturum se pro salute Plancij dicit Cicero apostropha ad Judices, *num.* 55. *sed neque tu.*

Objicit alter accusator Cassius contra Plancium, 1. Juventium, qui è familia Laterensis erat, fuisse primum de plebe factum ædilem curulem; qua ratione Laterensis dignior Plancio videretur. Id Cicero negat unquam à se antiquitatis studioso auditum, aut scitum à Senatu, quis sit ille Juventius: qua ratione modestè refellit Cassium, ut mendacem. *num.* 58. *sed venio jam.* 2. Contendit Cassius faciliorem esse viam ad honores ijs, qui familia essent Consulari, quàm equitum Rom. filijs; confirmatque exemplo filij Ciceronis. Respondet Cicero ex Poëtæ testimonio, sibi & filio comparandos esse honores labore & industria, non majorum dignitate, *num.* 59. *quaesisti utrum.*

Exemplis addit honorum gradus summis hominibus & infimis esse pares, non gloriæ & virtutis. *num.* 60. *quaeris quid.* 3. Reliqua, quæ objicit Cassius, ut triumphos & militiam Plancij, eloquentiam, & juris scientiam; Cicero leviter transit, partim illa ut falsa, partim hæc ut non necessaria ad consequendos honores Reip. & hoc similitudine, exemploq; multorum civium confirmat. *num.* 61. *profers triumphos.* Postremò laudes Laterensis ipse etiam approbat Cicero: verùm quia ille multa non Romæ, sed in provincia gessit, probat suo exemplo & narratiuncula (per digressionem) magis nota esse

r 5 populo

populo & honorifica, quæ in urbe geruntur, quamquæ foris fiunt. *num.63.idem efers.* Plancius verò nunquam ex urbe abfuit. *num.67. sed ut redeam.*

Obiicit Cassius deinde contra Ciceronem, 1. non plus Ciceronem Plancio debere, quàm bonis omnibus. Respondet Cicero se omnibus bonis velle suo tempore, sed nunc non posse simul & semel gratiam referre; & istud similitudine exornat, *num.58. Nam quòd ais.*

2. Obiicit Cassius Ciceronem nimis esse studiosum Plancii. Respondet Cicero meritò sibi Plancium, ut fratrem & filium esse charum. *num. 69. quæris à me.*

3. Obiicit Cassius, etsi Plancii magna merita in Ciceronem exstent, non ideo tamen absolvi debere: cum nec Opimius Reip. servator, nec restitutor Metelli Calidius, absoluti iudicio sint. Respondet Cicero Metellum & eius patrem, si Romæ fuissent, id facturos fuisse in Calidii iudicio, quod nunc in Plancii causa facit. *Ibid. Opimium damnatum.*

4. Obiicit Cassius non ita vehemens fuisse odium inimicorum contra Ciceronem. Respondet hic, & id refutat ex effectis. *num. 71. quo quidem tu loco.*

Obiicit etiam Laterensis contra Ciceronem, 1. esse mentitum, & temporis causa finxisse se obligatum Plancio. Respondet sapientem, cum liber est, non fingere se obstrictum; at multas esse causas, quæ se obstringant Plancio, non esse opus novas fingere: quæ confirmat exemplo gregariorum militum, & testimonio Laterensis, & ipsius Orationis Ciceronis. *num. 72. respondebo tibi.*

2. Obiicit Laterensis nihil iam valere apud Judices preces Ciceronis, quia hic defendit Cispium, qui damnatus est. Respondet se non desperare pro Plancio, & posse se aliquando aliquid à Judicibus impetrare: duo autem hæc verba, *Quousq; & lachrymulam* invidiosè & inconstanter carpi à Laterensi, quo authore defendit bene meritum de se Cispium. *num.75. Atque etiam.* 3. Obiicit Laterensis tribunatum Racilii plus adiumenti attulisse dignitati Ciceronis, quàm Tribunatus Plancii; adeoque magis illi, quàm huic obstrictum esse. Respondet Cicero se non minus Racilio, & Laterensi, & aliis, quam Plancio velle obstrictum videri, & gratias referre sine ullius offensione: hoc vero tempore Plancium egere sua opera & defensione, ubi insignis est locus seu digressio de grato animo. *num. 77. negas Tribunatum.*

4. Obiicit

4. Obiicit Laterensis Ciceroni suos communes locos seu amplificationes, item epilogos ad commiserationem compositos, defensionem multorum, & dicteria: Ad quæ respondet leviter & ferè eludendo singula. *num.* 83. *sed hac nescio.*

5. Obiicit Laterensis Ciceroni discessum suum, quasi non auxilium ipsi, sed ipse auxilio defuisset. Respondet Cicero sibi isto auxilio pugnandum fuisse contra duos improbos Consules, ac Tribunum Clodium, cum periculo & cæde multorum bonorum civium: quare se maluisse exemplo Metelli (est comparatio minorum) vi & iniuriæ cedere, quam summo Reip. periculo decertare. *num.* 85 *sed sunt hac leviora.*

6. Obiicit Laterensis Ciceroni mortis timorem. Respondet honestum quidem fuisse tunc mori, sed honestius patriæ consulere: se verò pro Rep. sæpius vitam objecisse. *num.* 91. *Mortem me timuisse.*

7. Objicit Laterensis Ciceronem non esse in Rep. liberum, quia nunc sentit cum Pompeio & Cæsare, à quibus ante dissentiebat. Respondet semper se in moderandis consilijs suis Reip. utilitatem & salutem spectasse: in quo (similitudine à navigantibus sumpta) sita est laus & libertas sapientissimorum virorum. *num.* 92. *nam quòd te.*

8. Objicit Laterensis Ciceronem verbis extulisse meritum Plancij. Respondet ea esse merita Plancij, ut nemo alius, præter illum solum, Ciceronem in exilio receperit: quod beneficium comparatione, & itineris narratione, & periculo insidiarum, & exclamatione amplificat. *num.* 95. *nunc venio ad illud.*

ANNOTATIO.

Tota Contentio partim confirmatione, partim confutatione eorum constat, quæ contra Plancium & Ciceronem objecta sunt à Laterensi, & à Cassio: quibus Plancij accusatoribus ejusmodi insinuatione respondet Cicero, ut Laterensem sibi amicum, & eloquentem virum, & dignitate Consularem, perquam honorificè, & molliter, & amicè refellat: nam hunc cum equite Plancio non comparat, neque hujus dignitati detractum esse ait, quando Comitia præterierunt: verùm lege Licinia abusum esse ad edendos Iudices quos vellet contra Plancium, nec satis gratiosè ædilitatem petiisse, nec probasse crimen Plancij; multa etiã leviter obijcere Ciceroni callidè Orator redarguit. Adolescentem

Cassium

ANALYSIS RHETORICA ORATIONUM M. T. CICERONIS.

Volumen III.

Pro P. Sextio, Oratio XXXII.
In Vatinium, Oratio XXXIII.
Pro M. Cœlio, Oratio XXXIV.
Pro L. Cornelio Balbo, Oratio XXXV.
De Provincijs Consularibus, Oratio XXXVI.
In L. Pisonem, Oratio, XXXVII.
Pro T. Annio Milone, Oratio XXXVIII.
Pro C. Rabirio Posthumo, Oratio XXXIX.
Pro M. Marcello, Oratio XL.
Pro Q. Ligario, Oratio XLI.
Pro Rege Dejotaro, Oratio XLII.
I. Philippica, Oratio XLIII.
II. Philippica, Oratio XLIV.
III. Philippica, Oratio XLV.
IV. Philippica, Oratio XLVI.
V. Philippica, Oratio XLVII.
VI. Philippica, Oratio XLVIII.
VII. Philippica, Oratio XLIX.
VIII. Philippica, Oratio L.
IX. Philippica, Oratio LI.
X. Philippica, Oratio LII.
XI. Philippica, Oratio LIII.
XII. Philippica, Oratio LIV.
XIII. Philippica, Oratio LV.
XIV. Philippica, Oratio LVI.

PRO P. SEXTIO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

POsteaquam ad Senatum est relatum, & à Tribunis plebis lex lata de reditu Ciceronis, Clodius operas & gladiatores in forum immisit, qui vi & armis, si legem non possent, reditum Ciceronis impedirent. Occisi sunt in foro multi, & vulnerati Tribuni plebis, & Q. Frater penè interemptus. P. autem Sextius Tribunus plebis, & Milo, comparatis gladiatorum familiis, furenti Clodio obstiterunt, & vim vi repulerunt. Atque de ista vi facta postulatus apud M. Æmilium Scaurum Prætorem P. Sextius accusante M. Tullio Albinovano. Patroni fuerunt Hortensius & Cicero.

Quæstio est in genere judiciali, an P. Sextius vim commiserit, quando armatorum multitudine contra legem in publico usus fuit.

Dicendi character est subtilis: vehemens quandoque insectandis adversariorum sceleribus, adhortationibus, & Peroratione.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. A causis, quibus adductus Cicero P. Sextium defendit: pietate scilicet in Remp. in qua pauci audent esse fortes viri; & querelà contra improbos cives, qui nunc impunè regnant; & dolore in casu P. Sextii, qui, ut cæteri cives boni, affligitur ab improbis.

PROPOSITIO. P. Sextius vim non commisit, quando armatorum multitudine contra legem in publico usus fuit.

ARGUMENTA. 1. Quia ex necessitate id fecit, ut saluti Reip. & vitæ suæ consuleret.
2. Non minori jure ac laude quàm Milo, se contra furentem Clodium armavit.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Venerat à Clodianis in summum discrimen salus Reip. & vita P. Sextii; nisi hic se armatorum præsidio munivisset: ergo P. Sextius ex necessitate id fecit, ut saluti Reip. & vitæ suæ consuleret.

2. ARGUM. Milo jure laudatur, quòd in periculo Reip. & vitæ suæ arma sumpserit: atqui Sextius in eodem ipso & Reip. & vitæ suæ periculo pariter arma sumpsit: igitur non minori jure ac laude, quàm Milo se contra furentem Clodium armavit.

AMPLI.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

1. ARGUMENTATIONIS.

P. Clodius superiore anno tribunatum nactus, & duos Consules insigniter improbos, suis legibus ita perturbavit atque afflixit Remp. ut Cicero cesserit; qui tamen exilio non mortem fugit, sed bis conservavit Remp. sine cæde civium. Deinde idem Clodius aliâ lege injustâ, Regis Ptolomæi bona publicavit; hocque negotium M. Catoni dedit. Verùm inventus est unus post Pompeium Sextius, qui, ut Remp. ad meliorem statum revocaret, de reditu Ciceronis egit apud Senatum; quare exortâ Clodianorum seditione, tantùm non cum multis aliis viris optimis occisus est P. Sextius. Quis est jam (nisi subornati adversarii) qui de vi accusare Sextium possit? præsertim cum ipsius innocentia, & judicum & adversariorum testimonio confirmata est? maximè cum neque privatus P. Sextius, neque quæstor vim ullam umquam commiserit?

2. ARGUMENTATIONIS.

Milonis, & Sextii consilium ac virtus elucescit oppositis latrociniis seditionibusque Clodii: nam uterque cum è Rep. leges ac judicia sublata videret, ipso jure naturali, hoc est, contra vim vi & armis usus est. Quo facto Sextius & Milo sanè optimates dicendi sunt, qui nunc, sublatis omnibus seditionum occasionibus, gratiores sunt populo Rom. quam olim populares: atque hæc populi erga optimates voluntas tribus dignoscitur, concionibus, comitiis, spectaculis,

PERORATIO.

1. Adhortatur adolescentes Cicero ad sequendas optimatum partes.

2. Commovet judices ad misericordiam tum à persona P. Sextii optimatis viri, tum à sua, quia per hunc amicissimum virum restitutus est in patriam.

EXORDIUM.

Cicero affert caulam cur nunc magis quàm antea, tam pauci sunt fortes viri: quia scilicet boni affliguntur, improbi regnant. *num.* 1. *si quis.* De qua indignitate queritur apud judices. *num.* 2. *In quo cum multa.* Præsertim in causa P. Sextij, quem cogitur defendere. *ibid. ego autem.*

Hujus defensionis cum insinuatione tres causas subjungit, pietatem, querelam, dolorem, *Num.* 3. *& quamquam.*

ANNOTATIO.

Hoc exordium est maximè è visceribus causa, cur nunc afflictus cum bonis P. Sextius debeat à Cicerone contra improbos cives defendi. Itaq; se insinuans Orator statim ipso exordio indignatur, vocatq; adversarios in odium: dolore autem, & querelâ, & pietate captat sibi, ac reo benevolentiam.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est, P. Sextius vim non commisit, quando armatorum multitudine contra leges in publico usus fuit.

Propositionis distributio, seu argumenta sunt, 1. Quia ex necessitate id fecit, ut saluti Reip. & vitæ suæ consuleret. 2. Quia non minori jure & laude, quam Milo, se contra furentem Clodium armavit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primum argumentum, *P. Sextius ex necessitate id fecit, ut saluti Reip. & vita sua consuleret*, hoc enthymemate explicatur: venerat à Clodianis in summum discrimen salus Reip. & vita P. Sextij, nisi hic se armatorum præsidio munivisset: ergo P. Sextius ex necessitate id fecit, ut saluti Reip. & vitæ suæ consuleret.

Ante-

Antecedens fusè amplificatur oratoriâ narratione eorum, quæ in tribunatu gessit P. Sextius. Verùm Orator narrationem altiùs repetit ab ijs, quæ privatus antea, & quæstor gessit: quomodo auctore parente sancto, ac sapiente viro honestas nuptias contraxerit; ac deinde utrique socero se probarit omni pietate atque officio. *num 5 sed quoniam.* Præterit Ciceró reliquas ejus virtutes. *num. 7. possum multa.*

Quæstor verò P. Sextius in multa retulit de Antonio, & hunc observantiâ (quem indulgentiâ Cicero) adduxit ad partes Reip. magna cum laude. *num. 8. Quæstor hic.*

2. Conjuratione detecta venit cum exercitu Capuam, quâ urbe ejecit duos conjuratos M. Aulanium, & C. Marcellum. *num. 9 Idem cum illa.* 3. Ciceroni Consuli obtemperans, Capuâ venit Romam. *num. 11. Atque illis.*

4. Cum civitas non ampliùs egeret præsidio, P. Sextius sé ad Antonium contulit, eique homini tardo ac metuenti stimulos admovit, ut cum Catilina consligeret. *num. 12. Ac posteaquam.* Concludit moderatam fuisse quæsturam P. Sextij, & allegoriâ transit ad tribunatum. *num. 13. Hunc igitur animum.* Sed priùs insinuatione se præmunit contra inimicos. *num. 14. Sed tamen.* Tum narrare aggreditur, & fusè prosequi à quibus superiore annó perturbata sit Resp. primùm à Clodio Tribuno plebis facto: quem fœdere devinxerat Pompejus, ne quid contra Ciceronem faceret; at Cæsar belluam solvit. *num. 15 sed necesse est.* Altera causa perturbationis Reip. fuerunt duo Consules improbi, Gabinius & Piso: quos depingit elegans ethopœja. *num. 17. sed fuit profectò.* Hi duo Consulatu; iste tribunatu, tanquam gladio abusi, fœdus ineunt rogationes promulgandi de expellendo Cicerone, & de provincijs, quas volebant, obtinendis. *num 24. Sed ita est.* Senatum verò, populumque Rom. mutatâ veste pro Cicerone supplicantem superbè repudiavit Gabinius. *num. 26. hic subitò cum.* Evolansque è Senatu seditiosam advocat concionem: L. Lamiam pro Cicerone supplicantem relegat in exilium. *num. 28. exanimatus.* Hoc Gabinij factum comparatione exaggeratur. *num. 30. nihil acerbius.*

Digreditur Cicero in ea, quæ se, ac discessum suum propius attingunt, atque ad causam etiam P. Sextij pertinent *n. 31. etsi me.*

Mox accusat comparatione, & apostrophâ indignitatem edicti Consulum: quo edicto jubebatur Senatus mutare

vestem, quam pro Cicerone squallidam acceperat. *num.* 32. *erat igitur*.

Deinde repetitione insectatur leges Clodias his improbis Consulibus probatas. *num.*33. *Iidem Consules*.

Ex quibus (adverte similiter desinentia) secutus est Ciceronis discessus ex oppressa urbe. *num.* 35. *quæ cùm essent*. Porrò antequam discessus sui rationem exponat, ostendit dissimilem fuisse sibi, & Q. Metello causam discedendi ex patria. *n.* 36. *Exponam enim*.

Præmittit etiam alias tres sui discessus causas: nempe dubiam Cn. Pompeij voluntatem, M. Crassi conniventiam, taciturnitatem C. Cæsaris. *num.*39. *sed me illa*.

His præmissis causis, atque alijs velut dubitatione, subjectione conglobatis, dicit se cessisse, ne magnâ civium cæde semel cadendum fuisset, aut iterum pugnandum contra Pompeium, Crassum, Cæsarem, qui ultores futuri istorum Consulum dicebantur, *num.* 42. *Hac ego cum*. Mox prolepsi affirmat & obtestatione, & comparatione istam se dimicationem civium, non mortem fugisse. *num.* 45. *unum enim mihi*. Mortem verò probat sibi non fuisse fugiendam, quam multò ante optavit, prævidirque in tanta rerum acerbitate: huic adde brevitatem vitæ, æternitatem gloriæ, communem moriendi necessitatem, statum animæ post hanc vitam. *num.* 47. *an mihi ipse*.

Nec sibi mortem fuisse fugiendam probat exemplis Virginum Atticarum, & fortium Rom. civium Q. Mutij, P. Decij, M. Crassi. *num.* 48. *denique cum omnia*. Itaque mortem non declinavit exilio: sed Remp. conservare voluit. *num.*49. *hac ego*. Nam vita Ciceronis, multò magis quàm vitâ C. Marij, nititur salus ac defensio Reip. non jam contra externos Reges, sed contra improbos cives. *num.* 50. *memineram, judices*.

Ad extremum hortatur adolescentes Romanos ad tuendam exemplo suo Remp. pollicens meliora tempora & magis æqua ipsis, quàm sibi acciderunt. *num.* 51. *Quare moneo*.

Claudit digressionem, seu rationem discessus sui insigni per exclamationem, & anacephalæosim affectu indignationis contra Gabinium & Pisonem. *num.* 53. *sed, ut revertar*. Redit ad sceleratas leges, quas isto anno, istis Consulibus, tulit Tribunus plebis Clodius, fax, ac turbo Reipub. *num.* 55. *sed ut à mea*.

Præter-

Præsertim in eam Clodij legem invehitur, quâ Regis Ptolomæi bona publicata sunt: cujus atrocitatem injuriæ variè amplificat Orator, 1. Adiunctis personæ ipsius Regis. *num.* 57. *Rex Ptolomæus.* 3. Dissimili Majorum exemplo erga Antiochum, & Tigranem. *num.* 58. *multa acerba.* 3. A persona M. Catonis (viri magna virtute præditi) cui invidiosum istud negotium fuit impositum. *num.* 60. *At etiam eo.*

Amplificat Cicero laudem Catonis, & affert causas, quare prudens Cato sceleratissimæ rogationi Cypriæ, & legibus Clodij paruit. *num.* 61. *cur igitur rogationi.* Deinde invehitur in illam Clodiam legem, quâ expulsus est, tacente Senatu, nec queri audente. *num.* 64. *His de tot.* Inventus est unus Pompeius (& hic fuit causa melioris status Reip.) qui virtute sua & rebus gestis opponeret se Clodio improbisque Consulibus: atque, illo auctore, decretum fieret in Senatu de reditu Ciceronis: de quo est narratiuncula. *num.* 67. *Hic aliquando.* Quo etiam tempore designatus Tribunus plebis P. Sextius (hic altera fuit causa melioris status Reip.) mox ad Cæsarem profectus est pro salute Ciceronis. *num.* 71 *Hoc interim.* Deinde cæteri Tribuni plebis, & Consules magistratum ineuntes, se omnes de Cicerone (præter duos perfidos plebis Tribunos, Gracchum & Serranum, quos facetè irridet) promulgaturos confirmarunt. *num.* 72. *ineunt magistratum.* Hoc loco commendat Orator honorificas de suo reditu sententias in Senatu, nominatim L. Cottæ, *num.* 73. *Tunc princeps.* Et Cn. Pompeij. *num.* 74. *sed post eum.*

Uno reclamante Serrano, qui intercedere cum non auderet, noctem sibi ad deliberandum postulavit. *Ibid. Cùm omnes.* Tum adversarij P. Sextij, ne lex ferretur de reditu Ciceronis, seditiones & vim totâ urbe concitarunt, Fabricio & Cispio depulsis, Q. Fratre penè interempto. *num.* 75. *Quod illi quorum.*

Amplificat Orator eam vim ac cædem adversariorum, non subitò factam, sed diu ante, non ab alia causa, quàm à Clodio, ejusque gladiatoribus subornatum, ut postea de vi accusaretur P. Sextius. *num.* 77. *Meministis tum.*

Magis eam vim, & tantùm non mortem P. Sextio illatam describit hypotyposi. *num.* 79. *Atqui ne ex eo.*

Quare consequens enthymematis subjicit, indignaturque P. Sextium de vi accusari, qui nullo crimine, sed necessitate defendendæ vitæ suæ ac saluti Reip. vim & penè mortem pas-

sus est, *num.* 80 *& causam dicit.* Confirmat à posteriori innocentiam P. Sextij, quia ejus mortem judices fuissent ulturi, *num.* 81. *Hic quæro.*

Confirmat etiam ipsa adversariorum conscientia cædis invidiam restinguere morte Numerij cogitarunt, *num.* 82. *At verò ipsi.*

Iterum confirmat ipso judicum testimonio, quia P. Sextij statuam pro Rostris posuissent, si pro Rep. occubuisset. *num.* 83. *Ac si tunc.*

Prolepsim verò de emptis gladiatoribus eluit dissimili P. Sextij & Clodianorum consilio, in quos regerit invidiam gladiatorum, & Sextium excusat, atque elevat, cum dicit hunc necessariò munisse vitam suam in tantis Clodij seditionibus. *num.* 84. *Homines, inquit.*

Denique in his seditionibus commemorat populi Rom. patientiam, ut inde eluceseat Milonis virtus, qui seditioso Clodio obstitit. Ubi adverte hanc esse transitionem ad sequens argumentum. *num* 85. *Captum erat forum.*

Propositionis secundum argumentum, *P. Sextius non minori jure & laude, quàm Milo, se contra furentem Clodium armavit,* hoc syllogismo contenditur: Milo jure laudatur, quòd in periculo Reip. & vitæ suæ, arma sumpserit: atqui Sextius in ipso eodem Reip. & vitæ suæ periculo, pariter arma sumpsit: igitur P. Sextius non minori jure & laude, quàm Milo, se contra furentem Clodium armavit.

Major amplificatur ipso Albinovani testimonio, & proposito fine Milonis, & epiphonemate. *num.* 86. *& tu hoc loco.* Magis amplificatur finis Milonis, quia idcircò adiit ad Remp. ut publicum bonum ageret. *num.* 87. *Adijt ad Remp.*

Tum ejus moderatio & virtus ostenditur opposita Clodij seditione. *Num* 88. *Huic gravitati.* Ejus denique laus ex eo conficitur, quòd cum judicijs ac legibus accusare Clodium & opprimere non posset, id vi & armis fecerit. *num.* 89. *descendit ad accusandum.*

Minor seu assumptio apostrophâ ad Albinovanum, & repetitione, & pluribus verbis idem significantibus infertur. *num.* 90. *quomodo igitur.* Deinde quando leges ac judicia sublata sunt, confirmatur ipso jure naturali, cujus est elegans descriptio. *num.* 91. *Quis enim nostrûm.*

Complexio syllogismi patet. *num.* 92. *Hac videns omnes.* Præsertim amplificatur exclamatione, Sextij & Milonis jus, & laus,

& laus, in tanta Clodianorum impunitate, ut duo Consules maximis sceleribus & latrocinijs vexent Rempub. *num.* 93. *O Dij immortales!*

Pergit Orator indignari in hac malorum impunitate Milonem, & Sextium, bonos & innocentes viros accusari, neque interim facinorosum Clodium judicijs comprimi. *num.* 95. *Hos sic illudere.*

Hac occasione Cicero ne Senatum offendat, qui non permiserat Clodium accusari à Milone, digreditur callidè ad objectionem Albinovani de optimatibus & popularibus. *num.* 96. *nimirum hoc illud.* Primùm eleganter definit per negationem & affirmationem quinam optimates sint habendi. *n.* 97. *Quis ergo optimus.* Difficilè vero ostendit optimatem esse, hoc est dignitatem ac otium tueri in tanto improborum civium numero, & Reip. oppugnatione. *num.* 99. *Harum rerum.*

Quod tamen fecerunt Scaurus, Metellus, Catulus. *num.* 101. *Permanent illi.* Atque ad horum virorum seu optimatium sectam sequendam adolescentes hortatur. *num.* 102. *Hæc imitamini.* Præsertim cum hoc tempore, non sit tam difficile aut pertimescendum optimas Reip. partes tueri, quàm olim fuit, quando populus à consilio principum dissidebat; ut patet ex lege Tabellaria L. Cassij, Agraria T. Gracchi, frumentaria C. Gracchi. *num.* 103. *Sed tamen hæc.* Amplius id confirmat exemplo Gracchi, Saturnini, & aliorum olim popularium, qui populi gratiâ florebant, non item optimates. *num.* 105. *Num vos existimatis.* Nunc verò sublatis omnibus dissensionis occasionibus, populi Rom. judicium, ac voluntas tribus maximè cum optimatibus consensit; concionibus, comitijs, spectaculis. *num.* 106. *Nunc nisi me.* Nam conciones, quas P. Lentulus, & Cn. Pompejus alijque optimates de revocando Cicerone habuerunt, magno silentio & approbatione auditæ sunt; concio verò turbulenti ac popularis Clodij repudiata. *Ibid. Quæ concio fuit.* Sic legum Comitia quibus de reditu Ciceronis ex Senatus consulto latum est, toti populo jucunda & honesta fuerunt; lex verò de ejus exilio lata est à paucis istis popularibus, & seditiosis. *n.* 109. *Nunc venio* Digreditur Orator in Gellium, qui legibus Clodianis præfuit, huncque Ethopœja describit. *num* 110. *An, sicubi aderit.* Redit ad comitia, quibus ipse magnâ dignitate & concordia revocatus est in patriam, ferentibus fru-

stra leges suas Clodianis, *num* 112. *illuc revertor.* Sic comitia magistratuum favent optimatibus, non popularibus: cùm enim quatuor præturam peterent, Cn. Domitius. Q. Ancharius, P. Vatinius, & alter quidam; duo priores, quippe optimates, præturam adepti sunt, posteriores duo, quia populares, repulsam tulerunt. *num.*113. *Videamus nunc.* Jam spectacula, ac primùm theatralia seu Scenica ostendunt certius & gravius à populo applaudi optimatibus, quàm popularibus. *num.* 115. *Veniamus ad ludos.* Probat illud Orator testimonio, aut potius conscientia Clodianorum, qui non ausi sunt ad M. Scauri Optimatis viri, ludos accedere. Ubi Clodium facetè ludium facit, *num.*116. *Ex te igitur.*

Confirmat exemplo P. Lentuli, & P. Clodij: hic namque sibilis & maledictis spectantis vulgi exceptus est; ille plausu & gratulatione, quod Ciceronem revocaret. *Ibid. Semel, inquam.*

Imò non populus tantùm suis sibilis Clodium, sed histriones etiam suis canticis prosciderunt. *num.* 118. *Sed quid ego.* At iidem histriones (quamquam excusat hanc ad histriones digressionem) reditum Ciceronis celebrarunt. *num.* 119. *Et quæso.* Nominatim Æsopi, nobilis tragœdi actionem, & gestum, & plausum populi sæpius hunc revocantis amplificat. *num.*122. *Prô Dij immortales.*

Spectacula deinde gladiatoria, quæ præsertim Scipio in demortui Q. Metelli honorem dedit, spectante innumerâ multitudine populi assidente P. Sextio Ciceronis amico, latente Clodio, declarant consensionem populi cum optimatibus contra invisos populares. *num.* 124. *Maximum verò.*

Delabitur hic etiam Orator ad alteram objectionem Albinovani, qui negabat per istam P. Sextij vim Ciceroni in patriam redeundum fuisse, exemplo M. Atilij Reguli, *num.*127 *Tu mihi etiam.* Respondet se non vi, sed incredibili populi Rom. plausu ac voluntate redijsse. *Ibid. Vim scilicet ego.* Quam suireditus celebritatem multis prosequitur. 1. commendatione Ciceronis apud exteras nationes, & huius salutis custodia, *num.* 128. *Quem enim unquam.* 2. Duobus alijs Senatusconsultis; altero in templo Jovis, ubi Pompeius magnificè sensit de Cicerone. *num.* 129 *Nam quid ego.*

Altero in curia, ubi Q. Metellus gravissima oratione P. Servilij reconciliatus est absenti Ciceroni. *Ibid. Vel quod est postridiè.* 3. Cæteris adjunctis istius reditus, ut frequentiâ occurrentis

currentis populi, ut Natali Brundusinæ Coloniæ & filiæ, ut festo die quà transiret, ut missis obviam legatis, ut maximâ hominum multitudine ad capitolium deducente. *num.* 131. *Reditus verò.* Concludit Cicero locum de optimatibus, & simul Vatinium insectatur, tum quòd ad delendam optimatium nationem impulerit Cæsarem, tum quòd eundem Cæsarem & Pompejum à Cicerone alienarit, factus adjutor Clodij, *num.*132. *Habes igitur.* Præterea Vatinij temeritatem arguit, quòd contra legem Tulliam apertissimè fecerit, *num.*133 *Acta mea.*

Eius verò defensionem irridet, præsertim cum alias etiam leges violarit. *num.*135. *Sed habet defensiones.*

ANNOTATIO.

Quoniam Hortensius de singulis criminibus P. Sextij dixerat, Cicero hac contentione non solùm dicit de rei Sextij criminibus, sed etiam de rebus eius gestis in vita privata, in Quæstura, in Tribunatu: verùm & dicit de suo discessu ex patria, ac deinde reditu: dicit de eversa & afflicta à Clodianis Republica: dicit de amicorum studio erga se ac Remp. dicit de optimatum, & popularium secta Quæ Contentionis materia etsi confusa videatur atq; universa; tamen sapientissimè ad unum scopum seu defensionem P. Sextij collimat: nam sic totam ejus vitam, merei, quæsturam, tribunatum describit, ut non vim unquam in illo homine fuisse, sed necessitatem tuendæ vitæ, & studium conservandæ Reip. demonstret: sic suum ipse Orator ex urbe discessum sine vi & armis, & postea summo Senatus populique Rom. consensu reditum laudibus exornat, ut in bonam harum laudum partem P. Sextium voces: sic Clodium, Gabinium, Pisonem, Vatinium, aliosq; seditiosos homines insectatur, ut meritò P. Sextius horum nefarijs legibus ac improbis conatibus obstiterit; sic de Cn. Pompei, Lentuli, Milonis, & aliorum bonorum virtute commemorat, ut P. Sextius non minori jure ac laude, quàm isti, Ciceronem, & Remp. & vitam suam defenderit: sic optimates laudat, vituperat populares, ut inter illos facilè principem existimet P. Sextium; his verò acerrimum semper fuisse adversarium contendat.

Iam Argumentatio permixta est frequenti digressione, narratione, confutatione, prolepsi, cum cauta ubiq; insinuatione.

Affectus est misericordia erga P. Sextium ab innocentia morū, necessi-

necessitate tuenda vita, incredibili amore Reip. & bonorum civium. Contra, adversarii vocantur in odium ab improbitate vitæ, vexatione Reip. & optimatium, per iniquas leges, per vim, per seditiones.

PERORATIO.

PEroratio habet duas partes, cohortationem, & commiserationem.

Primùm hortatur Cicero adolescentes ad imitanda optimatium exempla, propositis etiam difficultatibus defendendi Remp. 136 *Sed ut extremum.* Quin exemplis ostendit plures semper fuisse difficultates, & pericula objecta istis popularibus & seditiosis hominibus, quàm optimatibus & defensoribus Reip. *Num.* 140. *Ac ne quis.* Maximè exemplo Atheniensium virorum, & Carthaginiensis Annibalis erigit adolescentes Romanos ad resistendum fortiter seditionibus concitati populi, & ad optimates sectandos. *Num.* 141. *Quòd si apud.*

Denique domesticis exemplis optimatium virorum eosdem accendit ad similem immortalem gloriam. *Num.* 143. *Quare imitemur.*

Ex hac cohortatione transit ad alteram Perorationis partem, & Judices commovet ad misericordiam à persona P. Sextii, Milonis, & Lentuli, qui sunt optimates viri. *Num,* 144. *Sed me repentè.* Tum à sua persona Cicero, quasi esset causa calamitatis Sextii, & aliorum civium, à quibus ipse cum Rep. defensus est, commiserationem auget. *Num.* 145. *Atque hic & tot.* Se fore comitem exilij, & fortunæ suorum amicorum pollicetur, si non absolvitur Sextius. *Num.* 146. *Si hoc non.* Postremò committit totam hanc causam judicibus, ut ad Reip. bonum, ac salutem Ciceronis & bonorum, conservent P. Sextium, *Num.* 147. *Sed hæc Dij.*

ANNOTATIO.

Absolvit Orator affectum, quem Exordio & Contentione movit, de absolvendo Sextio optimate viro propter merita in Remp. tum etiam in Ciceronem. Ista autem juventutis adhortatio vehementer huc pertinet, quia Orator callida insinuatione (ut diximus)

ximus) sic adolescentibus imitandum P. Sextium proponit, ut etiam quasi aliud agens, eundem Senatui ac iudicibus commendet.

IN VATINIVM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

CVm in P. Sextium de vi reum, P. Vatinius testimonium dixisset, Sextii patronus Cicero invectus est in eum acerbissimè: & maximè quidem totum ejus tribunatum, in quo, Cæsare Consule, leges Resp. exitiosas contra auspicia tulerat. sed quæsturam quoque, & legationem exagitavit, non ut accusator, sed ut reprehensor. Qua de re sic in Ep. ad Lentulum: tota interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione agrorum. A veteribus etiam interrogationis nomine appellatur hæc oratio: interrogatione enim utitur ad singula, quæ reprehendit, & accusatorem quidem Vatinii brevi se futurum minatur: interim autem rogare ait tantum velle. Manut.

Quæstio est in genere demonstrativo, an Vatinio testi sit credendum.

Stylus est amplus & vehemens.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. A causis, cur Cicero interroget Vatinium: quem vehementer odit, & despicit.

PROPOSITIO. Testi Vatinio non est credendum.

ARGUMENTA. 1 Quia Vatinius secum ipse pugnat in dicendo testimonio. 2. Sceleratus est vir.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Vatinius accusat defensionem Cornelii, & discessum Ciceronis, & Milonem, & Sextium: ergo Vatinius secum ipse pugnat in dicendo testimonio.

2. ARGUM. Vatinius ante tribunatum, in adolescentia, & quæstura, & legatione; in tribunatu, neglectis auspiciis, & læsis civibus; post tribunatum, disturbatis judiciis, contemptis legibus, est infamis: ergo sceleratus est vir.

AMPLI-

4. ARGUMENTAT.

Turpior est Vatinii adolescentia, quàm ut de ea dici oporteat; ejus quæstura & legatio pari scelere certant: in Tribunatu Vatinius 1. Auspicia contempsit dissimili Cæsaris, & novem collegarum, & omnium tribunorum exemplo; imò impudentissimè augur fieri voluit in Q. Metelli locum. 2 M. Bibulum Consulem rapuit ad necem; principes civitatis, Lucullum, Ciceronem, Domitium, Lentulum, Paulum, Curionem, Pisonem, Laterensem, tollere ac delere conatus est, præmiis corrupto L. Vettio; crudelis fuit in C. Antonium, in epulo Q. Arii atratus accubuit, contra morem Majorum. Post tribunatum, postquam leges tulerat sine legitimo promulgationis tempore, & legationem arripuerat sine Senatus-consulto, ausus est non jure legationis, sed improbè judicium defugere. Denique reus est legis Tulliæ.

5. ARGUMENTAT.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

Usque adeò impudens est Vatinius, ut ipse nocens & egens patrono, tamen reprehendat patronum innocentis Cornelii: usque adeò est stultus, ut eum discessum, per quem ipse cum Rep. servatus est, & maximè gloriosum, Ciceroni objiciat: usque adeò levis & inconstans (quod servit Perorationi) ut modò Milonem laudet, quem vituperavit; modò Milonem & Sextium disjungat testimonio, quos crimine conjungit, modò eâ lege Sextium esse accusandum neget, quâ testimonium dicit.

PERORATIO.

Tam levi & scelerato testi quis credat?

EXOR-

EXORDIUM.

INſinuatione ſe excuſat Cicero, quòd malit oratione Vatinium vexare, quàm hunc propter turpitudinem vitæ, ſordesque domeſticas ab omnibus contemptum dimittere. *Num.* 1. *Si tam* Atque hujus orationis ſeu interrogationis cauſa eſt 1. Vatinii convitium in Ciceronem, quòd hic P. Sextium defenderit. *Num.* 2. *Quare ne tibi.* 2. Ejuſdem Vatinii mendacium contra Sextium, ſeu inconſtantia, levitate & perjurio, implicata. *Num.* 3. *Sed heſterno.*

Addit hypotypoſim Vatinij, quando exarſit in Ciceronem. *num.* 4. *Nimium es vehemens.*

ANNOTATIO.

Principium hujus interrogationis à contemptu Vatinij ſumptum eſt, & excuſatione Ciceronis, quòd odio Vatinij incitatus contineri minimè potuerit, quin acerbiùs in eum inveheretur, quem tamen admodum contemneret. Fingit & judices communi odio ferri in Vatinium, quæ omnia maximè faciunt ad Contentionem, & ad teſtimonium Vatinij elevandum.

CONTENTIONIS
Propoſitio & Diſtributio.

COntentionis propoſitio eſt hæc: Vatinio teſti non eſt credendum.

Diſtributio ſeu argumenta ſunt hæc: 1. Quia ſecum ipſe pugnat in dicendo teſtimonio. 2 Quia ſceleratus eſt vir.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopoſitionis primum argumentum, *Vatinius ſecum ipſe pugnat in dicendo teſtimonio*, hac argumentatione ſeu inductione tractatur. Vatinius accuſat defenſionem Cornelii, & diſceſſum Ciceronis, & Milonem, & Sextium: ergo Vatinius ſecum ipſe pugnat in dicendo teſtimonio.

1. Pars

1. Pars inductionis, *Vatinius defensionem Cornelij accusat* demonstrat imprudentiam Vatinij, qui cum nocens sit omnium, quæ objicit innocenti Cornelio; ipseque egeat defensore, non Cornelius: tamen patronum Cornelij Ciceronem accuset, ut ipse sibi spem defensoris eripiat. *num.* 5. *Sed quæro à te.* Deinde adeò non bonis viris displicuit (uti argumentatur Vatinius) defensio Cornelij ut etiam post illam defensionem Cicero à bonis omnibus magno studio factus sit Consul. *num* 6. *attamen hoc.*

2. Pars inductionis, *Vatinius accusat discessum Ciceronis*, arguit & ridet stultitiam Vatinij, qui eum discessum accuset, per quem ipse cum Repub. servatus est: nam idcirco ait se discessisse Cicero, ut improbis cedendo Remp. servaret. *Ibid. Nam quod mihi.* Quod dixit deinde Vatinius Ciceronem non suâ, sed Reip. causa rediisse, est pariter insulsum: objicit enim Ciceroni quod fuit longè gloriosissimum, Reip. causâ, à suis civibus, magno desiderio revocari *num.* 7. *At enim dixisti.*

Ad extremum objectionem facetè regerit in Vatinium Cicero, se non tam suâ causa, quàm Reip. sic charum esse Senatui, populoque Romano; quemadmodum Vatinius non tam suo quàm Reip. nomine, est odio civitati. *num.* 9. *quodquidem ego.* Atqui hanc sui cum Vatinio dissimilem comparationem judicio, ac opinione bonorum civium metiendam relinquit. *Ibid. Atque ut aliquando.*

Propositionis secundum argumentum, *Vatinius sceleratus est vir*, alterâ inductione tractatur: Vatinius ante tribunatum in adolescentia, & quæstura, & legatione; in tribunatu, neglectis auspicijs, & læsis civibus; post tribunatum, disturbatis judicijs, contemptis legibus est infamis: ergo Vatinius sceleratus est vir.

1. Pars inductionis, *Vatinius ante tribunatum, in adolescentia est infamis*, stringitur præteritione, & invidiosa concessione. *num.* 11. *Atque illud.* 2. Pars inductionis, *Vatinius quæstura est infamis*, constat dissimili comparatione Vatinij, & Pub. Sextij in obtenta quæstura, & Provincia, & rebus in ea gestis. *Ibid. Quæsturam petisti.* 3. Pars inductionis, *Vatinius legatione est infamis*, petitur à non servata navigandi certa ratione, à cursu & evagatione per regna, sine Senatus consulto, à flagitijs & furtis. *num.* 12. *Post quæsturam.* 4. Pars inductionis; *Vatinius in tribunatu neglectis auspicijs, est infamis*, am-

plificatur 1. (salvâ Cæsaris gratiâ, quod ubique cavet Cicero) improbitate Vatinii, qui mentitus se Pythagoram imitari in crudelibus & barbaris sacrificiis, & auspicia & augurum responsa contempsit. *Num. 13. Quæro abs te.*

Affert verò Orator callidè, ne Cæsarem offendat, triplicem dissimilitudinis causam inter Cæsarem & Vatinium, quare illi, (si videatur obnuntiationes & auspicia contempsisse) sit ignoscendum, non huic. *Num. 15. Secundum ea.*

Amplificatur 2. Dissimili novem collegarum exemplò, quorum nullus contra auspicia legem ferre ausus est; unus audax Vatinius, cæterorum obnuntiationibus & auspiciis pro nihilo habitis, leges tulit, quas voluit. *Num. 16. Sic enim ex te.*

Amplificatur 3. Dissimili exemplo omnium tribunorum plebis, ex quibus nullus unquam, præter Vatinium, est inventus, quantumvis seditiosus, qui legem Æliam aut Fusiam violarit, aut contra has consilium convocarit. *Num. 18. Simul etiam.* Amplificatur 4. impudentia Vatinii, qui cum improbissimè omnia auspicia, leges, religionem neglexerit, irriserit, calcarit, tamen velit augur fieri in Q. Metelli locum. *Num. 19. Quæro illud.* Amplificatur 5. à consequentibus, quòd omnia auspicia fuerit dissoluturus, si augur factus esset. *Num. 20. hoc loco.*

5. Pars inductionis, *Vatinius in tribunatu læsis civibus est infamis*, factâ transitione, 1. exaggerat ab adjunctis miserabilem Marci Bibuli Consulis sortem, qui, homo moderatissimus, nihil in Rep. moliens, tantum ab actionibus Vatinii dissentiens, raptus est indignissimè, sublato auxilio, in carcerem, ad necem; & postea nefarius idem Vatinius misit Viatorem, qui Bibulum domo vi extraheret, prætexto Cæsaris nomine. *Num. 21. Ac nec diutius.* 2. Exaggerat facinus Vatinii, qui principes civitatis tollere & delere conatus est, producto in concionem & Rostra L. Vettio, præmiis corrupto, ut ibi ipse ad arbitrium Vatinii viros indicaret à quibus impulsus esset ad afferendam Cn. Pompeio necem. *Num 24. Cum L. Vettium.*

Dignitatem verò horum virorum (Bibuli, Luculli, Curionis, Domitii, Lentuli, Pauli, Ciceronis, Pisonis generi, Laterensis) Orator vehementer commendat, augetque, ut insignem invidiam pariat Vatinio. *ibid. M. Bibulum.*

3. Exaggerat Vatinii crudelitatem in C. Antonium, quòd cum Vatinius legem promulgasset, qua dabatur reo alterna rejectio judicum: expectasset donec Antonius (quem rectè accusa-

cusavit Q. Maximus) de conjuratione & de pecuniis repetundis reus fieret: deinde in lege adjecisset, qui post legem suam reus factus esset: ut hac exceptione Antonium à beneficio legis excluderet. *Num. 27. Et quoniam crebrò.*

4. Exaggerat avaritiam Vatinii, & divitias ex rapinis civium & Reip. acquisitas. *Num. 29. Et quoniam pecunias*

5. Exaggerat injuriam Q. Ario civi honesto factam, quando in ejus epulo publico, & dignitatis pleno, ipse Vatinius cum toga pulla accubuit, contra morem Majorum, cum stomacho totius civitatis, & læsâ auctoritate Q Arii. *Num. 30. Atque illud etiam.*

6. Pars inductionis, *Vatinius post tribunatum disturbatis judiciis est infamis*, amplificatur ex eo, quòd Vatinius qui non servato promulgationis legitimo tempore (id erat trinundinum) suas leges tulerat, eo crimine accusatus appellarit Tribunos, ipsum adeò Clodium; & cum jure, more, potestate non posset, judicium vi sustulerit. *Num. 33. Quare illud etiam.*

Crescit amplificatio, quòd tum Vatinius, cum accusaretur, legatus cum Cæsare in Galliam ivisset, (quem propterea non licebat in judicium vocare) ipse tamen improbè rediit in urbem, ne judicium jure legationis defugisse videretur. *Num 34 Atque illud etiam.*

Digreditur Cicero, & datâ occasione, istam legationem Vatinii non Senatus-consulto, sed suâ ipsius lege (quam tulit invito Senatu, ut legatos non Senatus more Majorum, sed populus deligeret) arreptam insectatur ab adjunctis. *Num. 35. Et quoniam.*

7. Pars inductionis, *Vatinius legibus contemptis est infamis.* Perspicuè Vatinium legis Tulliæ reum ostendit, quod in ipsa petitione præturæ gladiatores det. *Num. 37. Atque illud etiam.* Quare minatur Cicero se proximè accusaturum Vatinium; neque illi spem esse in gratia Cæsaris, qui nuper respondit Vatinium omnia divitiis, non dignitate fecisse. *Num. 38. Ac si hæc omnia.*

Concludit Orator inductionem recapitulatione in odium scelerati Vatinii. *Num. 39. Quòd si ipse.*

ANNOTATIO.

Contentio duas habet partes, levitatem testis Vatinij, & improbitatem: utrumque explicat inductio per enumerationem. Ac

 pri-

primum, seu levitatem demonstrat, Orator in reprehensa defectione Cornelij, & discessu Ciceronis, & postea (quod mox in peroratione videbimus) in dicto testimonio de Milone & Sextio: ex quibus Vatinij auctoritatem vehementer elevat, irridet, vocat in odium publicum. Alterum, seu improbitatem exagitat ab ipsa Vatinij adolescentia, quaestura, legatione, tribunatu, sceleribus: praesertim in ejus tribunatu amplificat 1 neglecta auspicia contra exemplum novem Collegarum, & omnium tribunorum, & Majorum. 2. leges latas Reip. exitiosas, ut legationem, ut donationem agrorum, ut rapinas: ubi (& passim alibi) tam callidè & sapienter vitat orator Caesaris offensionem (quo Consule, & cujus auxilio, & commodo ista nefarie gessit Vatinius) ut hunc communione sceleris sejungat, aut excuset, Vatinium unum insectetur, & in odium apud omnes adducat. 3. Amplificat laesos cives, eosque principes civitatis, subornato L. Vettio, ac deinde C. Antonium, & Q. Arium. 4. Denique post tribunatum discussum ab ipso judicium improbissimâ appellatione, nec non contemptam legem Tulliam. Quae crimina, uti testimonia, modò conglobatim, vel ab adjunctis mirifice auget Orator, modò concisim vibrat, vel acute retorquet in Vatinium, eumque sua ipsius argumentatione jugulat, modò cavillans praeterit, modò seriò explicans redarguit, pungit, increpat, minatur, praeturae spem, & Caesaris gratiam praecludit, commune judicium bonorum intentat: nihil non perpetuâ interrogatione affert ad invidiam & odium Vatinii.

PERORATIO.

IN peroratione resumit Cicero (ut hîc denique labefectet testimonium Vatinii) quod 1. inductione Contentionis explicuit, Vatinium secum pugnare, in dicendo testimonio: qui spe qui vanè & leviter Milonem laudarit, in judicio, quem paulò antè vituperaverat in concione. *Num.* 40. *Sed ut aliquando.*

Imò levius Milonem & Sextium testimonio disiungit, quos crimine conjungit. *Num.* 41. *Sed cum T. Annium.*

Vanissimè, qua lege Sextium de vi accusandum omninò fuisse negat, eâ lege in eum de vi testimonium dicit. *Num.* 42. *Extremum illud est.*

ANNOTATIO.

Opportunè distulit Orator in perorationem contraria & pugnantia

nantia Vatinii testimonia de Milone & Sextio, ut quasi novo argumento, aut fortissimo telo ad finem reservato (quod aliquando fieri diximus in Rhetoricâ) adversariis fidem expugnet & infringat.

PRO M. CÆLIO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

M. *Cælius equestri loco natus, ingenio ac forma liberali, cùm adolescentiam in domo ac familiaritate Ciceronis egisset, postea vixit liberiùs: & illatus in familiaritatem Catilinæ, eidem jam iterum petenti Consulatum cùm cæteris æqualibus favit. Deinde aliquot annis interjectis venit in familiaritatem Clodiæ, uxoris Q. Metelli, quæ soror erat P. Clodii, & mulier parum pudica habebatur. Cumque illâ familiarius uteretur, & forte auri certum numerum ab ea mutuò accepisset, posteà indicatum est Clodiæ, venenum sibi parari à Cælio, per Licinium quendam familiarem illius, qui etiam pecuniâ servum ejus ad perficiendam rem aggressus esset. Itaque accusatur à Clodia amicis Cælius, ac potissimum à L. Atratino adolescente, cujus patrem Cælius de ambitu accusaverat.* Freig

Quæstio est in genere judiciali, aut M. Cælius venenum Clodiæ pararit, ne aurum, quod mutuò acceperat, reddere cogeretur.

Stylus est tenuis & acutus: nisi voluptates excuset adolescentis Cælii, aut Clodiam insectetur, aut in peroratione commiserationem excitet.

SYNOPSIS.

EXORDIUM.

Die festo (quod alicui legum ignaro mirum videretur) opibus meretricis Clodiæ, ab Atratino adolescente, accusatur innocens Cælius.

PROPOSITIO.

M. Cælius venenum non paravit Clodiæ, ne aurum, quod mutuo acceperat, reddere cogeretur.

ARGUMENTA.

1. Quia scelera seu argumenta, propter quæ adversarii affingunt Cælio crimen veneni, sunt falsa.
2. Totum istud crimen veneni & auri fictum est ab impudica muliere, cujus familiaritatem sprevit Cælius.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM.

M. Cælius, uti objiciunt adversarii, patrem non habet obscurum, nec eum parum piè tractavit: est municipibus suis probatus: tametsi formosus, non est impudicus: non fuit familiaris Catilinæ, nec adeò ejus impudicitiæ & conjurationis particeps: non sumptuosè habitavit, aut cum ære alieno, ut à patre in viciniam Clodiæ migraret: Senatorem non pulsavit: non attrectavit matronas: non est seditiosus: non denique luxuriosus. Igitur scelera seu argumenta propter quæ adversarii affingunt Cælio crimen veneni, sunt falsa.

2. ARGUM.

Persona Clodiæ, & Cælii, & testium, cæteraque adjuncta, declarant com mentitium esse crimen: igitur totum istud crimen veneni & auri fictum est ab impudica muliere, cujus familiaritatem sprevit Cælius.

AMPLI.

1. ARGUMENTAT.

1. Pater Cælii est equestris dignitatis; quomodo obscurus? supplicat pro filio; quomodo malè tractatus? 2. Puteolani magnos honores detulerunt Cælio; num igitur hunc probant? 3. Forma non continuò adolescentem impudicum arguit; itaque objectio Atratini non est accusatio, sed maledictum. 4. Constat de Cælii adolescentia sub patre, Crasso, Cicerone, pudicè traducta: si hunc postea (quod commune est multis, etiam fortibus & bonis viris) Catilina specie quadam assimulatæ virtutis tenuit, hoc crimen esse non debet unius Cælii: deinde qua ratione conjuravit, aut ambitum commisit is, qui conjurationis & ambitus crimine alterum accusavit? 5. Pupillus Cælius tabulas non conficit; unde expensi sumptus? auctore patre, & commodè domum conduxit? ergo non semigravit à patre. 6. Iste Senator solus est testis, nec per se, & statim instituit actionem in Cælium,

2. ARGUMENTAT.

Plura sunt objecta Cælio maledicta, quàm crimina; auctore quidem meretrice Clodia, cujus scelera Cicero & familiaritatem cum Cælio objurgat & severè per Appium abavum, & urbanè per minimum fratrem. Quamquam etiam Cælium objurgat inductus ex comico parens severus; sed mox se excusat Cælius, atque hunc alter parens lenis: ipse quoque indulgens Cicero continentiam esse raram in adolescentibus contendit exemplo Romanorum, & Græcorum, tum ex ipsa natura; id verò repugnare ait, ut studiis ac labori deditus Cælius sit libidinosus. Jam crimen auri non est probabile: vel enim Clodia scivit caussam, quare à se aurum peteret Cælius, vel non: si scivit, eodem se crimine obstrinxit; si non scivit, cur tam familiaris Cælio fuit, ut aurum commoda-

AMPLIFICATIO, ET AF-

 FEC-

ret?aut si, Balbo teste, non fuit familiaris, certè aurum non dedit. Deinde mores Cælii, ingenium, prudentia, facultas servorum, cæteraque adjuncta loci, temporis, & signorum, longè removent crimen: huc accedit L. Lucceij gravis & sancti viri testimonium. Alterum crimen veneni pariter ex causis finalibus, & coëfficientibus, & ratione dati veneni, & loco minùs apto, & subornatis levi fide testibus servis, refellitur.

PERORATIO.

Cicero misericordiam deprecatur adolescenti Cælio tum propter integritatem causæ & industriæ, virtutisque futuræ in Rep. objecta dissimili comparatione Sext. Clodii: tum propter senectutem, ac lacrymas parentis, & communem pietatis sensum, & merita Ciceronis.

7. nocturnis testibus levi & corruptâ fide, Cælii causa non est expendenda, sed argumentis ex causa & ratione. 8. de seditione purgavit Cælium graviter & ornate M. Crassus: Dionem qui occidit, tenetur, & absolutus est; multò magis absolvetur Cælius. 9. Herrenii aspera, etsi diserta oratio est, ex eo præsertim non probanda, quod in genere vitia adolescentiæ, in specie luxuriam M. Cælii accusarit.

FECTUS

EXOR-

EXORDIUM.

SUmit Cicero exordium à tempore seu festo die, quo M. Cælij judicium exercetur, quasi atrox crimen commiserit: verùm hæc dicit fieri opibus Clodiæ, quæ Atratinum adolescentem pium impulit ad accusandum innocentem Cælium. *Num. 1. Si quis.*

Atque Atratinum excusat Cicero vel pietate in patrem (quem accusarat Cælius) vel necessitate, vel ætate. *Num. 2. Etenim si.*

ANNOTATIO.

Captat Orator benevolentiam M. Cælio: 1. à persona judicum, qui leges observant, 2. à persona ipsius Cælij innocentis & ingeniosi adolescentis; 3. à persona Clodiæ quam vocat in invidiam; 4. à persona accusatoris Atratini, qui pietate adductus, vel voluntate Clodiæ, vel spe ætatis, hanc causam suscepit.

CONTENTIONIS
Propositio & distributio.

COntentionis propositio est hæc: M. Cælius venenum Clodiæ non paravit, ne aurum, quod mutuò acceperat, reddere cogeretur.

Distributio seu argumenta sunt hæc duo: primùm quia scelera & argumenta, propter quæ adversarii affingunt Cælio crimen veneni, sunt falsa. Secundùm, quia totum istud crimen veneni & auri fictum est ab impudica muliere cujus familiaritatem sprevit Cælius.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *scelera & argumenta propter quæ adversarij affingunt Cælio crimen veneni, sunt falsa*, amplè deducit inductio per enumerationem singulorum: nam M. Cælius, uti objiciunt adversarii, patrem

non habet obſcurum; nec eum tractavit parum piè: eſt municipibus ſuis probatus: tametſi formoſus, non eſt impudicus: non fuit familiaris Catilinæ nec adeò impudicitiæ ejus& conjurationis particeps: non ſumptuosè habitavit, aut cum ære alieno, ut à patre in viciniam Clodiæ migraret; Senatorem non pulſavit: non attrectavit matronas: non eſt ſeditioſus: non denique luxurioſus. Ergo ſcelera & argumenta, propter quæ adverſarij affingunt Cælio crimen veneni, ſunt falſa.

Antecedentis 1. pars, *Cælius patrem habet non obſcurum; nec eum tractavit parum piè*, brevi probatur à perſona patris, qui equeſtrem dignitatem ſemper retinuit, & teſtimonio omnium, qui illum norunt: quam piè fuerit tractatus, declarat luctus & lacrymæ, quibus ſupplicat pro filio, *num.* 3. *Objectus eſt pater.*

Antecedentis 2. pars, *Cælius eſt municipibus ſuis probatus*, patet ex honoribus, quos Puteolani habuerunt abſenti Cælio, & ex legatis, quos ijdem ad hoc judicium cum magna ejus laudatione miſerunt, *num.* 5. *Nam quod eſt objectum.* Cicero concludit hanc & primam antecedentis partem epiphonemate & exemplo. *Ibid. videor mihi.*

Antecedentis 3. pars, *Cælius tametſi formoſus, non eſt impudicus*, elevat objectionem adverſariorum, ut pervulgatam, & omnibus formoſis adoleſcentibus communem: Adde, hæc objectio pulchritudinis vel eſt accuſatio, vel maledictum: ſi accuſatio, ubi crimen, ubi probatio, ubi teſtes? ſi maledictum, contemnet Cælius. *num.* 6. *Nam quod objectum eſt.*

Porrò præclarâ inſinuatione dolet Cicero Atratinum adoleſcentem pudicum de impudicitia locutum eſſe, non ſuâ, ſed Clodiæ culpâ; monetque amicè, ne quid in poſterum hujuſmodi à ſe alienum proferat. *num.* 7. *Quam quidem partem.* Cæterùm pudicitiam Cælij confirmat diſciplinâ patris, Craſſi, Ciceronis. *num.* 9 *Verùm ad iſtam.*

Antecedentis 4. pars, *Cælius non fuit familiaris Catilinæ, nec adeò impudicitiæ, & ejus conjurationis particeps*, 1. conſtat ex prima Cælij adoleſcentia, quia nunquam à Cicerone deceſſerit, aut pudicitiam violarit, *num.* 10. *nam quòd Catilina.* In virili ætate familiaris fuit quidem Catilinæ Cælius: verùm & alij multi, non continuò impudici. Atque idcircò magis excuſandus eſt Cælius, quòd Catilinæ natura (quàm deſcribit Orator ethopoeia) verſatilis & multiplex ſpecie aſſimulatæ virtutis multos tenuerit. *num.* 12. *Studuit Catilina.* Imò

etiam

Imò etiam fortes & bonos viros, & ipsum pene Ciceronem decepit Catilina: non igitur ista familiaritas Catilinæ crimen esse debet Cælio, quod commune est multis. *num.* 14. *Hac ille tam varia.*

2. Constat ex persona, & moribus, & fortuna Cælij; nec enim is conjuravit, aut ambitu se commaculavit, qui conjurationis & ambitus crimine alterum (Antonium) accusavit. *n.* 15. *Itaq; à maledictis.*

Antecedentis 5. pars, *Cælius non sumptuosè habitavit, aut cum are alieno, ut à patre in viciniam Clodia migraret*, brevi dissolvit argumenta adversariorum: nec enim Cælius, adhuc pupillus, tabulas confecit, ex quibus expensi sumptus appareant; nec tanti emit ædiculam Clodij, quanti finxerunt adversarij; nec semigravit à patre in viciniam Clodiæ, quo suadente apud forum & patronos commodè domum conduxit. *num.* 17. *Nam quòd as alienum.*

Antecedentis 6. pars, *Cælius Senatorem pulsavit*, elevat fidem istius Senatoris, qui est solus à Clodia inventus testis; qui revera si pulsatus fuisset, statim & per se actionem in Cælium instituisset. *num.* 19. *quamobrem illa.*

Antecedentis 7. pars, *Cælius non attrectavit matronas*, pariter elevat nocturnorum testium levium, à Clodia subornatorum fidem. *num.* 20. *Nec tamen illud.* Quamquam prolepsi accusatores Cælij excusat; solùm istos testes reijcit, *num.* 21. *Neque id ego.* Neque vult iudices huiusmodi testium cupiditate ac fide corrupta causam Cælij expendere, sed argumentis ex ipsa causa & ratione perspicuis. *n.* 22. *Hoc ex genere.*

Antecedentis 8. pars, *Cælius non est seditiosus*, quia graviter & ornatè à M. Crasso perorata est, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolanâ, & de bonis Pallæ; Cicero vellet dictum esset ab eodem etiam de Dione: verùm de hujus Dionis nece non laborat, quam qui commisit (P. Ascitius) non negavit, & absolutus est; multò igitur magis Cælius absolvetur, qui istius necis non modò non suspicione, sed ne infamiâ quidem est aspersus. *num.* 23. *Itaque illam partem.* Respondet ad prolepsim, Ascitij causam, cujusmodi sit, à causa Cælij esse seiunctam, maximè ipso Coponiorum testimonio, qui ex omnibus intimè Dionis mortem doluerunt. *num.* 24. *at prævaricatione.*

Antecedentis 9. pars, *Cælius non est luxuriosus*, primùm infirmat tristem & asperam L. Herennij orationem, subtiliter

tiliter ad criminandum, & severè ad objurgandum inductam, *num.* 25 *Ergo hac removeantur.*

Mox primam ejus accusationis partem, ut falsam; alteram, ut non criminosam; utramque ut extra causam, reijcit. *num.* 26. *Ac prima pars.*

Arripit Orator tertiam accusationis partem, quæ est objurgatio luxuriæ M. Cælij: atque apostrophâ deprecatur accusatorem Balbum, ut sibi fas sit eum adolescentem defendere, qui exemplo multorum postea ex voluptatibus emerget ad bonam frugem. *num.* 27. *Sed hac omittam.* Istum verò auditum attentè accusatorem eludit, propterea quod in genere vitia adolescentiæ, non in specie luxuriam M. Cælij accusarit. *n.* 29. *Sed tu mihi.* Quamobrem admonet judices, & iterum deprecatur, ut quæ sunt adolescentibus vitia communia, hæc in Cælium non conferantur. *Ibid. Sed vestra sapientia.*

Propositionis 2 argumentum, *totum istud crimen veneni, & auri fictum est ab impudica muliere, cujus familiaritatem sprevit Cælius,* hoc Enthymema contexit: persona Clodiæ, & Cælij, & testium, cæteraque adjuncta declarant commentitium esse crimen: ergo totum istud crimen veneni, & auri fictum est ab impudica muliere, cujus familiaritatem sprevit Cælius.

Verùm Orator 1. præmittit argumentationi, ac proponit statum quæstionis seu causam Cæli;, quæque ipsi ab adversarijs objecta sint maledicta & crimina. *num.* 30. *Atque ego idem.* 2. præmittit huius falsæ criminationis authorem Clodiam, quam (apostropha ad prætorem Cn. Domitium) cogitur perstringere & insectari. *num.* 31. *Horum duorum.*

3. Præmittit festivas, & acres duas objurgationes Clodiæ, 1. est, (inducto per prosopopœiam cæco Aspio abavo Clodiæ) qui in eius vitia severè invehitur. *num.* 33. *Sed tamen ex ipsa.* At correcti one dilemma interserit Cicero. & ipse postulat à Clodia rationem familiaritatis suæ cum Cælio: cuius rationem afferre debet, si vult ipsa audiri in iudicio; si verò affert, quoniam necesse est se meretricem fateatur, eius testimonio non credetur. *num.* 35. *Sed quid ego.* Altera prosopopœia est urbanè objurgantis P. Clodii (minimi fratris Clodiæ) qui eam removet ab amore Cælii. *num.* 36. *Sin autem urbanius.* 4. Præmittit similes duas obiurgationes Cælii; una est severi patris Comici, qui Cælium reprehendit: apud quem se excusat Cælius ab adiunctis & maledicâ civitate. *num.* 37.

Redeo

Redea nunc ad te. Secunda est lenis, & clementis patris, qui Cælium excusat. *num.*38. *Leni vero* 5. Præmittit prolepsim, qua ipse non excuset aut defendat voluptates adolescentum; sed in ista ætate continentiam esse virtutem divinam ac raram demonstret, primùm exemplo antiquorum Romanorum. *n.* 39 *Dicet aliquis.* Deinde auctoritate scriptorum Græcorum, & Philosophorum, quorum pauci fuerunt, qui non in voluptatibus corporis dignitatem posuerint, *num* 40. *Verùm hæc genera.* Tum blandimentis ipsius naturæ, & multis viis adolescentiæ lubricis. *num.* 41. *Multa enim nobis.* Postea exemplo multorum, quibus, uti Cælio, licuit adolescentiam (modo sine crimine) in luxu & voluptate traducere. *num.* 42. *Quamobrem si quem.* Exemplo item in specie non paucorum, qui post adolescentiam libidinosè transactam, fortes atque illustres viri fuerunt. *num.* 43. *Ac multi.* At verò negat Orator adolescentem Cælium voluptatibus fuisse occupatum. *n.* 44. *At verò in M. Cælio* Quia studiis eloquentiæ & labori forensi deditus fuit. Ubi adverte syllogismum ex repugnantibus: studia enim eloquentiæ, & voluptates sibi repugnant. *num.* 45. *Audistis cum pro se.* Quod amplificat à causis, cur tam pauci sint studiosi, & eloquentes. *num.* 46. *An vos aliam.* Concludit nullum libidinis crimen esse in Cælio, sed illud totum regerit in Clodiam. *num.* 47. *Nihil igitur illa.* Imo addit non reprehendendum esse adolescentem Cælium, si meretriciis amoribus implicatus fuisset. *num.* 48. *Verùm si quis est.* Denique apostrophâ ad Clodiam, & hoc dilemmate excusat Cælium: Clodia vel est meretrix, vel non: si est, nihil pertimescet Cælius; si non, quid obiici potest Cælio? *n.* 50. *Obliviscor jam.*

His præmissis, quæ partim ad præcedentem argumentationem confirmandam pertinent, partim ad sequentem præmuniendam (nam ex cupiditatibus Cælii, cæterisque sceleribus, adversarii maximè crimen veneni & auri inferebant) his, inquam, præmissis, facta per allegoriam transitione, & brevi distributione duorum criminum, quæ restant;

Prima pars Enthymematis, *de auro*, exponitur 1. à persona Clodiæ, quam acri iterum apostrophâ Cicero, & hoc dilemmate stringit. Clodia vel scivit causam, quare à se aurum peteret Cælius, vel non scivit; si scivit, eodem se crimine obstrinxit; si non scivit, cur tam familiaris Cælio fuit, ut aurum commodaret? *n.* 51. *Sed quoniam emersisse.* Quod si ut Balbus

dicit,

dicit, fuit cælata causam mulier, rursus hoc altero dilemmate captat: si Clodia fuit familiaris Cælio, non fuit celata, & est eiusdem criminis conscia; si non fuit familiaris, sanè aurum non dedit. *num.* 53. *Vidit hoc Balbus.*

Exponitur 2. Prima pars Enthymematis à persona Cælii, cuius mores, ingenium, prudentia, facultas servorum, cæteraque adiuncta loci, temporis, signorum (quæ non elaboratè Orator profert) longissimè absunt ab hoc crimine. *Ibid. Quid ergo nunc.*

Exponitur 3. à persona iurati testis L. Lucceii qui propter sanctitatem falsò testari non vellet innocentem esse Cælium; nec committi homicidium ferret sua in domo, per suos servos, adversus hospitem Dionem, quem ipse diligebat. *num.* 54. *Habeo enim, iudices.*

Amplificat Orator testimonium Lucceii, gravis, sapientis, moderati viri, & eius domum plenam integritatis, officii, religionis: opposito Clodiæ testimonio, temerariæ, procacis, iratæ mulieris; & eius domo inimica, infami, crudeli, facinorosa, libidinosa. *num.* 55. *Sed cur diutius.*

Secunda pars Enthymematis, *de veneno*, exponitur 1. à caussis finalibus, quæ afferri non possunt, cur Cælius venenum pararit Clodiæ. An ideo ne aurum redderet? nemo illud petiit. Ne crimen hæreret? nemo etiam illud obiecit. *num.* 56. *Reliquum est igitur.*

Exponitur 2. à caussis efficientibus, seu adiutoribus servis Clodiæ, quibus temerè & amenter tantum facinus credidisset Cælius, quia hos noverat sibi alienos, & familiares suæ dominæ. *num* 57. *Cui deniq.*

Exponitur 3. à ratione dati veneni: quæ ratio ex facultate, loco, tempore non constat, *num.* 58. *Ipsius autem veneni.* Digreditur hic Cicero maximo commiserationis affectu in mortem Q. Metelli, quem veneno sublatum dicit ab ista uxore improba Clodia, quæ nunc de veneficio accusare audet Cælium. *num.* 59: *Pro Dij immortales.*

Exponitur 4. à persona Licinii, & loco Balnearum mitiùs apto ad dandum venenum. *num.* 61. *Sed revertor ad crimen.*

Exponitur 5. à persona testium; quos Orator ab insidiis, & levitate fidei, & familiaritate cum Clodia, & ficta narratione ridet. *num.* 63. *Atque equidem.* Deinde fabulæ artificem facit Clodiam, cui ostendit narrationem istorum, qui Licinium emiserint, servorum non cohærere, ac Licinium fugientem facilè

facilè potuisse comprehendi, aut alio certiore modo deprehendi ex signis exterioribus. *num.* 64. *Verùm hac tota.* Demum istos testes facetá allegoriâ, quasi fortes viros, & milites in convivijs, pro Clodia imperatrice pugnantes, uti olim Græcos ad Trojam pro Helena, deridet, expectat in judicio, minatur, terret à dicendo testimonio. *num.* 67. *Quos quidem ego.*

Adjungit prolepsim adversariorum de manumissione servorum, quam idcirco factam dicit Cicero, ut jam liberi servi vocari in quæstionem non possint, & detegere insidias aut impudicitias Clodiæ, de qua est fabula & adagium pervagatum. *num.* 68. *At sunt servi.*

ANNOTATIO.

Conjectura seu argumentum adversariorum est duplex: 1. Cælius patrem habet obscurum, & eum malè tractavit: non est probatus suis municipibus: est formosulus, adeoq; impudicus: est familiaris Catilinæ: sumptuosè habitavit, & cum ære alieno, ut à patre migraret in viciniam Clodiæ: Senatorem pulsavit: est seditiosus: luxuriosus. Ergo hic tot sceleribus affinis, non est alienus, ut mutuo aurum accipiat, ac, ne illud reddere debeat, venenum comparet. 2. Deprehensum est à multis testibus venenum in manibus Licinij, qui erat familiaris Cælio. Ergo &c. At singula Cicero refellit partim ut maledicta in Cælium, partim ut ficta crimina ab impudica muliere. Maledicta artificiosè colligit & explicat inductio: Enthymema perstringit falsum crimen auri & veneni.

Præcipuè luxuriam Cælij excusat Orator, vel ab adolescentia, cui ætati debeat aliquid voluptatis indulgeri, vel ab impudica & scelerata muliere, quæ adolescentem familiaritate sua pellexit; vel à persona Catilinæ, qui multos non solùm adolescentes, sed etiam viros fictâ virtute decepit; vel à studijs eloquentiæ & labore forensi, quibus valdè deditus fuit Cælius, vel subtili elusione accusatorum, Atratini, Herennij, Balbi. Iam verò crimen veneni quàm callidè removet à Cælio, quem jam luxuriâ purgavit? ut argutè excutit personas & testes, cæteraque adjunctá facultatis, loci, temporis, signorum, & causarum? facetè quidem, sed acriter Clodiam objurgat, quæ tam familiaris fuit, ut aurum commodaret adolescentulo, præsertim ad flagitium; quando proinde vel eodem cum Cælio crimine obstri-

ctam

ctam redarguit, vel aurum non commodasse. Hujus præterea mulieris impudentiam exagitat, quæ accusare veneficij audeat Cælium, quæ maritum ipsa suum veneno sustulit: meretricis autem fidem labefactat, quæ machinatrix & architecta scelerum & fabulæ, servos subornavit, ut in judicio adolescentem perderet, à quo erat spreta.

L. Lucceium vehementer Orator laudat, & magnam hujus testimonio auctoritatem affert, ne sua in domo plena integritatis, officij, religionis permisisse occidi hospitem Dionem *putetur. Pariter adolescentis Licinij mores crimine alienos probat. Testium verò servorum & familiarium Clodiæ fidem quàm acutè proscindit, ridendo, interrogando, terrendo. Denique apta ubique & convenienti oratione defendit Cælium, & totam hujus judicij invidiam, sceleraque objecta retorquet in Clodiam.*

PERORATIO.

PEroratio constat apostrophâ & deprecatione ad Judices, ut absolvant Cælium duabus ex causis: 1. Quia malè accusatur ab adversarijs gravissima lege Plautia seu de vi, cum vim non commiserit. *num. 70. Dicta est à me causa.* Nec M. Camurti & Cesernii damnatio (quæ fuit infamis Clodiæ) esse debet præjudicium Cælio, quia hi lege Plautiâ nec tenebantur, nec damnati sunt: sed omnino maleficium eorum erat huiusmodi, ut damnari eos necesse videretur, quacumque lege essent accusati. *num. 71. Atque hoc etiam.* At Cælio nulla vis potest obijci, nec aliud maleficium, quod puniri à judicibus possit: nam pueritiam, (est quædam quasi anacephalæosis Contentionis) & primam adolescentiam honestè coluit studijs eloquentiæ disciplinis summorum virorum, contubernio Q. Pompeij, illustri accusatione C. Antonij. *num. 72. M. verò Cælius* Nisi in hoc flexu quasi ætatis paullum hæsit fama Cælii ex familiaritate Clodiæ. *num. 75. In hoc flexu.* Sed celeriter voluptatibus emersit, ac innato mentis ardore ad gloriam, meliora sectatus est: itaque jam violentia, & ferocitate ingenij depositâ, spem facit virtutis ac industriæ futuræ, quam pro Rep. probavit duabus accusationibus. *num 76. Atque ut iste.*

Quare adductâ dissimili comparatione Sext. Clodii & M. Cælij, judices obtestatur Orator, ne turpiter mulieris libidinosæ gratiâ hunc innocentem, & optimæ spei adolescentem con-

condemnent, qui paucis his diebus istum nefarium hominem ejusdem Clodiæ opibus absolverunt. *num.* 78. *Quare oro* 2. Quia Senectus ac lacrymæ parentis, & communis omnium parentum, adeoque Judicum sensus erga adolescentes liberos, & spes Reip. & merita Ciceronis postulant tribui misericordiam M. Cælio. *num.* 79. *quod cum hujus.*

ANNOTATIO.

In hac peroratione artificiosè Orator colligit, quod totâ oratione, etiam exordio, attulit, ut Iudices moveret ad commiserationem Cælij, & invidiam Clodia. Itaque hic absolutus est, & paulo post factus ædilis.

PRO L. CORNELIO BALBO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Balbus Gadibus in Hispania natus, propter operam ac fidem in bello Sertoriano probatam, civitate Romana à Cn. Pompeio donatus fuit: quo tempore L. Gellius & Cn. Cornelius Consules legem ex Senatus sententia tulerunt ut cives Romani essent ij, quos Cn. Pompeius Imperator magnis in Hispania rebus gestis, de consilij sententia sigillatim civitate donarat. At cum postea Balbus amicitia Principum, & divitijs floreret, invidus Accusator negavit Balbum jure civitatis potuisse donari: quia ex fœderato populo nemo posset, nisi is populus fundus factus esset, in civitatem Romanam venire; Gaditanum autem populum, cùm Balbus civitate donaretur, fundum factum non esse. Contra hunc Accusatorem Cicero Balbum tuitur, asseritque jure & rectè factum esse civem Romanum.

Quæstio est in genere judiciali, an Balbus jure & rectè civitate Romana sit donatus.

Character est subtilis, præterquam in exordio, & Peroratione, & laudatione Cn. Pompeij, vel juris Rom.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Difficile est Ciceroni post M. Crassum, & Cn. Pompeium perorare; qui maxima auctoritate, & usu, & ingenio, & studio Balbum defenderunt: sed mos gerendus & Cn. Pompeio, & C. Balbo, cui Cicero multum debet.

PROPOSITIO. Balbus jure & rectè civitate Romana est donatus.

ARGUMENTA. 1. Quia ex lege Gellia & Cornelia licuit Cn. Pompeio civitate Balbum donare. 2. Fœdera non impediunt Balbum potuisse fieri civem Rom. 3. summi Imperatores nunquam dubitarunt fœderatos civitate donari posse, & de facto multos donarunt, etiamsi is populus fundus non esset factus. 4. est consuetudo civitatis, liberos & fœderatos asciscere, nulla mentione fœderis aut fundi populi.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Etiamsi ex lege Gellia & Cornelia non licuisset Cn. Pompeio civitate Balbum donare; tamen tanti viri auctoritas non esset reprehendenda: sed hoc ipsi licuit: quis igitur hunc accuset?

2. ARGUM. Accusator Balbi malè interpretatur fœderatos populos fieri fundos oportere, ut quis ex iis civitate donetur; cùm id non magis proprium sit fœderatorum, quàm omnium liberorum: igitur fœdera non impediunt Balbum fieri civẽ Rom.

3. ARGUM. C. Marius, Cn. Põpeius pater, P. Crassus, L. Sylla, Q. Metellus, M. Crassus, hic Cn. Pompeius nunquã dubitarunt fœderatos civitate donari posse, & de facto multos donarunt, etiamsi is populus fundus non esset factus: igitur summi Imperatores, &c.

4. ARGUM. Judices, populus, Senatus non solent de fœdere, aut de fundo populo quærere: igitur est consuetudo &c.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

1. ARGUMENT.

Auctoritas Metelli Numidici, & Xenocratis Atheniensis tanta fuit, ut non quæreretur, quid ipsis liceret. An minor erit auctoritas Cn. Pompeii, summis virtutibus ac gestis rebus eximii? Quid? ipse contra fœdera fecerit? quæro an sciens! nefas est id dicere, an nesciens? quis illo homine scientior? nullus igitur sit obtrectatori locus.

2. ARGUMENT.

Imperitus est accusator Balbi, qui contra Majorum exempla, & prodita jura, negat fœderatos civitate, iisque afficiendos præmiis quæ hostibus ac servis deferuntur. Deinde idem magis imperitè jus mutandæ civitatis oppugnat, objecto Gaditanorum fœdere commentitio: nam ipsi Gaditani gloriantur Balbum suum, esse civem Rom.

3. ARGUM.

An accusator Balbi est sapientior istis tot tantisque Imperatoribus, qui fœderatos civitate donarūt sine fundo populo?

4. ARGUMENT.

Extant multis exemplis expressa facta judicium, & populi, & Senatus: quæ nemo potest reprehendere.

PERORATIO.

1. Vocat in odium Orator invidos accusatores Balbi.
2. Pro Balbo deprecatur judices tum à persona Cæsaris & Pompeii tum judicio Imperatorum, judicum, populi, Senatus.

EXOR-

EXORDIUM.

Etsi duo patroni (M. Crassus, & Cn. Pompeius) majori auctoritate, usu, ingenio, studio, quàm Cicero, defenderint Balbum: tamen eum à se quoque defendendum putat Orator, quia ipsi plurimum debet. *num.* 1. *Si auctoritates.* Ac Pompeium laudans, quòd ornatè, graviter, & copiosè Balbum defenderit, sibi difficilius esse ait post tantum Oratorem dicere; nisi hoc à se officium non modò Balbus, sed ipse etiam Pompeius exigeret. *num.* 2. *qua fuerit.*

ANNOTATIO.

Cicero benevolentiam comparat grato suo animo in Balbum, & officio in Cn. Pompeium; attentionem magnitudine causa, quam prastantes viri susceperunt, docilitatem propositione, qua subjungit (uti jam videbimus) quid non sit controversum, & constituit quid versetur in quastione.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio (post sejunctionem, quam explicat narratiuncula de rebus gestis Balbi, & donatione civitatis, quæ adversarius non negat) est hæc: Balbus jure & rectè Civitate Romana est donatus. *num.* 5. *Ac mihi quidem.*

Distributio seu argumenta sunt hæc quatuor: primum, quia ex lege Gellia & Cornelia licuit Cn. Pompeio civitate Balbum donare. Secundum, quia fœdera non impediunt Balbum potuisse fieri civem Romanum. Tertium, quia summi Imperatores Rom. nunquam dubitarunt fœderatos civitate donari posse, & de facto multos donarunt, etiam si is populus fundus non esset factus. Quartum, quia est consuetudo civitatis, liberos & fœderatos asciscere, nulla mentione fœderis, aut fundi populi.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *ex lege Gellia, & Cornelia licuit Cn. Pompeio civitate Balbum donare*, hoc effertur syllogismo: etiamsi ex lege Gellia & Cornelia non licuisset Cn Pompeio civitate Balbum donare, tamen tanti viri auctoritas non esset reprehendenda: sed hoc ipsi licuit: quis igitur eum accuset?

Major amplificatur 1. summis virtutibus & rebus gestis Cn. Pompeij. *num. 7. ubi igitur est crimen.* Amplificatur 2. Metelli Numidici, & Xenocratis Atheniensis exemplo. *num. 11. Audivi hoc.* Minor illustratur hoc dilemmate: si quid obstitit, quominus hoc Pompeio licuit, fuerunt fœdera, quæ vel scivit, vel nescivit: si scivit, nefas est dicere Cn. Pompeium contra fœdera civitate Balbum donasse; cuius rei testem Orator invocat totam rerum naturam per exclamationem, & prosopopœiam. *num. 13. Vtrum enim inscientem.*

Si nescivit, ergo Cn. Pompeius tot rerum scientiâ, & bellorum usu clarus, est ignorantior homine mediocri, & librariolo, qui istud fœdus Gaditanum novit? *num. 14. Gratificatur mihi.*

Concludit invideri virtuti præsenti sæpius, quàm præteritæ; at magni Pompeij auctoritatem nulla obtrectatoris voce lædendam esse. *num. 15. Atque ut ego sentio.*

Post hæc inserta est propositionis distributio (sejunctio allata est supra) seu ordo earum rerum, de quibus post Pompeium & Crassum dicturus est Cicero. *n. 17. omittam igitur.*

Etiam subjungitur quædam per deprecationem insinuatio seu præmunitio pro sequentibus, ne lex tam gravis constituta videatur, ut viris bonis, & Balbo non liceat virtute & industria emergere ex infimo genere. *num. 18. Ac priusquam.*

Propositionis secundum argumentum, *fœdera non impediunt Balbum potuisse fieri civem Rom.* Hoc Enthymemate (subtiliùs fortasse, aut malitiosiùs ad præsentem causam) contorquetur: Accusator Balbi malè interpretatur fœderatos populos fieri fundos oportere, ut quis ex ijs civitate donetur; cum id non magis proprium sit fœderatorum, quàm omnium liberorum: ergo fœdera non impediunt Balbum potuisse fieri civem Romanum.

 Antece-

Antecedens exclamatione ironicâ arguit imperitiam Accusatoris, qui omnium præmiorum, beneficiorumque populi Romani expertes faciat fœderatos, contra exempla Majorum. *num.* 20. *Sed negat ex fœderato.*

Amplificat Orator à consequentibus, hoc fore gravissimum & injuriosissimum non modò populo Rom. sed etiam fœderatis populis, si quis post defensum imperium non possit iis affici præmiis, quæ deferuntur stipendiariis, hostibus, servis. *num.* 22. *Atqui si Imperatoribus.*

Deinde hoc, quod asserit de fundis populis Accusator, est contra jus mutandæ civitatis: quæ mutatio debet esse liberrima, ut civi Romano (vel exilio, vel postliminio, vel rejectione) liceat donari civitate à Gaditanis, sicut & Gaditano liceat à Romanis donari civitate: quod patet exemplis. *n.* 27 *Sed cum est illud.* Quamquam est hoc discrimen inter Græcos & Romanos, quòd his non liceat transire de civitate in civitatem, hoc est, esse civitatis Romanæ, & cujusvis præterea, sed unius. *num.* 29. *Quod si civis.*

Atque hæc divina à Majoribus prodita jura Orator prædicat, quibus licet cuilibet (id exempla confirmant) donari Civitate, nulli eam amittere, nisi ipse auctor factus sit. *num* 31. *O jura præclara.* Objicit Accusator exstare quædam fœdera nonnullorum populorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum recipiatur civis Romanus. Respondet Cicero nihil hujusmodi exceptum esse in fœdere Gaditano; &, si esset, sublatum lege Gellia & Cornelia: neque illud fœdus esse sacrosanctum, propterea quod populus plebsve illud non sanxit aut obtestatione legis, aut pœna seu consecratione capitis. *num* 32. *At enim quædam.*

Non tamen his infirmat Cicero fœdus Gaditanorum, sed illo nihil exceptum fuisse, nec civitatis factam esse mentionem, denique nihil aliud cautum consensu populi, quàm pacem & conservationem majestatis populi Rom. (hic obiter ridetur accusatoris interpretatio) narratione exponit à tempore, & formula, quibus hoc fœdus sancitum & renovatum est. *num.* 34. *Nec vero hac ratio* Concludit parva & elegante anacephalæosi Balbum esse civem Romanum, etiamsi hoc jure fœderis negarent Gaditani, aut eum repeterent, *num.* 38. *Sed quid ego.* Verùm id non negant Gaditani, aut jure fœderis repetunt Balbum, quem maximè volunt esse civem Romanum; quod constat ex ipsorum benevolentia in cives Romanos,

manos, & Balbum. *numero 39. Nunc verò quid ego.*

Benevolentia Gaditanorum in cives Romanos amplificata est conglobatis effectis amicitiæ, & probata multis imperatoribus. *num. 40. Testantur & mortuos.* Benevolentia in Balbum his argumentis patet, quòd Gaditani hospitium cum Balbo faciant publicè, quod legatos mittant, qui deprecentur ne Balbus jus civitatis amittat; quod Senatus consulta faciant contra accusatorem Balbi. *num. 41. Atque hanc, judices.* Confirmatur Gaditanorum benevolentia in Balbum ex emolumento non mediocri commendationis, & gratiæ, & multorum beneficiorum, quæ quotidie accipiunt à Balbo cive Romano. Et in fine additur iterum anacephalæosis. *num. 43. Etenim quis est.*

Propositionis tertium argumentum, *Summi Imperatores Romani nunquam dubitarunt fœderatos civitate donari posse, & de facto multos donarunt, etiamsi is populus fundus non esset factus,* inductione ostenditur: C. Marius, Cn. Pompeius pater, P. Crassus, L. Sylla, Q. Metellus, M. Crassus, hic Cn. Pompeius nunquam dubitarunt fœderatos civitate donari posse, & de facto multos donarunt, etiamsi is populus fundus non esset factus: ergo &c.

Antecedens illustratur exemplo C. Marij tot bellis ac magistratibus clari, qui M. Annium Oppium, & alios plures fœderatos, & fortes viros, civitate donavit. *num. 45. Quos igitur prudentissimos.* Deinde Cn. Pompeius pater, P. Cæsium & cohortes duas Camertium: Heracliensium legionem, P. Crassus; L. Sylla, Massiliensem Aristonem, & sexaginta Gaditanos; Q. Metellus, Fabium Saguntinum; Aletrinenses, M. Crassus, Asdrubalem Gaditanum, Mamertinos Ovios, quosdam Uticenses, Saguntinos Fabios Cn. Pompeius civitate donavit. *num. 50. quid Cn. Pompeius.*

Propositionis quartum argumentum, *est consuetudo civitatis, liberos & fœderatos asciscere, nulla mentione fœderis, aut fundi populi,* etiam inductione ostenditur: Judices, populus, Senatus non solent de fœdere, aut de fundo populo quærere; ergo &c.

1. Pars antecedentis constat; nam apud Judices nemo unquam ex liberis fœderatisque populis est de civitate accusatus aut condemnatus, quòd aut populus fundus factus non esset, aut quod fœdere civitatis mutandæ jus impediretur. *n. 52. Habetis Imperatorem.*

2. Pars item constat: nam populus Romanus duos Oratores L. Cassium Tiburtem damnato Cælio (licet populus Tiburtinus fundus factus non esset) & Titum Coponium pariter Gaditanum damnato C. Massone, donavit civitate: idem populus Rom. civitate Balbum, fortem virum, non donabit, quia fundus populus Gaditanus factus non sit? *num.* 53 *Cognoscite nunc populi.*

Denique Senatus è fœderatis fere civitatibus multas Sacerdotes Cereris delegit, & ascivit, nulla mentione fundi populi factâ, aut violati fœderis. *num.* 55. *Cognoscite nunc judicium.*

ANNOTATIO.

Tota causa, inquit, Manutius, pendet à fœdere, id est ab interpretatione eorum verborum, ut populus fundus fieret. Aliter enim accusator, aliter ea Cicero interpretabatur: accusator sic, fundum fieri populum, cum auctor esset ejus rei, quam alienaret: Cicero, cùm acciperet unam, pluresve leges Romæ latas, ut ijs legibus in posterum, æque ac populus Rom. uteretur, & in populo fœderato, tanquam in aliquo fundo, leges ea residerent. Verior est accusatoris interpretatio; Cicero serviens causa, sensum pervertit.

Itaq; Orator contendit Cornelium Balbum jure & rectè civitate donatum esse, 1. ex lege lata à Gellio & Lentulo: ut Pompeius cui vellet, civitatem dare posset. 2. ex fœdere, quia si ex fœderatis populis negatur, aliquem fieri civem Romanum, idem negabitur ex omnibus populis liberis: quandoquidem illud de populis liberis fundis commune est liberorum populorum, non proprium fœderatorum: & tamen ex populis liberis multi donati civitate sunt; nec quæsitum est, quod accusator nunc in Balbo quærit, utrum ij populi fundi facti essent, an non. Deinde si accusator dicit fœdera esse sacrosancta, adeoque non violanda sine populi consensu; non consensisse autem populum Gaditanum, ut Balbus civitatem mutare posset. Respondet Cicero fœdus Gaditanum non esse sacrosanctum, quia de eo neque ad populum neque ad plebem latum sit: sacrosanctum autem esse nihil posse, nisi quod populus plebsve sanxerit consecratione capitis, & obtestatione legis. 3. Exemplo summorum Imperatorum, qui tam fœderatos, quàm liberos civitate donarunt, sine populi consensu. 4. Perpetua consuetudine civitatis Romanæ, in quam asciti sunt tam multi, sine mentione fœderis, aut populi fundi.

Artifi-

Artificium seu insinuatio oratoris est, ut aptè ad causam definiat fundum populum, suamq; definitionem stabiliat lege, fœdere, auctoritate, consuetudine: quam etiam definitionem ut ratam habeant judices, deprecatur 1. à persona Cornelij Balbi, ejusq; rebus integrè & fortiter gestis. 2. A persona Cn. Pompeij, & C. Cæsaris, quibus Balbus est admodum charus. 3. Ab invidia adversariorum, qui non tantum Balbum, sed huius etiam amicos oppugnant in hac causa.

PERORATIO.

IN causa jam aperta, & satis probata, 1. respondet Cicero invidis accusatoribus Cornelij Balbi: quorum maledicta quidē de pecunijs, de luxuria, de Tusculana villa, de Tribu Crustumina facilè refellit. n. 56. *Intellige judices.* Magis Orator pertimescendos putat Balbo eos, qui inimici sunt, aut invident suis amicis: nam inimicitias removet à persona Balbi, qui semper omnes bonos coluit, omnium fortunæ, dignitatique cessit, neminem in communibus discordijs læsit, Ciceronem sublevavit. n. 58. *Qui amicis L. Cornelij.*

Verùm istiusmodi inimicos amicorum Balbi, jubet Orator cum ipsis Ducibus, id est, Pompeio & Cæsare, non cum comitatu, assectatoribusque, id est Balbo confligere; suadetque eas inimicitias aut deponere, aut eas non retinere, nisi quamdiu aut proficiunt, aut certè non obsunt civitati. n. 59. *Non igitur à suis.*

2. Deprecatur Cicero judices à persona C. Cæsaris, quā familiarem habet Balbum; cujus proinde damnatio isti gloriosissimo viro absenti erit gravissima. n. 63. *Quid enim est.*

Subjectā anacephalæosi totius contentionis hoc est, judicio Imperatorum, judicum, populi, Senatus de Balbo cive Romano. n. 64. *Misereamini eius.* Concludit judices in hac causa non de maleficio Cornelij Balbi, sed de beneficio Cn. Pompeij judicaturos. n. 66. *Postremò illud.*

ANNOTATIO.

Ista peroratio est perfecta recapitulatio insinuationis, & argumentorum, propter quæ Balbus censeri debeat jure & rectè civis Romanus.

DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS.

Argumentum, Quæſtio, Stylus.

C. Sempronius Gracchus in tribunatu legem tulit, ut provincia Conſulares à Senatu quotannis decernerentur, & annua tantum eſſet earum adminiſtratio. Ex ea lege Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Philippus Marcius Conſules, retulerunt ad Senatum de Provinciis Conſularibus decernendis. Ea tum quatuor erant, de quibus varia ſententia dicta ſunt, Macedonia, cui L. Piſo; Syria, cui A. Gabinius; Gallia dua, quibus uno imperio conjunctis præerat C. Cæſar. Qui ante Ciceronem ſententiam dixere, id omnes, excepto P. Servilio, ſpectàbant, ut Cæſari, quem peſſimè oderant, vel omnino totum auferretur imperium, adempta utraque Gallia, vel certè ulteriore, aut citeriore detracta, minueretur. Contradixit Cicero, ſententiam rogatus: de Cæſare, magnas res gerente, propoſita Reip. utilitate, nihil mutandum cenſuit, Piſonem autem, & Gabinium quandoquidem non modo laude dignum nihil gererent, ſed etiam provincias avarè, crudeliter, ſuperbè adminiſtrarent, eſſe revocandos. Itum eſt in eius, & P. Servilij ſententiam: revocati Piſo & Gabinius, & Cæſar retentus. Manut.

Quæſtio eſt in genere deliberativo, an Piſo & Gabinius ſint revocandi è provincijs Conſularibus, ille è Macedonia, hic è Syria; Cæſar autem retinendus in Galliis.

Stylus eſt mediocris ſeu temperatus.

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Cicero non affectu vindictæ, sed Reip. post P. Servilium, dicit sententiam contra Gabinium & Pisonem.

PROPOSITIO. Piso & Gabinius sunt revocandi è provinciis Consularibus, ille è Macedonia, hic è Syria; Cæsar autem retinendus in Galliis.

ARGVMENT. 1. Quia Piso & Gabinius malè administrant provincias.
2. Cæsar in Galliis magnas res gerit, utilitate solius Reip.

ARGUMENTATIO.

1. ARGVM. Piso & Gabinius modò conjunctim, modò separatim improbè, avarè crudeliter provincias vexant: igitur Piso & Gabinius malè administrant provincias.

2. ARGVM. Cæsar utramque Galliam affecto jam bello perdomuit: igitur Cæsar in Galliis magnas res gerit.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

1. ARGUM.

Piso Macedoniam permisit excursionibus Thraciis vexari: exercitum Romanum passus est fame & morbo consumi: expilavit Achaiam, *Dyrrhachium*, *Bizantium*.

Gabinius avaritiâ afflixit Syriam, exercitumque Romanum: magnas Publicanis injurias fecit: supplicationem à Senatu non obtinuit magnâ ignominiâ. Piso autem de suis rebus certiorem facere Senatum non est ausus.

2. ARGUMENT.

Cùm priùs ipse Cicero decreverit Cæsari honores pròpter hominis ornamenta, cur non eidem nunc quoque Gallias decernat? nam hiç vir non privato commodo, sed solius Reip. felicissimè subjugat Gallias à nullo adhuc Imperatore Rom. domitas. Quare sententia eorum, qui volunt Cæsari imperium minui, periculosa est Reip.

PERORATIO.

Cicero decernit Gallias Cæsari, spectatâ utilitate unius Reipub.

EXOR-

EXORDIUM.

ETsi nemo dubitat, quid Ciceroni conveniat, & necesse sit de provinciis sentire: non tamen suam sententiam dicit aut primus, aut solus, aut ex affectu doloris & vindictæ in Pisonem & Gabinium, à quibus vehementer est læsus; sed dicit ex utilitate Reip. cum justo sensu omnium, post P. Servilium, qui istos Consules duos notavit. *Num. 1. si quis vestrum.*

ANNOTATIO.

Insinuatione Orator præmunit sententiam suam auctoritate P. Servilij, ac utilitate Reip. ne videatur ex affectu odii (qui pessimus est consultor) sentire.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est, Piso & Gabinius sunt revocandi è provinciis Consularibus, ille è Macedonia, hic è Syria; Cæsar autem retinendus in Galliis.

Distributio seu argumenta sunt, 1. quia Piso & Gabinius malè administrant provincias. 2. quia Cæsar in Galliis magnas res gerit utilitate solius Reip.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Piso & Gabinius malè administrant provincias*, hoc enthymemate Orator dilatat: Piso & Gabinius modò conjunctim, modò separatim improbè, avarè, crudeliter provincias vexant: ergo Piso & Gabinius malè administrant provincias.

Antecedens 1. amplificatur præteritione eorum, quæ ante obtentas provincias conjunctim isti Consules improbi fecerunt. *Num. 3. Decernenda nobis,* 2. amplificatur triplici crimine, quod Piso separatim in Macedonia commisit: istam

istam enim provinciam permisit excursionibus Thraciis vexari. *Num. 4. Ad ipsas venio.*

Exercitum verò Romanum passus est injuriâ, fame, morbo, vastitate consumi. *Num. 5. Iam verò exercitus.*

Tum expilavit Achaiam, Dyrrhachium, præcipuè Bizantium avaritiâ, libidine, sacrilegiis, crudelitate afflixit, quod præteritione auget Orator. *Ibid. quis ignorat Achæos.* 3. amplificatur itinere & adventu Gabinii in Syriam seu cæde exercitus Romani; item ejus avaritiâ & latrociniis in administratione istius provinciæ. *Num. 9. An verò in Syria.* Maximè persequitur Cicero injurias Publicanis factas à Gabinio; namque hic istorum hominum honestorum, & parcorum vectigalia evertit, quibus, in his angustiis ærarii, subveniat Senatus necesse est. *Num. 10. Iam verò Publicanos.*

Concludit utrumque de provinciis diripiendum esse tum judicio Senatus (qui superiore anno istos Consules revocasset, si liber fuisset) tum insustâ Gabinio ignominiâ (quanquam hæc est cum Albucio communis, sed dissimili ratione) quando idem Senatus litteris Gabinii supplicationem denegavit: Piso autem de suis rebus certiorem facere Senatum non est ausus. *Num. 13 Hos verò de provinciis.*

Propositionis secundum argumentum, *Cæsar in Galliis magnas res gerit utilitate solius Reip.* hoc enthymemate conficitur: Cæsar utramque Galliam affecto jam bello perdomuit: ergo Cæsar in Galliis magnas res gerit utilitate solius Reip.

Sed ante hanc argumentationem refellit Cicero aliquos, qui censent Pisoni & Gabinio prorogandas esse provincias. *Num. 17. Atqui duas.* Refellit etiam quendam Senatorem, qui negat Ciceronem inimicitiorem Gabinio debere esse, quàm Cæsari; quia hic impulsor atque adjutor fuit tempestatis in Ciceronem excitatæ. Cui respondet Cicero se exempla clarorum virorum sequi, Scauri, L. Crassi, Metellorum, qui Marium tametsi inimicum, non detraxerunt è provincia. *Num. 18. qua de re dicam.* 2. Respondet item exemplo M. Lepidi, T. Gracchi, L. Philippi, Servilii, Luculli, Metelli, se cum Cæsare inimicitias deponere bono Reip. *Num. 20. Ergo ego Senator.* 3. Respondet se Cæsari, propter ejus merita in Remp. non posse non amicum esse; inimicissimum verò hostibus Reip. *Num. 22. An ego possum.* 4. Respondet se exemplo Senatus redire in gratiam cum Cæsare, ipsique honores decernere. *Num. 25. Cur igitur expectem.*

5. Re-

5. Respondet comparatione, se antea sine reprehensione Cæsari quindecim dierum supplicationem, & stipendium exercitus, & decem legatos decrevisse: cur jam eidem non possit magna Reip. utilitate utramque Galliam decernere? *num.* 26. *Sed quid est.*

His præmissis:

Antecedens Enthymematis amplificatur 1. subjectione, & distributione, quod nullâ causâ alia, velit Cæsar commorari in Gallijs, nisi ut bellum perficiat, magno Reip. bono, non suo privato affectu. *num.* 29. *Nam ipse Cæsar.*

Amplificatur 2. proposita difficultate Galliam domandi, cæteris etiam domitis. *num.* 30. *Ego verò sic intelligo.* At Cæsar (felicior C. Mario) totam ferè Galliam subjugat, ut Germanos, Helvetios; cæteras nationes, Romano imperio timendas, una aut altera æstate subjugare solus potest. *n.* 32. *Itaque cum acerrimis.*

Concludit Cicero retinendum esse Cæsarem in Gallijs, magna Reip. utilitate, non privato commodo. *num.* 35. *Quare sit in ejus.*

Absoluta argumentatione, confutat eorum sententiam, qui Cæsari volunt imperium minui, si non ademptâ utrâque Galliâ, certè altera, vel ulteriore, & citeriore. Nam is, qui Cæsari ulteriorem tantùm Galliam cum Syria decernit, imprudenter perturbat spem belli Gallici; approbat legem Vatiniam, quam Senatus esse legem negat; decernit Cæsari provinciam, cui possit intercedi, adeoque beneficium Senatus violat. *num.* 36. *Nam illa sententia.*

Alter sapientius quidem Cæsari citeriorem Galliam decernit: at si ante calendas Martias (ut ipse est auctor) revocetur Cæsar è citeriore Gallia, offendetur populus, qui ad id tempus eam provinciam Cæsari concessit; si post calendas, designatus Consul carebit provincia. *num.* 37. *Alter belli.* Accedit hoc incommodi ad has sententias, quòd Piso remanebit in provincia, ac Cæsar ægrè feret contumeliam, seu diminutionem provinciæ: quare provideri debet, ne hunc fortem ac summum virum offendat, & à se alienet Senatus, quem eximijs honoribus affecit, & optimatibus reconciliavit: quod est absurdum, & Reip. periculosum. *num.* 38. *Attamen his sententijs.*

Atque eodem argumento Cicero, aut potius Cæsaris virtute fretus, respondet Marcellino Consuli, timenti, ne si Cæsari

citerior

citerior Gallia non aufertur, postea populus (uti rogationē Vatiniā fecit) alteri quem volet,& quem Senatus non volet, eam provinciam tradat. *Num.39.Monemur à fortissimo.*

Digreditur Cicero seu iterum dilabitur ad eos, qui dicebant ipsum cum Cæsare non Reip. causa, sed illius felicitate commotum, sibique privatim consulentem, rediisse in gratiam. Quibus ostendit prætermissione sibi amicitiam constitisse cum Cæsare ab adolescentia. *Num.40. Sed non alienum.* Deinde in Consulatu Ciceroni Cæsar amico animo quinqueviratum, & legationem obtulit: quanquam hæc ille fortiter pro Rep. repudiavit. *Num.41.Posteaquam sum.* Clodio quidem; ut is tribunus fieret, Cæsar favit: at hunc facilè Cicero excusat, præsertim oblatâ legatione, quâ Cicero Clodii impetum vitare potuit; aliisque beneficiis à Cæsare acceptis pro suo reditu, quæ omnem penitùs injuriam delere possunt, *Num.42.traduxit ad plebem.*

Quare concludit se per adversarios posse, si non gloriari de amicitia Cæsaris, at grato animo ejus acta defendere. *Num.44 Ego verò.*

Aut si inimici Cæsaris acta impugnant, certè ipsi tribunatum Clodii, omnesque hujus leges ratas habere non debent. *Num.45.Nam Summi Civitatis.*

ANNOTATIO.

Quia Ciceroni detrahendi sunt è provincia Piso & Gabinius, retinendus Cæsar, sapienter cavet, ne odio adversus illos, aut erga hunc gratiâ adductus, sententiam suam proferre videatur. Quamobrem longe à sua & Cæsaris persona omnem privatum affectum removet, proposito unicè Reip. bono: profitetur enim summorum virorum exemplo, se cum Cæsare inimicitias, Reip. causa, deponere; sed, cum inimicitia nunquam fuerint, opinionem injuria, beneficio esse extinctam; ad hac spectare se dignitatem Cæsaris, Senatus concordiam, auctoritatem, constantiam, & perpetuam Gallici belli rationem. Cæsari verò, contra inimicos, sic censet prorogandam esse utramque Galliam, ut multa commoda Reip. ex hac prorogatione; ex diminutione autem imperii, ignominia, & alienatio Cæsaris à Senatu sequi possit. Denique rebus gestis, ac virtute Cæsaris amplificata, ostendit nihil aliud, tam à Cæsare, quàm à se, expeti, nisi publicam utilitatem imperii Romani. De Pisone & Gabinio non laborat, quos conglobatus effectis

vocat

vocat in invidiam, quod non modò laude dignum nihil gerant, sed etiam Provincias improbe, avare, crudeliter vexent.

PERORATIO.

Repetit cicero summatim, quod in contentione dixit; scilicet cæsarem (quidquid inimici reclameat, aut reprehendant) in Galliis retinendum, non privato Ciceronis, aut ipsius cæsaris bono; sed unius Reip. & Senatus utilitate. *Num 47. Extremum illud.*

ANNOTATIO.

Sola anacephalaosi argumentorum utitur Orator, quia forte superfluum esse apud Senatores putat pluribus movere affectibus voluntatem, quando rationum pondere convicta est intelligentia.

IN L. PISONEM.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Cum revocati essent (ut loquitur Pedianus) ex provinciis Piso & Gabinius sententiâ Ciceronis quam dixerat de provinciis consularibus, Lentulo, & Philippo coss. reversus in civitatem Piso de insectatione Ciceronis conquestus est, & in eum invectus. Pisoni Cicero respondit hac oratione: quæ vehementem continet vituperationem Pisonis tum ab ejus publicis flagitiis in consulatu & Provincia consulari, tum privatis luxuria, nequitia, crudelitatis, avaritia.

Quæstio est in genere demonstrativo, an L. Piso sit homo sceleratus.

Genus dicendi est vehemens & amplum.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Ex abrupto per indignationem, quòd Piso, nulla virtute factus est Consul.

PROPOSITIO. Piso est homo sceleratus.

ARGUMENTA. 1. Quia impiè Consulatum gessit. 2. Turpiter ac nefariè provinciam Consularem administravit. 3. Privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, avarè.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Piso Consul sceleribus Remp. & cives vexavit: igitur Piso impiè Consulatum gessit.

2. ARGUM. Profectio Pisonis in provinciam Consularem, & res in ea gestæ & reditus in patriam, sunt cum dedecore & scelere conjuncta: igitur Piso turpiter ac nefariè provinciam Consularem gessit.

3. ARGUM. Piso omnibus est odio propter privata scelera, & sordidas libidines, & crudelitatem, & avaritiam: igitur Piso privatim multa egit nequiter luxuriosè, crudeliter, avarè.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

1. ARGUM.

Cicero propria virtute; Piso nullâ corporis & animi dignitate magistratus est affecutus: imò sceleratus hic Consul ludos compitalitios renovavit; Æliam & Fusiam legem, & Censuram evertit; Ciceronem prodidit, & crudeliter in exilium ejecit. Quare non est Piso Consul, aut dignus Consulis nomine, qui tam impiè patriam & cives vexavit.

2. ARGUM.

Discedentem Ciceronem omnes sunt honore & precationibus prosecuti; nullus Pisonem. Jam in exilio, frequentissimus Senatus, splendidissimis decretis Ciceronem revocavit, Piso in provincia, amisso exercitu, exercitis latrociniis, nunquam ausus de suis rebus gestis Senatum monere, non triumphavit. Atque insignis est hæc Pisonis & Gabinii infamia, pœnaque scelerum (nam exilium Ciceronis, aut mors, aut alius casus non est supplicium bono fortique viro) turpissimè provincias Consulares administrare. Tum reditus Ciceronis maximè gloriosus fuit; Pisonis obscurus & sine triumpho: nisi fortè homo, Epicureus Piso, dissimili summorum virorum exemplo, triumphum non cupit; epulari ac prædari mavult; qua quidem re quid abjectius?

3. ARGUM.

Piso egregius Epicuri discipulus, sordidissimis conviviis honestos ludos postponit: denique imperitè grammaticus versum Ciceronis reprehendit, ac illo versu præposterè Cæsarem & Pompeium Ciceroni offensos dicit. Crudelitas verò Pisonis ex nece Platoris & Rob. centi, & direptione fani Jovis constat. Denique avaritia variis latrociniis, violatis legibus, provinciis vexatis, non soluto militibus stipendio, invisa est omnibus.

PERORATIO.

Cicero terret Pisonem non tam severitate imminentis judicii, quàm conscientia scelerum: atq; hanc ipsi assiduam esse furiam gaudet.

X

EXOR.

EXORDIUM.

INdignatur Cicero Pisonem nullâ virtute factum esse Consulem, sed solà commendatione nobilitatis, & simulata fronte, quâ vitia sua texit. Num. 1. *Iamne vides.*

ANNOTATIO.

Deest procul dubio principium huic orationi: conjici tamen potest Oratorem dolore & iracundia abreptum dicere incepisse contra Pisonem, quem vitiis corporis & animi servilem atq; abjectum Consulem notat, multis synonimis, & enumeratione partium.

CONTENTIONIS
Propositio & distributio.

COntentionis Propositio est, Piso est homo sceleratus. Distributio seu argumenta sunt. 1. Quia impiè Consulatum gessit. 2. Quia turpiter ac nefariè provinciam Consularem administravit. 3. Quia privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, avarè.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Piso impie Consulatum gessit*, hoc Enthymemate Orator explicat: L. Piso Consul sceleribus Remp. & cives vexavit: ergo L. Piso impiè Consulatum gessit.

Antecedens 1. assurgit dissimili gloriatione Pisonis & Tullii, quod ille non suâ, sed majorum virtute, hic solâ propriâ omnes magistratus sine repulsa sit assecutus. *Num.* 2. *Is mihi etiam.* 2. Assurgit dissimili utriusque parto, & gesto Consulatu: nam de parto Consulatu, à tempore, & modo indignatur Tullius dicere. *Num.* 3. *Nam quid ego.*

De gesto primùm fusâ repetitione recenset sua præclarè gesta, & acceptos honores. *Num.* 4. *Ego Calendis.* Deinde Scelera Pisonis Consulis in Remp. & Ciceronem civem enumerati

rat: 1. Quòd ludos compitalitios renovari per Sex. Clodium passus sit; contra Senatus consultum. *Num* 8. *Aude nunc, ô furia.* 2. Quòd legem Æliam & Fusiam everti, severitatem Censoriam tolli sinuerit: quod exaggerat præsertim ab istarum legum & Censuræ antiquitate. *Num.* 9. *Ergo his fundamentis.* 3. Quòd servorum delectus haberi, arma in templo Castoris à Clodio constitui; Ciceronem ab eodem opprimi perfidus Piso consul tulerit. *Num.* 11. *Pro Aurelio* Atque istius proditoris fictam excusationem rejicit; quippe temulentus postea; improbissimè respondendo; & turpissimè ructando, Ciceronem domo ejecit. *Num.* 12. *Mihi verò ipsi.* 4. Quòd in concione non tam Ciceronem, quàm ipsum Senatum crudelitatis crimine condemnavit. *Num* 14 *Item illo fere.* Ex hoc Orator digreditur, & Pisonem, & collegam Gabinium, & Clodium, Catilinæ simillimos ostendit ab effectis, aut ipso crudeliores; quia insuper Ciceronem domo sua expulerunt, & Cn. Pompeium domum suam compulerunt. *Num.* 15. *Quid enim interfuit.* 5. Quod in eadem concione Senatum dolere vetuit, & mutare vestem: quod crudele factum acri primùm ironiâ, dein comparatione barbarorum amplificat Tullius, *Num.* 17. *Sed jam redeo.*

Occasione istius concionis delabitur ad id quod oratione sua Piso dixerat; Ciceronem suum auxilium non flagitasse contra Clodium, atque ità discessisse. Cui respondet se Consulis; non stolidi Pisonis auxilio eguisse. *Num.* 18 *At quærebat etiam.* Discessisse autem; non quòd (longè alia est causa Metelli, cui confligendum fuit cum fortissimo viro, & Consule Mario) sibi certamen esset cum ignavis hominibus; & Epicureis; quos non pertimescebat. *Num.* 19. *Attamen si consilium.*

Sed quòd sibi alia pericula seu certamina (nota allegoriam) impenderent (à Cæsare Pompeio; Crasso) quibus cessit cum luctu omnium at gratulantibus & epulantibus istis Consulibus. *Num.* 21. *Alios ego vidi.* Post hæc ulterius assurgens ac progrediens Orator negat L. Pisonem propter sua scelera Consulem fuisse, aut dignum Consulis nomine: quod insigni amplificatione & Consulis definitione per negationem & affirmationem demonstrat. Neque enim Piso est Consul, qui lictores & togam habet qui tollit Senatum; qui Remp. vexat, cives prodit; *Num.* 23:

Tu etiam mentionem. Neque Piso est Consul, qui ne ad magistratum quidem ullam habet animi, aut corporis dignitatem ipsa teste Seplasia sive Capua. *Num.24. Magnum nomen est.*

Hic subjicitur brevis ac lepida excursio in comptum Gabinium, unguentarios Capuanos, quos ridet Cicero, salvâ tamen ex his aliquorum gratiâ,quos sibi amicos habet. *Num. 25. Gabinium denique.* Neque Piso est consul, qui incendit domos civium,cui nemo paret, nemo assurgit, nemo respondet. *Num. 26. An tu eras.* Qui improbior Gabinio,se colligere gratiâ Pompeii, & Clodium suum nunquam deserere voluit. *Num.27. At ne tum.* Qui referre jussus ad Senatum de revocando Cicerone,ea se lege Clodiâ impediri dicebat,quam noverat esse injustam. *Num.29. An tum eratis.*

Propositionis secundum argumentum, *L. Piso turpiter ac nefariè provinciam Consularem administravit.* Cicero Enthymemate prosequitur. Profectio L.Pisonis in provinciam Consularem, & res in ea gestæ, & reditus in patriam sunt cum dedecore & scelere conjuncta : ergo L.Piso turpiter ac nefariè provinciam Consularem administravit.

Antecedentis 1. pars, *de profectione*, amplificatur opposito Ciceronis discessu in exilium, quem honore & precationibus omnes sunt prosecuti. *Num. 31. An,cum proficiscebamini.*

Antecedentis 2. pars, *de rebus gestis* amplificatur dissimili populi Rom. affectu erga absentem Ciceronem & Pisonem: nam Ciceronem,tametsi exulem,frequentissimus Senatus, una voce,summo honore, splendidissimis decretis, comitiisque revocavit. *Num.34. Me calendis Ian.*

Piso tanto imperio, exercitu, provincia nihil gessit, quod populi studium allexit : sed contra,provinciam afflixit exercitu & rapinis,nihil ausus de suis rebus gestis ad Senatum scribere, ex provincia Consulari non triumphavit. *Num.37. Confer nunc.* Atque refellit Cicero , & acutè irridet Pisonis responsum,qui se ajebat de victoriis suis ad Senatum scripsisse: cum interim provinciam vexasset, & oppida & exercitum amisisset , ejus impudentiam amici litteris suppressis condemnassent;denique ut in urbe nequior,sic in provincia paulò demissior fuisset,quàm Gabinius, qui à Senatu supplicationem per litteras postularat. *Num.39. Ne tum quidem.*

Quare exclamatione concludit Cicero & indignatur suam exulis fortunam deprimi , istorum verò proconsulum res ge-

stas ac scelera extolli. *Num. 41. O Dij immortales.* Mox fusissimè excurrens, negat auctoritate ipsorum Epicureorum, exilium, aut mortem, aut naufragium, aut aliquod esse supplicium putandum, quo affici casu ex aliquo, etiam boni viri fortesque possunt. *Num. 42. An ego, si te.*

Confirmat exemplis M. Reguli, C. Marii, M. Marcelli, *Num. 43. Nec mihi ille.* At supplicium esse ait nocenti, & conscio scelerum & fraudum; Pisoni quidem, qui famam & dignitatem amisit, qui scribere ad Senatum non est ausus, qui ex provincia non triumphavit, uti imperatores alii. *Num. 44. Quæ est igitur pœna.*

Et Gabinio, cujus litteris Senatus non credidit, cujus Consulatus est odio omnibus, cujus furor & insania, uti Pisonis, est sempiterna. *Num. 45. Dij immortales.* Atque hæc supplicia, & pœnas scelerum infligi à Diis ostendit fabulis, ut primùm crescat Pisonis insania, qui exercitum Romanum non modò non amisit, sed etiam dimisit contra leges, jura, exempla, famam. *Num. 46. Hac ego semper.* Deinde crescat Gabinii furor, qui direptâ Syriâ, seipsum & exercitum Rom. contra leges, regi Ægyptio vendidit. *Num. 48. Ecce tibi alter.*

Antecedentis 3. pars, *de reditu Pisonis in patriam*, amplificatur comparatione reditus Ciceronis, quem ipse describit ex concursu, & festa gratulatione totius Italiæ (per enumerationem) & sua domo reædificata. *Num. 51. Sed quoniam fortunarum.* Piso redit amisso exercitu, obscurus, à nullo invitatus, *Num. 53. Habes reditum meum.* Cui ne legati quidem ipsius, aut Candidati obviam iverunt, *ibid. ô familia.*

Præcipuè Cicero Pisonem vituperat, quòd ex provincia Consulari sine triumpho redierit: ac primum jocatur quâ portâ urbem intrarit nobilis Imperator. *Num. 55. Sic iste à tanto.* Deinde acuto dilemmate perstringit Pisonem, qui dixerat in Senatu se nunquam triumphi cupidum fuisse: vel enim hunc per tot scelera triumphi cupiditas, vel prædæ ad expetendam provinciam rapuit: non triumphi, ut profitetur homo abjectus; ergo prædæ. *Num. 56. At audistis.*

At facetus Orator philosopho Pisoni opponit summos viros, qui ex provinciis Consularibus cupidissimè triumpharunt. *Num. 58. Non est integrum.*

Facetissimè prosopopœia inducit Pisonem, qui præceptis Epicuri doceat ac hortetur generum Cæsarem, avidissimum

gloriæ, supplicationes non petere, aut triumphos; sed exemplo suo, provincias expilare. *n. 59. Sed quoniam præterita.*

Post has facetias seriò exclamat in sordidum Pisonem, qui triumphum contemnit, dissimili exemplo L. Crassi, L. Cottæ, M. Pisonis: ac brevi anacephalæosi tres enthymematis partes concludit. *num. 62. O tenebra.*

Propositionis tertium argumentum, *Piso privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, avare,* hoc enthymemate insectatur Orator: L. Piso est odio omnibus propter sua scelera, & sordidas libidines, & crudelitatem, & avaritiam: ergo L. Piso privatim multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, avarè.

Antecedens distributione ornatur. *n. 64. nunc etiam in hac.* Urgetur etiam ironicè conscientia Epicurei Pisonis, qui vel non audebit ad ludos Cn. Pompeij accedere, vel spectacula convivijs postponet. *n. 65. fac huius odii.*

Ista porrò luxuriosi Pisonis sordidissima convivia lepidè Orator describit hypotyposi. *n. 67. Luxuriam autem.* Confirmatque testimonio Menedemi, qui versibus libidines Pisonis scripsit: quamquam ab hoc erudito poeta, & honesto Epicureo omnem Cicero impudicitiæ invidiam removet, quam in Pisonem, nequam discipulum confert. *n. 68. Dicet aliquis.* Occasione versuum Menedemi prolixè digreditur Cicero in hunc versum à se scriptum: *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ:* quo versu dixerat Piso offensos esse Pompeium & Cæsarem. Primùm jocoso dialogismo Orator explicat Pisoni sensum huius versus, *n. 72. Sed idem casus.* Deinde tantum abest, ut propter hunc versum iratus fuerit Ciceroni Pompeius, à quo hic fuerat tot voluminibus laudatus; quin potiùs Ciceronem Pompeius semper dilexit, & ipsi opem ferre voluit, crudeliter obsistentibus improbis, & nefariè hunc à Cicerone alienantibus. *n. 75. Omitto nihil.*

Tum Cæsar, licet aliquando sententiâ, tamen voluntate nunquam fuit alienus à Cicerone, quem toto tempore Consulatus participem fecit consiliorum, quemque simul cum Pompejo revocavit ab exilio. *num. 79. Ego C. Cæsarem.*

Imo fac, id quod non fuit, Ciceroni iratum fuisse Cæsarem; certè ipsa virtus, quæ communiter Cæsarem & Ciceronem conjungit Reip. hos inter se copularet, & contentionem omnem, vel dissensionem componeret. *num. 81. Deinde hoc ita.*

Conclu-

Concludit Cicero, & comminatur se propter hanc Cæsaris amicitiam non parciturum esse Pisoni, qui id sperat & requisit. *num.* 82. *Quod quidem tu.*

Crudelitas Pisonis conglobatis effectis, & adjunctis exaggeratur. 1. Nece Platoris *num.* 83. *An verò tu parum.* 2. Nece Robocenti, & cæterorum legatorum, & bello Denseletis illato, ex quo multa mala provinciæ contigerunt. *n.* 84. *Idemq; tu.* 3. Direptione fani Jovis Velsuri, qui hoc scelus in milites Romanos expiavit. *num* 85. *A te Iovis.*

Avaritia Pisonis similiter coacervatis criminibus, & frequenti repetitione, vel præteritione exagitatur: 1. grandi pecunia Romæ in quæstu relicta, prætextu vasarij: Fufidio item, equite Rom. ad instar servi, debitoribus Pisonis addicto: tum exhaustis provinciæ civitatibus. per triennium exacto omni frumento. *num.* 86. *quid avaritia*, 2. judiciis ad turpe lucrum conversis, & armorum officina ad quæstum. *num.* 87. *quid ego rerum.* 3. impositis vectigalibus, venditis officijs, alijsque militiæ criminibus; ac mœrore Pisonis ad destinatum successorem provinciæ, quam nondum penitus exhauserat. *n.* 88. *quid vectigalem.*

4. Violata lege Julia. *Num.* 90. *mitto aurum.*

5. Vastatione Ætoliæ, atque urbibus captis, dimissoque exercitu. *num.* 91. *Ætoliam, qua.* 6. Præpostero Pisonis (exemplo Albutij) trophæo; cujus summum decus fuit, (odio suorum militum, quibus non persolverat stipendium) quæri ad necem, ni fugisset nocte; comminutâ interim eius statuâ. *num.* 82. *Atque ut duorum.*

ANNOTATIO.

Cicero Pisonem insectatur acerrimè, tum à publicis eius criminibus in Consulatu, & provincia Consulari, tum privatis nequitiæ, libidinum, crudelitatis, avaritiæ. Itaque vexatam impiè Remp. & afflictos cives ab isto Consule perfido ac stolido indignatur: 1. amplificatis eius nefarijs consilijs ac conatibus cum Gabinio & Clodio; 2. comparatione eius Consulatus cum rebus gestis Ciceronis; 3. coacervatis eius sceleribus, propter quæ Consulis nomen nunquam meruit. Turpitudinem autem Pisonis & dedecus ex provincia Consulari, perpetuò joco ac mordacibus facetijs Orator prosequitur; modò eius discessum è patria, vel ab-

sentiam, vel reditum carpit ut obscurum, sine laude & populi studio, sine triumpho, husque splendidè opponit suos honores, quando abijt in exilium, quando absens fuit, quando in urbem rediit: modò falsè ridet Pisonis responsa & litteras ad Senatum de suis victoriis: modò pungit acute cupiditatem provinciæ, non triumphi causâ, sed prædæ; istiusque Epicurei stultam philosophandi rationem lepidâ prosopopœia condit: modò seriò ejus insaniam ac furorem, auctoribus Diis, exponit. Iam privata scelera partim joco, partim seriò redarguit. Primùm nequitiam Pisonis ex odio omnium probat, & sordidas libidines festivâ hypotyposi ac testimonio Menedemi Epicurei; tum hoc loco interserit digressionem de suo versu callide, ut non modò Pompeium placare, sed etiam Cæsarem conciliare sibi possit, adversus Pisonem; Piso enim invectus erat in Ciceronem fiduciâ Cæsaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Deinde crudelitatem Pisonis triplici ex capite strictim complectitur. Postremò avaritiam conglobatis undiq; argumentis, acerrimâ interrogatione, repetitione, præteritione urget, excutit, amplificat, indignatur, increpat. In fine ut acerbitatem reprehensionis mitiget, aut tædium auditorum allevet, jucundum apparat triumphum Pisoni imperatori ex provincia Consulari redeunti.

PERORATIO.

Cicero Pisonem terret metu severioris legis ac judicii, quod ipsi imminet ob provinciam malè tractatam. *Num. 94. Quæ cum ita sint.* Quamquam non adeò Pisonem terrere vult Cicero ista judiciorum damnatione, quæ potest, ut exemplis patet, accidere etiam innocenti. *Num. 95. equidem, ut paulò.*

Sed maximè terret odio omnium mortalium, & conscientiâ scelerum, quæ præclara anacephalæosi objicit in os miseri & damnati Pisonis. *Num 96. An ego expectem.* Confirmat Cicero non eventis judiciorum, sed factis, Pisonis fortunam ponderari ac damnari. *Num. 98. An tu mihi.*

Denique amarus Orator non tam optat, & evenisse gaudet inimico suo Pisoni hanc judiciorum pœnam (quod potest esse improbis, & probis commune supplicium) quàm illam carnificem & assiduam furiam, viri scelerati, & omnia pertimescentis conscientiam. *Num. 99. Nunquam ego sanguinem.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Conficitur hæc Peroratio insigni enumeratione seu recapitulatione omnium, quæ per totam orationem sunt sparsa; tum affectu odij in Pisonem, non tantùm publici, sed & privati Ciceronis, qui lætatur evenisse isti, sceleratissimo viro, & sibi inimicissimo, longè gravius supplicium, quàm esse possit ista judiciorum, ac severa legis damnatio & pœna, quæ ipsi imminet.

PRO T. ANNIO MILONE.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

T. *Annius Milo, & P. Plautius Hypsæus, & Q. Metellus Scipio Consulatum petierunt, non solùm largitione palam profusâ, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni & Clodio summæ erant inimicitiæ: quòd & Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoq; eo enixè operam Reip. dederat: & P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoq; summè studebat Hypsæo & Scipioni contra Milonem: ac sæpè inter se Milo & Clodius cum suis factionibus Romæ depugnaverant. Præterea in eundem annum Consulatum Milo, Clodius Præturam petebat, quam debilem futuram Consule Milone intelligebat. Deinde cum diu tractæ essent comitia Consularia, perficique ob ipsas candidatorum contentiones non possent, Milo Lanuvium, ex quo erat Municipio, & ibi tum Dictator, profectus est ad flaminem prodendum. Postero die occurrit ei circa horam nonam Clodius paulò ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo bonæ Deæ sacellum est. Vehebatur Clodius equo, Milo rheda: Clodio erant servi XXX. ferè expediti, Miloni multo plures, inter quos gladiatores quoque erant, qui cum in ultimo agmine tardiùs irent, cum servis P. Clodij rixam commiserunt: ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus gladiator romphea trajecit, inde cum orta esset pugna plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulne-*

ratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiamsi subeunda esset pœna, exturbari tabernam jussit: atque ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver eius in via relictum, postea ante primam noctis horam lectica Romam perlatum, deinde ab uxore Fulvia, & Sext. Clodio cum concione, in rostris, denudatis vulneribus toti populo expositum ad commiserationem, & ad Curiam concrematum fuit. Quo igne & ipsa quoque curia flagravit. Incendium Curiæ majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quàm interfectio Clodij. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia: petebatque nihilo deterius Consulatum. Apertè quoque tributim in singulos millia assium dederat, ad defendendos de se rumores. Interea Romæ, quoniam propter eos tumultus comitia consularia fieri non poterant, alij ex alijs inter reges fiebant, Senatus-consultum factum est, ut Cn. Pompeius delectus tota Italia haberet, videretque ne quid detrimenti Resp. caperet. Postea quando factus est Consul, accusatus est Milo, nova Pompeij lege, de vi, ab Appio majore, M. Antonio, & P. Valerio nepote. Respondit eis unus Cicero, non ea qua solitus erat, constantia. Clodianorum clamore deterritus. Excepta est ejus oratio, quæ hodie non exstat; scripsit vero hanc ita diligenter, ut Pepianus jure primam putet, Quintilianus pulcherrimam, & nobilissimam appellet. Imò scribit Hermolaus, cum quidam Miloni Massiliæ hanc Ciceronis orationem recitasset, tum eum dixisse: O M. Tulli, si sic dixisses, non ederet Massilia barbatos pisces Milo. Cæterum causam damnationi ipsi Milo præbuit: qui huic de se judicio magno animo affuit: & nec comam, nec vestem reorum more mutavit: quam ob causam judices in se non parum commovit.

Quæstio hujus orationis est in jure judiciali, an jure Milo occiderit Clodium.

Stylus est gravis & copiosus.

SYNOP-

SYNOPSIS.

EXORDIUM. Ab adjunctis judicii, quæ Ciceroni ac Miloni plus afferunt fiduciæ, quàm timoris.

PROPOSITIO. Juré & cum laude Milo occidit Clodium.

ARGUMENTA.
1. Quia Clodius fuit insidiator Milonis.
2. Clodius sceleratus vir, & perniciosus Reip. fuit.

CONFUTATIO. Præjudicia, quæ jactant adversarii, non sunt contra Milonem. Nam plures qui occisum à se hominem fatebantur, absoluti sunt vel à populo Romano, vel à Senatu, vel à Diis ipsis: quin ipsæ XII tabulæ, & lex naturæ, & Cornelia, non vetant sicarium seu insidiatorem jure interfici. Deinde Senatus quid judicavit? vim esse factam; sed non contra fas à Milone. Tum Pompeius sapienter novam quæstionem tulit, non propter controversiam facti, aut dignitatē mortui, aut propter locum in quo cæsus est Clodius; sed propter disceptationem juris, temporisque rationem ut integra causa judicibus selectis traderetur.

NARRATIO. Luce clariores sunt insidiæ Clodii, à proposito ejus fine, & suscepto itinere, & loco pugnæ, cæterisque adjunctis.

AMPLI-

ARGUMENT.

1. ARGUMENT. Clodius multas habuit causas insidiandi Miloni; Milo nullam habuit causam insidiandi Clodio: igitur Clodius fuit insidiator Milonis.

2. ARGUMENT. Laus est sceleratum virum, & perniciosum Reipub. civem occidere: ejusmodi fuit Clodius: igitur cum laude Milo occidit Clodium.

AMPLIFICATIO, ET

1. ARGUMENTAT.

Utilitas, odium, violentia, impunitas, magnæ sunt insidiandi causæ: quæ non in Milone, sed in Clodio fuerunt. Nam Clodius sperabat, Milone interfecto, se Prætorem esse futurum, & legibus improbis Remp. vexaturum; Milo, vivo Clodio, Consul fuisset, & istius furorem Prætoris frænasset magna cum laude. Clodius oderat Milonem defensorem Ciceronis, repressorem scelerum, accusatorem suum: odium Milonis in Clodium, commune fuit omnibus viris bonis. Clodius sæpè vim fecit, in Ciceronem, in Hortensium, Vibienum, Pompeium, Papirium; Milo nemini violentus fuit, neque adeò ipsi Clodio; quem multis occasionibus, opportuno tempore, & loco, & omnium bonorum voto potuit occidere. Clodius ex impunitate, sæpè judicia pœnasque contempsit, & palam dixit, triduo, ad summum quatriduo periturum Milonem; & verò profectus ex urbe est tertio ipso die, nulla causa alia, expeditus, in equo, lecta servorum manu; & cognito Milonis reditu, hunc vesperi, ante fundum, locum pugnæ aptum, subitò adortus est; Milo nunc reus facti, ex necessitate

AFFEC-

AFFECTUS.

ivit Lanuvium, multis impedimentis, rheda, uxore; & cùm nihil conjicere posset de itinere Clodii, debuit iniquo loco, & tempore, & comitatu pugnare. Quòd si imparatus Milo occidit Clodium: ita evenit feliciter. Si Milo servos manu misit: nihil quæstione opus, ubi facti confessio. Si Appius quæstiones habuit; at non legitimè. Huc adde conscientiæ vim ac fiduciam, qua imperterritus rediit Milo; & fortitudinem, qua sparsos de se rumores contempsit.

2. ARGUMENTAT.

Iterum, iterumque gloriatur Milo se, clarorum virorum exemplo, occidisse perniciosum ac sceleratum Clodium; cujus quidem cædis mercedem exspectat ingrata civitate. Nam fuit hæc insignis populi Rom. fælicitas, ut Clodius, qui sequenti anno Prætor evertere Remp. statuisset, à forti viro Milone necaretur. Quamquam non tam singulari Milonis virtute, quàm Deorum providentia, & æquitate necatus est Clodius, etiam ante sacras aras, quas polluit; & sine honore sepulturæ.

PERORATIO.

Cicero misericordiam judicum exposcit tum à persona Milonis, qui vir est fortis, & amans Reip. tum à sua; quia per Milonem revocatus est in patriam. Ipsi verò Miloni Cicero amorem suum testatur omni dolore, & officio, atque etiam casu proposito.

EXOR.

EXORDIUM.

Dicere incipit Cicero ab adjunctis hujus judicij, quæ sibi & Miloni plus afferunt fiduciæ, quàm timoris. Timoris quidem causæ sunt duæ: 1. est ille timor, quem ipsi natura attribuit initio dicendi, quique objecta Milonis fortitudine videri possit turpior. 2. est nova judicij forma ac præsidium militum: utramque timoris causam prolepsis elevat. *n. 1. Etsi vereor.* At fiduciæ quinque sunt causæ, quas distributione subjicit: 1. est, Cn. Pompeij sapientia ac justitia. *num. 2. Sed me recreat.* 2. Est multitudo & accursus civium ad hoc judicium. *num. 3. Reliqua verò.*

3. Adversariorum clamor, & furor, & incendium curiæ. *ib. Unum genus.* 4. Est (quæ apostrophâ & cohortatione effertur) studium judicum erga fortes & bonos cives. *num. 4. Quamobrem.* 5. Est (quam allegoria ornat) Milonis fortitudo contra improbos. *n. 5. Quid enim nobis.*

ANNOTATIO.

Hoc exordio nihil callidius, nihil elaboratius. Arripit undique fiduciam Orator in ea causa, in qua ipse timorem suum tegere non potest; ac modò se insinuans in benevolentiam Cn. Pompeij (quem isto fortasse præsidio Miloni adversum videbat) modò frequentem populum concilians, ac judices, vel à sua, vel Milonis, vel adversariorum persona, certam expectati judicij spem concipit.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: jure Milo occidit Clodium.

Distributio seu argumenta sunt hæc duo: primum, quia Clodius fuit insidiator Milonis. Secundum, quia Clodius sceleratus vir & perniciosus Reip. civis fuit. *n. 6. Quamquam in hac causa.*

CON-

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Clodius fuit insidiator Milonis*, deducitur hoc enthymemate: Clodius multas habuit causas insidiandi Miloni; nullam habuit causam Milo: igitur Clodius fuit insidiator Milonis.

Verùm Orator ante argumentationem præmisit, confutatque tria hæc præjudicia: primùm, nefas esse eum vivere, qui hominem à se occisum esse fateatur. Secundum, Milonem jam esse damnatum judicio Senatus. Tertium, eundem Milonem esse damnatum etiam sententia Cn. Pompeij.

Primum præjudicium refellitur inductione seu exemplis plurium, qui jure homines occiderunt: nam populus Rom. absolvit Horatium, qui interfectam à se sororem fatebatur. *n.* 7. *sed antequam.* P. Africanus non condemnavit interfectorem T. Gracchi: neq; Senatus Ahalam, Nasicam, Opimium, Marium. *num.* 8. *nisi verò existimatis.* Poëtarum fabulæ Orestem, qui patris ulciscendi causa matrem necavit, à Dea absolutum ferunt. *Ibid. Itaq. hoc.*

Leges etiam seu 12. tabulæ furem, eumve qui nobis vim affert noctu vel diu, occidi non vetant: ut patet exemplo Clusij, qui ab adolescente milite, cui vim afferebat, jure interfectus est. *n.* 9. *Quod si duodecim.*

Imò lex est ista naturæ vim vi repellere: & lex est Cornelia, sicarium seu insidiatorem jure interfici posse. Antitheton, compar, repetitio hunc locum exornant. *n.* 10. *insidiatori verò.*

Secundum præjudicium convellitur contradictione, quia Senatus testimonio etiam Munatij, qui invidiosè auctoritatem Ciceronis criminatur non sententijs suis solùm, sed etiam studijs comprobavit causam Milonis; id est, Senatus judicavit quidem hanc cædem quia vis facta est) esse contra Remp. sed vim à Milone factam, aut Clodio (quem è Rep. esse sublatum approbat) contra fas necem esse illatam non judicavit. *num.* 12. *Sequitur illud.* Quod si Senatus quæstionem novam haberi voluit de hac cæde, id propter vim factam necessariò (uti aliàs in causa Opimij, Nasicæ, Marij) contigit, & propter intercessionem tribuni Munatij. *n.* 13. *Hanc verò quæstionem.*

Tertium

Tertium præjudicium ruit contra adversarios ipso Pompeij consilio, qui quæstionem hanc novam tulit non propter controversiam facti, sed propter disceptationem juris, id est, quæstionem instituit non de cæde quam fatetur Milo, sed de jure, quo Milo defendi possit rectè occidisse Clodium. *n. 15. At enim Cn. Pompeius.* Neque porrò quæstionem hanc instituit Pompeius sua sponte propter dignitatem occisi Clodij: quia (comparatio est majorum) nulla fuit nova quæstio instituta de cæde clarissimorum virorum, P. Africani, & M. Drusi. *n. 16. Nam illud dicit.* Neque quæstionem instituit propter locum, ubi cæsus est Clodius: quia hic in eadem ista Appia via ornatissimum equitem Rom. M. Papirium interfecit. *n. 17. Nisi fortè magis* Quin idem Clodius (qui Ciceroni tam sæpe & ubique locorum insidiatus est) in vestibulo ipso Senatus servum collocavit ad interficiendum Pompeium: nulla interim nova quæstione de eis factis decreta. *n. 18. Sed quid ego.* Concludit parva anacephalæosi, & ironica inductione Pompeium hanc quæstionem non tulisse propter necem Clodij, quam nemo luget. *n. 20. Sed stulti sumus.* Sed sapienter tulisse (nota insinuationem) temporis ratione, & pluribus ex causis; maximè prospecta fortitudine & æquitate selectorum judicum in hac causa, in primis L. Domitij, quem præesse voluit huic quæstioni contra populares furores. *n. 21. Non fuit ea causa.*

Confutatis præiudiciis transit Orator anacephalæosi, & præponit argumentationi etiam narrationem, quæ sit sedes ac fundamentum constituendæ fidei. *n. 23. Quamobrem judices.*

Atque insignis narratio probabiles exponit insidias Clodij ab proposito eius fine, & itinere, & loco pugnæ. Clodius enim cum statuisset omni scelere in prætura vexare Remp. nec posset pleno anno atque integro propter tracta comitia, nec vellet cum L. Paullo collega viro singulari virtute, aut cum Consule Milone præturam gerere, hanc in annum proximum transtulit. *n. 24. P. Clodius cum statuisset.* At cum isto anno Milonem certissimum Consulem intelligeret, neque id magno conatu impedire potuisset, statuit Milonem occidere; illudque consilium non semel professus est palam. *n. 25. Occurrebat mancam.*

Interim cum Miloni inter solemne, legitimum, necessarium

um esset Lanuvium ad prodendum flaminem, se ad illud iter rdè apparavit cum uxore, & pueris, in rheda, multis impedientis: Clodius subitò, pridie, relicta concione, in equo, & xpedito comitatu profectus est ad insidias loco & tempore ollocandas. *n.* 27. *Interim cum sciret.* Fit pugna & cædes in oco Clodianis aptiore: se acriter defendit Milo, quem cum ervi interfectum putarent, idque ex ipso Clodio audirent, iunc nec imperante, nec sciente, nec præsente domino occiderunt. *num.* 29. *Fit obviam Clodio.*

Narratio concluditur epiphonemate, & recapitulatione superius dictorum, cum disjunctione eorum, quæ ad quæstionem & statum causæ minus pertinent: subjecto etiam ad judices levi motu. *n.* 30. *Hac sicut exposui.*

His præmissis, quæ miro artificio serviunt argumentationi.

Antecedens enthimematis, *Clodius multas habuit causas insidiandi Miloni, nullam habuit causam Milo*, amplificatur aperta enumeratione ipsarum causarum, & dissimili collatione utriusque personæ.

Prima causa, quam habuit Clodius, insidiandi Miloni, fuit utilitas: quia Clodius Milone interfecto prætor fuisset; & legibus, quas tota jam urbe sparserat, nihil non audacter, sceleratè, impunè, conniventibus aut adjuvantibus Consulibus, contra Remp. egisset *n.* 32. *Quonam igitur pacto* Interseritur falsa excursio in Sext. Clodium, qui librarium istarum legum domo Clodij extulit, & incendij curiæ author fuit, & cruentum cadaver P. Clodij noctu crudeliter expositum reliquit. *n.* 33. *Exhibe quæso.* Contra, ab insidijs nulla utilitas Milonis fuit: quia vivo Clodio Consul fuisset, & istius Prætoris furores summa cum gloria fregisset: quæ quidem gloria, quoniam jam istius morte sublata est, non modò nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni, *n.* 35. *P. Clodij præturam.*

Secunda causa, quam habuit Clodius, insidiandi Miloni, fuit maximum odium P. Clodij in Milonem; nullum Milonis in P. Clodium unquam odium fuit, nisi commune: quid enim odisset Clodium Milo, segetem (ut jam dictum est) ac materiam suæ gloriæ? Milonem oderat Clodius, defensorem Ciceronis, repressorem scelerum, accusatorem suum; *n.* 36. *At valuit odium.*

Tertia causa, quam habuit Clodius, insidiandi Miloni, fuit

fuit consueta violentia; nam Clodius sæpe vim fecit, nunquam Milo. Clodius vim fecit, quando Ciceronem vi, non justa causa, ejecit: quando penè Hortensium, ipsum verò Vibienum, qui Ciceroni aderant, interfecit: quando socius Catilinæ fuit: quando insidiatus Pompejo & Ciceroni est: quando Papirium necavit, & nuper rursus penè Ciceronem. Atq; incisim hæc Orator congerit, ut majorem argumento vim addat. *n.* 37. *Reliquum est.*

Milo adeò vim nunquam fecit, ut multas occasiones (quas repetitio enumerat) occidendi Clodij prætermiserit. Nam Milo potuit impunè occidere Clodium, quando revocanti Ciceronem toti Italiæ, & clarissimis viris, Lentulo, Pompeio, de reditu Ciceronis legem ferentibus, restitit Clodius, crudelissima in foro cæde facta. *n.* 39. *Quid simile Milonis.*

Potuit occidere opportuno tempore, & loco, & omnium bonorum voto; quando Clodius impetum fecit in Pompeium, & à M. Antonio penè confectus est, aut in comitijs ab ipso Milone fugatus ad Tiberim. *n.* 41. *quid? privato Milone.*

Concludit Cicero pulcherrimè à majori ad minus, Milonem non attulisse vim aut necem Clodio. *n.* 42. *quem igitur.* Confirmatur Conclusio ab imminente comitiorum die: quo quidem tempore Milo, & omnes qui sapienter Consulatum petunt, offendere fragilem populum metuunt, aliqua vi aut cæde relata. *Ibid. præsertim in dies.*

4. Causa, quam habuit Clodius, insidiandi Miloni, fuit impunitas, quam Clodius sperabat, quippe qui sæpè judicia pœnasque contempserat: Milo hanc non sperabat, qui etiam nunc reus est facti aut præclari (si perniciosum civem, sustulit) aut certè necessarij si vitam suam defendit. *n.* 44. *quid? quod caput.*

Hæc impunitatis spes confirmatur verbis, ac confessione ipsius Clodij, per prætæritionem, & apostropham ad judices. *n.* 45 *sed quid ego.* Ipsa verò confessio convicta est duobus adjunctis: temporis, & loci. Ac temporis quidem: quia tertio ipso die, quo dixerat Clodius periturum Milonem, ipse ex urbe profectus est, sine causa, cum causa etiam remanendi, nempe ut concitatam concionem suam sedaret. At Miloni proficiscendi isto die Lanuvium non solùm causa, sed etiam necessitas fuit, ob statuta sacrificia. *ibid. quemadmodum igitur.* Deinde scivit Clodius facillimè ex Patina, alijsque permultis,

multis, Milonem fore eo die in via: cum de reditu Clodij nihil suspicari potuit Milo; quantumvis quæsierit. *n.* 47. *quid si ut ille.*

Nam quod Arrius & Cassinius dicunt corruptos à Milone, ut id sciret, servos Clodij; id quidem licentiâ concedit Cicero: verùm istorum hominum testimonia, quia comites sunt Clodij, & antea etiam falsum dixerunt, elevat. *Ibid. Milo de Clodij.*

Quin horum testimonia pro se Cicero ac pro Milone interpretatur: quia si Clodius in Albano fuit isto die mansurus propter Cyri mortem; igitur Miloni & Ciceroni (quem auctorem cædis faciunt adversarij, estque parva digressio) reditus Clodij fuit ignotus. *n.* 48. *Videte judices.* Igitur Clodius, quandoquidem non mansit in Albano, revera rediit Romam non propter mortem Cyri, quem pridie morientem reliquerat; sed ad insidiandum Miloni, quem appropinquare audiebat. *n.* 49. *nunc persequar.* Confirmatur, & patet ipsa res (etiam concessione) ex festinatione Clodij. *n.* 50. *sit ita factum.* Contra absolvitur Milo omni suspicione insidiarum à loco, & tempore: quia hic si de insidijs cogitasset, noctu substitisset ad monumentum Basilij (invidioso scilicet loco, & tempore suspicioso ad cædem Clodij) neque illi ante fundum occurrisset, *n.* 51. *noctu invidioso.* Itaque perspicua repetitione argumentorum superiùs allatorum concludit Orator probabiles esse insidias Clodij, non Milonis. *n.* 52. *Video adhuc constare.* Jam verò superior confessio Clodij convicta est altero adjuncto loci seu pugnæ, qui aptior fuit Clodio, quam Miloni. Mirificè exprimit hunc locum Cicero per hypotyposim & comparationem ab adjunctis, comitatu, facultate, & tempore. *num.* 54. *Videamus nunc.*

Digreditur Cicero, & respondet ad tres prolepses: ad primam, victus est Clodius; quia effœminatus & inscitus duxit vicit Milo, quia vir providus, nec imparatus ab insidiis. Adde incertos exitus pugnarum. *n.* 57. *Cur igitur victus est.* Ad secundam, Milo servos manu misit; quia ab his defensus quamquam libertas, quod fortiter dixit Cato, non est præmium his servis satis magnum. Porrò non metuit Milo, ne hi servi in quæstionem darentur, quia tormentis & quæstione non est opus, ubi facti confessio est. *n.* 58. *Cur igitur eos.* Ad tertiam, quæstiones habitæ ab Appio de servis Clodij nihil urgent Milonem: quia non licet contra dominum quæri

Minor multa scelera Clodij, stupra, ac violationes legum, injuriasque civium Romanorum, coacervatim & frequenti repetitione recenset. *Ibid. Sed cum auderet*. Præsertim amplificatione per incrementum, & hypotyposim ostendit patientiam populi Romani, ex ijs, quæ nefariè facturus fuerit Clodius, si prætor fuisset. *n. 77. Quamquam hac quidem*. Complexio constat iterata prosopopœia Milonis, qui præ se fert mortem Clodij non modò sibi gloriosam, sed etiam toti Reip. salutarem & jucundam. *n. 78. Quamobrem si*. Auget, & accumulat Orator Milonis laudem comparatione futuri Consulatus Milonis, quem jam omnes optant; & Præturæ Clodij, quam metuebat civitas, & boni oderant. *n. 79. Mandate hac*. Istum verò metum atque odium civitatis exprimit prosopopœia; nam si ab inferis revocari posset Clodius, ut esset prætor, nullus omnino, nec ipse Pompeius id faceret. *n. 80. Quin hoc attendite*. Hinc ad judices se convertit Cicero, ac bene sperare Milonem jubet ab ijs, quos conservavit, vel qui Clodium sublatum gaudent: præmia etiam, exemplo Græcorum, expectare jubet in grata civitate. *num. 81. Eius ergo mortis*. Sin ista merces accidet, ipsum jubet nunquam pœnitere facti: quia fortis viri est, proposita invidia, morte, pœna, nihilo segnius Remp. defendere. *n. 82. Quamquam hoc animo*. Verùm altius effert Orator gloriam Milonis, & magno artificio divinum efficit hujus facinus, perinde quasi non singulari Milonis virtute ac manu, sed Deorum numine ac vi interfectus sit Clodius, ad summam populi Rom. felicitatem. *n. 84. Sed huius beneficij*. Cælestem enim esse vim demonstrat Cicero, quæ Romano imperio provideat, ac in scelera animadvertat. *n. 85. Hac est profectò*.

Testes appellat huius rei tumulos, & sacras aras Deorum: quia Clodius in conspectu montis Albani, ubi locos exciderat, ante oculos Jovis Latialis, ante sacrarium bonæ Deæ, quam violarat, occisus est. *n. 86. Non est humano*.

Confirmat illam vim divinam à consequentibus: quod negatus sit Clodio post mortem honor sepulturæ, *num. 87. Nec verò non*.

Confirmat etiam ex misera populi Rom. fortuna isto anno futura (quam exaggerat enumeratione seu anacephalæosi scelerum Clodij) nisi hoc consilium Deorum fuisset, ut Milo Clodium necaret. *n. 88. Dura mihi*.

Augetur ista divina providentia seu populi Rom. felicitas, quòd nullus, præter Milonem, satis fortis Consul fuisset, qui Prætorem istum coërceret. *n.* 90 *An Consules.* Sed maximè augetur hac comparatione Minorum: si mortuus Clodius incendit curiam (de qua est definitio, & affectus doloris) & omnia permiscet; quanto magis si vivus esset Prætor. *n.* 91. *An ille prætor.*

ANNOTATIO.

Contentio vult non tantùm jure occisum esse Clodium à Milone, sed magna etiam hujus gloria. Quod ut persuadeat Orator, argumenta subtilius excogitat, eaque miro artificio disponit: sollicitè primùm amoliens præjudicia, & rem narrans callidè, tum quæ sunt adversa Miloni vel cautè supprimens, vel emolliens sapienter (præsertim suspiciones Cn. Pompeij) vel etiam fidenter pro sua causa interpretans, ad invidiam adversariorum. Sic verò sua confirmat, ut sententiarum pondere, & amplificationum vi, sensim se insinuet in benevolentiam judicum, & Consulis Pompeij; vel opportuna digressione prolepses elevet, vel à persona Milonis abstrahens orationem, excurrat in thesim, quæ faveat: denique ingeniosa est hujus contentionis machina: quam juvat fortassè enucleatiùs expendere. Hujus igitur causæ status cum sit conjecturalis, an Miloni insidiatus sit Clodius, rectè Orator veritatem indagat ex proposito fine Clodij, seu concepta utilitatis spe ex Milonis cæde: contra, ostendit nullum fuisse Miloni propositum finem occidendi Clodij, ut ex negatione causæ finalis, negatio effectus colligatur. Deinde ad causam finalem addit odium Clodij in Milonem, violentiam, impunitatis spem, convicium ipso tempore & loco testimonium: quæ longè à Milone removet Cicero: nam Milo Clodium non odit materiam ac segetem suæ gloriæ: à vi semper abhorruit: prætermissis tot occasionibus occidendi Clodij: impunitatem nunquam speravit, jam reus judicij: tempore & loco iniquiore pugnavit. His accedit Milonis securitas ac imperterrita revertendi in urbem fiducia, ex fortitudine & magna vi conscientiæ suæ concepta: quibus maximè conjectura cædis tollitur. Itaque tota hæc de insidijs quæstio (quæ propria est hujus causæ) ex triplici capite ducta & tractata est: 1. ex causis finalibus utriusque personæ, Clodij & Milonis. 2. Ex facultate

cultate insidiarum, atque adjunctis, præsertim loci & temporis. 3. *Ex consequentibus seu certa Milonis conscientia. Verùm major artifex Orator non est contentus probasse jus Milonis in occidendo insidiatore Clodio, sed forti Miloni insuper vertit gloriæ, quòd sceleratum virum & perniciosum è Rep. civem sustulerit. Cujus gloriæ ac fortitudinis prima sem na jecit passim in priore argumentatione, nunc amplè & apertè Milonem inducit prosopopœia gloriantem hoc facinus, & conjectis in cumulum sceleribus Clodij, hanc eadem ostendit approbari communi sensu civium, & Senatus, & Cn. Pompeij, & ipsorum Deorum, qui Romano imperio ac felicitati Reip. provident.*

PERORATIO.

PEroratio est insigniter ad commiserationem Milonis composita 1. Apostropha ad judices seu deprecatione, ut forti viro misericordiam tribuant: subjecta comparatione gladiatorum, quorum timidos & supplices odisse solemus, fortes & generosos servare cupimus. *num.* 93. *Sed jam satis*, 2. Prosopopœia Milonis, qui commemorat non ingratæ Reip. & Ciceroni, sua merita, & susceptos labores, nulla spe, aut mercede alia sibi proposita, præter hanc laudis atque gloriæ, sublato Clodio. *n.* 94. *Me quidem judices.* 3. Altera prosopopœia Ciceronis, qui testatur Miloni amorem suum, in primis dolore, si per eos judices, quos semper habuit amicissimos, & quibus non poterit irasci, fortis vir Milo à se divelletur. *n.* 100. *Hæc tu mecum.* Quamquam se solabitur Cicero recordatione nullius officij, vel periculi, vel mortis Milonis causâ prætermissæ; aut jam prætermittendæ, quando sibi mori satius est quàm Milonem perire. *n.* 101. *Nunc me una.* Iterum commendata Milonis fortitudine, qui nec lacrymis Ciceronis movetur, judices obtestatur, atque adstantes in foro milites appellat, ut tam fortem virum servent in patria. *n.* 102. *His lacrymis.* Deinde exclamat, dolet, queritur, dubitat quid responsurus sit liberis, & Q. Fratri, si Milonem, à quo per judices revocatus est in patriam, retinere in patria per eosdē judices sibi amicissimos non possit. *num.* 103. *O me miserum.* Exaggerat dolorem suum Orator

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Ptolomæus Auletes Alexandriæ Rex ob crudelitatem & avaritiam regno pulsus à civibus Romam venit, & auxilium petiit à Senatu. Ictum cum eo fœdus, reductioq; Lentulo Ciliciæ pro-Consuli Senatus auctoritate mandata est. Verùm consultis Sibyllæ oraculis, invenerunt Decemviri Regem Ægypti dolosis artibus aliquando Romam esse venturum: si auxilium peteret, fœdus cum eo facerent, ne tamē eum reducerent cum exercitu. Quare Lentulus Regis reducendi provinciam, quam & auctoritate Senatus & sorte habebat, interposita religione sine ulla dubitatione deposuit. Nihilo secius Rex instabat, multiq; Senatores, incertum an ejus pecuniâ corrupti eò propendebant, ut sine armis per legatos reduceretur: sed obsistentibus partim Alexandriæ legatis, partim principibus civitatis, Pompeio, Crasso, Lentulo eam legationem per amicos magna ambitione captantibus, cum nihil impetraret, à C. Rabirio Posthumo equite Romano pecunias mutuas accepit, sive ut, quod jactabatur, corrumperet Senatum , sive ut subornaret sicarios, qui legatos Alexandrinorum & Dionem principem legationis occiderent, sive ut, quod postea docuit eventus, Gabinium Syriæ proconsulem magnis præmiis ad opem sibi ferendam alliceret. Gabinius tribuit se mercenarium comitem Regi, signa contulit cum Alexandrinis, cepit Alexandriam Ptolomæū restituit in regnum Ægypti rejecto Archelao quem sibi Regem acciverant. Revocatus è provincia Gabinius, accusante C. Memmio, defendente Cicerone, qui sequestre Pompeio paucis ante diebus in gratiam redierat, lege Iulia repetundarum damnatus est. Eaq; lis decem talentûm millibus (quam summam à Rege accepisse dicebatur) est æstimata. Sed cùm is nec prædes dedisset, nec tātum ex ejus bonis, quanta summa litis fuerat, redigi potuisset, diē dixit Memmius accusator C. Rabirio Posthumo eo nomine, quod quodam legis Iuliæ capite cautum esset, ut si nec prædes dedisset is qui lis fuisset æstimata, nec summa litis ex ejus bonis publicatis colligi potuisset, tum demum inquireretur in eum, ad quem ea pecunia pervenerat. C. Rabirius autem promissa pecunia, qua Gabinius Regem Ptolomæum in regnum restituit, particeps credebatur, eaque causa non erat separata à priore, sed quasi quædam appendicula causæ judicatæ atq; damnatæ. Abrah.

Quæstio est in genere judiciali, an C. Rabirius Posthumus teneatur eo capite legis Iuliæ, quò ea pecunia pervenerit.

Stylus tenuis subinde amplior.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Lapsus est imprudentia Posthumus, at misericordiâ erigendus à judicibus: quia istius erroris causa sit partim fortuna, seu incerta Regis perfidia, partim studium imitandi patrem suum.

NARRATIO. Exponitur pluribus quàm in exordio, error Posthumi, in credenda Regi pecunia.

PROPOSITIO. Posthumus non tenetur eo capite legis Juliæ, quò ea pecunia pervenerit.

ARGUMENT. 1. Quia Posthumi causa est sejuncta à Senatu, qui corruptus ea pecunia dicitur.
2 Est sejuncta à Gabinio, qui condemnatus est.

ARGUMENTATIO.

1. ARGUM. Fuerit ea pecunia corruptus Senatus, quid ad Posthumū? nec enim hic Senatoribus dedit pecuniam; sed Rex ipse, qui hos corrupit: ergo Posthumi causa est sejuncta à Senatu, qui corruptus ea pecunia dicitur.

2. ARGUM. Est hoc novum & præter judiciorum morem, accusari equitem Romanum eo capite legis Juliæ, quò ea pecunia pervenerit; quando in æstimandis litibus appellatus non est, neque à teste, neque ab accusatore, neque ullo denique modo: ergo Posthumi causa est sejuncta à Gabinio, qui condemnatus est.

AMPLI-

AMPLIFICATIO, ET AFFECT.

1. ARGVMENTATIONIS.

Infirma ratione nititur accusator Memmius, cum Posthumi Senatus que causam eandem facit, quæ diversa maximè est. Nam ponamus (quod est dubium) Senatum fuisse corruptum; non tamen ipse Posthumus corrupit; sed solummodò pecuniam Regi amico dedit, nesciens, an istâ pecuniâ hic corrumperet Senatum: sicuti qui alicui pecuniam dat, non quærit, in quam rem is, qui accepit, erogaturus illam pecuniam sit.

2. ARGVMENTATIONIS.

O insolentem ac novam accusationem Memmii! neque enim quemquam vidit unquam Cicero (versatus in usu judiciorum) accusari sine appellatione, sine teste, sine accusatore. Adde, Posthumus est eques Romanus, ista, de repetundis, lege liber: pro quo jure, seu libertate tuenda semper equites Romani fortes fuerunt, & jam esse debent in hac causa Posthumi, ne quidquam de jure decedat. Præterea quæ objicit accusator Memmius, ut de pecunia quæ a Gabinio ad Posthumum pervenit, ut de procuratore, ut de pallio, ut de pecunia ex Decumis coacta, ut de testibus Alexandrinis, levia sunt argumenta: illud maximè iniquum accusari Posthumum proprio judicio, non communi cum Gabinio.

PERORATIO.

Inops est Posthumus, nisi maxima Cæsaris liberalitate conservatur: quis igitur judicum, neglecto Cæsare, cui Posthumus est charus, ab eo egente viro pecuniam etiam adventitiam petat, cui sua non redditur? propterea Cicero commovetur vehementer misera sorte Posthumi viri de se, ac de Cæsare optimè meriti; eumque judicibus commendat.

EXOR-

EXORDIUM.

ERrorem fatetur Cicero cum Posthumo: excusat tamen ab eventu seu incerta Regis perfidia, cui ille pecunias commisit. *Num.* 1. *si quis est*. Excusat etiam communi filiorum studio, ut patres suos imitentur in qua arte illi præstiterunt: adjuncta deprecatione ad judices, ne gravius affligant errore lapsum hominem. *Num.* 2. *sed tametsi*.

ANNOTATIO.

In proœmio operam dat Cicero, ut Posthumo, suam in credenda Regi pecunia temeritatem confitenti, judices accusatoris acerba criminatione alienos reconciliet. Ejus quoque temeritatis excusationem aliquam elicit ex imitatione communi; patrum enim, certis præsertim in studiis, omnes filii fere vestigia sequuntur. Itaque in hoc exordio lenes sunt etiam motus, seu primùm inflectuntur judices ad commiserationem Posthumi.

NARRATIO.

EXponit 1. quo pacto, natura duce, Posthumus non solùm in re mercaturis augenda, sed in amicis quoque locupletandis cum magnitudine animi, tum liberalitate, vitam patris & consuetudinem expresserit. *Num.* 3. *fuit enim pueris*. Exponit 2, quibus causis pecunias suas Regi expulso crediderit: nempe nihil blandius Rege, Posthumo nihil benignius fuit; & jam hic longiùs processerat dare, quàm ut desisteret. *Num.* 4. *Pulsus interea regno*.

ANNOTATIO.

Narratio confirmat insinuationem Exordij. nam ut supra Orator excusavit Posthumum à fortuna, cum dixit nos plerumque facere, ut consilia eventis ponderemus: sic hoc loco eundem excusat ab imitatione patrum, in quam nos ducit ipsa natura. Addit quædam etiam adjuncta, propter quæ Posthumus non potuit non pecunias credere.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est, C. Rabirius non tenetur eo capite legis Juliæ, quò ea pecunia pervenerit.

Distributio. 1. quia Rabirij causa est sejuncta à Senatu, qui corruptus eâ pecunia dicitur. 2. quia est sejuncta à Gabinio qui condemnatus est.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primum argumentum, *Rabirij causa est sejuncta à Senatu, qui corruptus ea pecunia dicitur*, hoc brevi Enthymemate vibrat Orator: fuerit ea pecunia corruptus Senatus, quid ad Posthumum? Nec enim hic Senatoribus dedit pecuniam, sed Rex ipse, qui hos corrupit: ergo Rabirii causa est sejuncta a Senatu, qui corruptus ea pecunia dicitur.

Antecedens Cicero ita probat primùm, ut Senatum vacare culpa significet, in quo benevolentiam captat à Senatoribus judicibus; deinde, ut, si commissum id sit, expertem atque inscium ejus criminis Rabirium ostendat similitudine: quia cum hic pecuniam Regi dabat, qua ille eam in re consumeret, nec scire potuit, nec debuit quærere. *Num. 6. Hinc primum exoritur.* Consequens subjicitur reprehenso C. Memmio. *Num. 7. Quamobrem neque.*

Propositionis secundum argumentum, *Rabirij causa est sejuncta à Gabinio, qui condemnatus est*, pari Enthymemate contorquet Orator: est hoc novum, & præter judiciorum morem, accusari Equitem Romanum eo capite legis Juliæ, quò ea pecunia pervenerit, quando in æstimandis litibus appellatus non est, neque à teste, neque ab accusatore, neque ullo denique modo: ergo Rabirii causa est sejuncta à Gabinio, qui condemnatus est.

Antecedens amplificatur 1. per exclamationem, & subjectionem ex diuturno usu Ciceronis in judiciis, *Num. 8. Quòd si item.*

Ampli-

Amplificatur 2. per dialogismum ex ipso judicum officio, qui non judicare debent Posthumum ea lege, qua non modò ipse, sed totus etiam Equester ordo solutus ac liber est. *Num. 11. Hic jam, judices.* Amplificatur 3. apostropha seu cohortatione ad Senatores, ut magna fide & constantia jus Equitum servent: ipsi enim Senatores, Pompeio iterum Consule, cum essent in Senatu, qui Equestrem ordinem lege Julia, de repetundis teneri vellent, æquitate adducti, quò minus quidquam novaretur, obstiterunt. *Num. 13. Hic ego nunc.*

Amplificatur 4. simili apostropha seu cohortatione ad equites Romanos ut tueri velint jus suum, id est, ne quis illos lege, de repetundis, accusare possit: hoc enim jam jus tentatur, uno Equite Romano, in judicium vocato; qui si damnatus erit, cur eandem sibi quisque calamitatem pertimescat. Addit pro sua in hunc ordinem charitate Cicero testimonium Glauciæ, & Majorum Equitum exemplum, qui M. Druso, Equestrem ordinem nova lege, de acceptis ob rem judicatam pecuniis, alligare conanti, summa constantia restitere. *Num. 14. Quid vos Equites.*

Digreditur Orator ad confutandum extra causam accusatorem Memmium. 1. Hic objicit pecuniam ad Posthumum à Gabinio pervenisse, quia Gabinium, ut Regem reduceret, Posthumus impulit. Refellit Cicero: quid opus fuit impulsore, aut suasore ullo, cum avaro homini Gabinio (ut dixit, & judicibus persuasit Memmius) decem millia talentorum, ut regem reduceret, promissa sint? Adde Gabinii confessionem, qui se reduxisse Ptolomæum dicebat utilitate Reip. & legis permissione, & cupiditate gloriæ. *Num. 19. Tu inquit, Gabinium.* 2. Objicit Memmius Diæcetem fuisse Posthumum, id est, procuratorem & dispensatorem regium: quo in munere, cum ex decumis pecuniam Gabinio colligeret, sibi quoque ipse collegit. Contra, ostendit Cicero (& pluribus infra) Posthumum in hac procuratione, carcerem, molestias, egestatem pertulisse; tantum abest ut sibi lucrum collegerit. Nunc fatetur, atque arguit Cicero stultitiam Posthumi, qui cum Eques esset Romanus, se, ac libertatem tradidit Regi Ægyptio; verumtamen hanc stultitiam tum exemplo doctorum virorum, Platonis, Callisthenis, Demetrii, tum alia majore imprudentia, qua pecunias Ptolomæo credidit, eluendam putat. *Num. 22. At Diœcetes.* 3. Memmius pallium

pallium objicit Posthumo, non alia ratione quàm lucri & pecuniæ. Est eadem semper, inquit Cicero, temeritas Posthumi; imo jam necessitas mutandi vestitus, tum ut isto munere suscepto Diœcetis fungeretur Alexandriæ, tum ut imperanti Regi pareret. Cæterum quotidiano exemplo multorum, (quod etiam in statuis videtur) & P. Rutilij potuit Rabirius pallium sumere pro tempore, & spe aliquando ad fortunas suas perveniendi. *Num.26. Itaque objicias.*

4. Objicit Memmius, dum Gabinio pecuniam Posthumus cogeret, ex decumis Imperatorum pecuniam sibi coëgisse. Refellit Cicero hoc dilemmate: si, ut vult Memmius, pecuniam sibi collegit Posthumus; utrum eam sumpsit ex decem millibus talentis Gabinio promissis, an præter illa decem millia, novam sibi pecuniam collegit? Si ex Gabinii pecunia, id est ex decumis eam sumpsit; at homo, ut ipse ait Memmius, avarissimus non tulisset. Sin præter decumas, centesimam exegit; ut, quæ decem millia esse debebant, fierent, addita centesima, undecim millia talentorum: quis credat, tam gravi onere tributorum, tantum præterea oneris imponi suis, Regem esse passum? *Num.30. At ex hoc ipso.5.* Pecuniam ad Posthumum pervenisse, testibus Alexandrinis legatis probavit Memmius. At hi non dixerunt in Gabinium, cujus ea nomine redacta pecunia est; cur iis dicere liceat in Posthumum, qui redegit? Non patitur id judiciorum consuetudo. Testium autem istorum fidem dialogismo rejicit Cicero; tum quia Græci sunt, tum quia semel jam mentiti sunt. Ubi parva digressione causam interserit, cur in gratiam redierit cum Gabinio *Num.31. Aderunt testes legati.*

Confutato Memmio redit Cicero ad antecedens propositi Enthymematis, scilicet non posse accusari aut damnari Posthumum, eo capite legis Juliæ, quo pecunia pervenerit. Atque amplificatur 5. idem antecedens ex perverso hoc judicio: nec enim Posthumus aliorum more, rei Gabinij (qui pecuniam à Rege accepit, & justè damnatus est) judicio accusatur; sed proprio judicio accusatur, quòd crediderit pecuniam Regi, nec eam receperit. *Num.37. Litis quo.*

Quod dicit Memmius, recepisse Posthumum pecuniam, sed abscondisse, deinde eâ pecuniâ dominatum esse Alexandriæ; tum permutasse illam pecuniam cum aliis mercibus: Cicero refellit primum à causa, quæ Posthumo fuit

nulla

nulla dissimulandi pecuniam; secundum refellit ex carcere, molestijs, egestate, quam pertulit Alexandriæ; tertium refellit ex levitate rumorum, sermonibusq; malevolorum, cum revera Posthumus egens sit, ut mox dicetur in peroratione. n. 39. *At habet & celat.*

ANNOTATIO.

Memmius (uti tradit Manutius) duo crimina Rabirio objiciebat: unum, quod Senatum corrupisset; alterum, quod eius pecuniæ pars, quam Gabinius ob restitutionem Ptolemæi regis acceperat, ad ipsum pervenisset, quo nomine in judicium ex lege Iulia de repetundis vocabatur. Quod ad Senatum attinet, objectionem illam Cicero refellit, causam Rabirij à Senatu sejunctam ostendens. Et hoc maximè utitur argumento, quòd, quamquam Senatus corruptus esset (id quod non concedit) tamen eo nomine in crimen vocari Rabirius non debuit: quia pecuniam illam Regi dederit, non Senatoribus, ut eos corrumperet. Iam, contra alterum crimen sic Cicero disputat, Sit hæc lex Iulia, ut, (quandoquidem damnatus Gabinius nec prædes dederit, nec ex eius bonis quanta summa litium litium fuerit, populus receperit,) inquirere oporteat in eum, ad quem ea pecunia pervenerit; non tamen illicò potest Memmius accusare Posthumum, quasi ad neminem magis ea suspicio pecuniæ pervenerit: nemo enim unquam propter ea legis verba, quò pecunia pervenisset, causam dixit, qui in æstimandis litibus appellatus non esset; Posthumus autem appellatus non est, neque à teste, neque ab accusatore, neque ullo denique modo. An igitur novo judicandi more primus accusabitur Eques Romanus, Quando equitum Romanorum illud est jus, ne quis eos, lege de repetundis, accusare possit: Quare gemina apostropha Orator tum judices, ac Senatores, tum Equites Romanos accendit contra accusatorem Memmium: atq; hac occasione alia illius argumenta levissima diluit. Deniq; Cicero queritur accusari Posthumũ, nõ communibus factis & judicijs cum reo Gabinio (ut sit quasi quædã appendicula causæ judicatæ atq; damnatæ) sed proprio judicio accusari levissimè & ex conjecturis. Ex his patet hanc contentionẽ magis niti confutatione adversarij, quàm confirmatione argumentorum: cum enim accusator levissimis probaret argumentis, magnam à Gabinio pecuniam pervenisse ad Posthumum; Cicero totus est in refellendo. Pergit interim jacere semina duorum affectuũ (quos in proœmio inchoa-

inchoavit, absolvet in peroratione) invidia in Memmium accusatorem iniquum, & misericordia in calamitosum Posthumum, Equitem Rom.

PERORATIO.

Cicero primùm inopiam Posthumi summam Judicibus commendat à persona Cæsaris, qui maximâ liberalitate Equestrem Posthumo dignitatem conservat. *Num. 41. Verùm autem, Judices.*

Amplificat Orator, ac eximiè prædicat hanc C. Cæsaris liberalitatem præ cæteris virtutibus: ut Cæsaris laus, & salus Posthumi Judicibus carior sit, quòd hic à tanto viro foveatur. *Num 42 Multa equidem.* Prosequitur Orator contra adversarios majori affectu inopiam Posthumi, quæ tanta est, ut nemo ejus bona nummo Sestertio sibi addici velit. *Num. 45. Satis multa.* Deinde à persona seu probitate ac fide Posthumi vehementer Judices obsecrat, ne adventitia pecunia petatur ab eo, cui sua non redditur. *Num. 46. ô miserum me.*

Tertiò à persona sua Cicero Judices ad misericordiam adducit, exhibendo non solùm lacrymas suas ac dolorem ex calamitate & miseria optimi viri, sed commemorando etiam merita Posthumi erga se. *Num. 47. Sed jam quoniam.*

ANNOTATIO.

Quod à principio expetiit Orator, majore vehementia evincit & obtinet in hoc artificioso orationis exitu: nam suspicionem magna pecunia, quam à Gabinio pervenisse ad Posthumum dicebat iniquus accusator Memmius, maximè removet, propositâ egestate Posthumi: quæ etiam egestas magis ostenditur opposita ac descripta C. Cæsaris liberalitate. Affectum verò misericordia in Posthumum aptè conficit à persona Cæsaris, & Posthumi, & sua; gratiam Cæsaris, probitatem Posthumi, dolorem suum Iudicibus probando.

PRO M. MARCELLO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

M. *Marcellus gesto Consulatu & virtute clarus, civili bello Pompeium secutus est: victusq; Pharsalica pugna, neq; cum iis, qui bellum in Africa renovandum putarunt, sua consilia conjunxit, neq; ad Cæsarem victorem, impetrandæ veniæ causâ, supplex ire voluit: Mitylenas, urbem à bello, & à belli suspicione remotam, se contulit; ibi satis diu, nullo revertendi in patriam studio, commoratus, cùm in publica calamitate conscientiâ se mentis optimæ consolaretur, & in litteris viveret, reditum ei Senatus à Cæsare impetravit, hac ratione: cùm in Senatu à L. Pisone mentio facta esset de Marcello, & cùm C. Marcellus, ejus frater, se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus Senatus consurrexit, & ad Cæsarem supplex accessit. Tum Cæsar repentè præter spem dixit, se Senatui roganti de Marcello non esse negaturum, tametsi dolores & acerbitates tulisset ab isto viro, & jam, parta pace, aliquorum insidias timeret. Cæterùm, adjecit se sibi & gloriæ satis vixisse. Cicero, qui statuerat in perpetuum tacere, non potuit non gratias agere Cæsari pro tanta magnitudine animi & clementia: & quamquam propter Marcellum habita oratio sit, ad conciliandam tamen & colligendam Cæsaris benevolentiam digreditur in eam partem, ut de querela Cæsaris, & suspicione insidiarum, dictisq; accuratè disputet.* Manut. Frig.

Quæstio hujus orationis est in genere demonstrativo, an maximè Cæsaris clementia laudanda sit ob restitutum Marcellum.

Stylus elegans, concinnus, temperatus aureo, quod mirè delectet Cæsarem, orationis flumine.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. A Clementia Cæsaris, qui cum Ciceronem diutiùs silere non patitur, tum, M. Marcello summa gloria restituto, simul Remp. ac Senatum maxima omnium lætitia restituit.

PROPOSITIO. Laudanda est maximè Cæsaris clementia, ob restitutum hodie Marcellum, simulque Senatum.

ARGUMENTUM. Quia maximè gloriosum est Cæsari restituisse eum hominem, simulque Senatum; à quibus offensus fuit.

ARGUMENTATIO. Cæsar majorem ex restituto Marcello, simulque Senatu, quàm ex omnibus victoriis, laudem est consecutus: igitur maximè gloriosum est Cæsari, restituisse eum hominem, simulque Senatum; à quibus offensus fuit.

Quas, aut à quibus Cæsar timeat insidias? à suis, quibus dux ad summa fuit? an à Pompeianis, quos conservavit? sed sanè Cæsar timeat insidias, ut tantò magis caveat vitæ suæ, qua nititur vita omnium, salusque affectæ Reip. imò Cæsar timeat casus humanos, quem omnes dolent non esse immortalem.

Vixit satis Cæsar? ita credo, sibi & naturæ pro rebus gestis. Verùm hic vir cum sibi uni nec vivit, nec est natus; nondum vivere cepit Reip; nondum gloriæ, nondum sibi. Nec enim adhuc fundavit Remp. nec ejus gloria brevitate vitæ, sed immortalitate metienda est, nec ipse pacis author adhuc pace fruitus est.

CONFVTATIO QVERELÆ AC DICTORVM CÆSARIS.

1. Magnæ sunt victoriæ, ac bellicæ laudes Cæsaris; at hæ sunt communicandæ multis adjuvantibus causis, præsertim fortunæ: sola laus ac virtus hodiernæ clementiæ, propria est unius Cæsaris. 2. Non fuit difficile Cæsari innumeras gentes vincere; hosti verò parcere & iracundiam cohibere, hæc laus, hæc virtus, hæc merita, & res gestæ Cæsaris. 3. Cæsar hactenus victores vicit, at hodie (quod est incredibile) seipsum, seu ipsam victoriam. 4. sapientissime Cæsar hodie seipsum seu victoriam vicit, pacis studio, & moderatione victoriæ; quando pacis authores, & bonos viros, errore magis quàm culpa lapsos, victor non ferox, conservavit.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.

PERORATIO.

Cicero agit gratias Cæsari pro clementia; affertque causas, quare hoc ipse munere fungitur.

EXOR-

EXORDIUM.

CIcero reddit causam Senatui, cur ad hunc diem siluerit; nunc restituto Marcello, non possit non dicere. *Num.* 1. *diuturni silentii.*

Ac perceptum dolorem suum auget ex absentia Marcelli, ut majorem ex proximo ejus reditu lætitiam exprimat, apostropha ad Cæsarem. *Num.* 2. *M. enim Marcello.* Deinde authoritatem Reip. redditam, & speciem pristini Senatus, ac maximè gloriam M. Marcelli optimi viri, prædicat ex tam insigni Cæsaris beneficio. *Num.* 3. *intellectum est enim.*

ANNOTATIO.

Hoc exordium est ingeniosè paratum ad benevolentiam Cæsaris, cujus clementia Oratori vocem, Senatui spem, M. Marcello salutem cum summa gloria, & omnium lætitia conjunctam restituit.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est: Laudanda est maximè Cæsaris clementia, ob restitutum hodie Marcellum, simulque Senatum.

Distributio seu argumentum: quia maximè gloriosum est Cæsari restituisse eum hominem, simulque Senatum, à quibus offensus fuit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumentum, maximè gloriosum est Cæsari, restituisse eum hominem, simulque Senatum; à quibus offensus fuit, patet fusè hoc Enthymemate: Cæsar majorem ex restituto Marcello, simulque Senatu, quàm ex omnibus victoriis, laudem est consecutus: ergo maximè gloriosum est Cæsari, restituisse eum hominem, simulque Se-

duos maximè pacis authores, Ciceronem & Marcellum, conservavit. *Num.13. Atq; hoc C. Cæsaris.*

Moderatio autem Cæsaris in victoria & post victoriam, pariter ex effectis cernitur: quia conservavit & conservat ex acie quos potest. *Num 16 quo gratior.* Amplificat Cicero ipsam victoris Cæsaris moderationem, ac divinæ prudentiæ adscribit, opposita Pompeianorum iracundiâ & ferocitate, si hi victores fuissent. *Num.18. alterius verò.* Concludit iterum gratulando Cæsari tantam laudem ac virtutem, quæ ipsi est propria, non fœlicitatis ac fortunæ. *Num. 19. quare gaude.* Hortando etiam, ut conservare bonos viros non desistat.; quorum Orator culpam (si culpa est officium, aut humanus error, aut fatum) uti antè, excusat. *Num.20. noli igitur.*

Animadverte consequens Enthymematis passim esse implexum cum antecedente. Sequitur digressio seu confutatio querelæ ac dictorum Cæsaris; habetque duas partes: 1. est, Cæsar metuere non debet insidias. 2. Cæsar naturæ non vixit, vel gloriæ satis diu

1. Pars Confutationis, *Cæsar metuere non debet insidias,* miro insinuationis artificio constat: nam contendit Orator, non esse timendum Cæsari, cùm nemo tam ingratus tamque injustus esse possit, qui, cujus in anima Resp. consistit, & à cujus vita omnium vita pendet, eum extinctum velit. Quibus id industriis conficit! primum extenuare non videtur suspicionem Cæsaris, sed hanc ait esse cautionem non minùs prudentem Cæsari, quàm timendam omnibus, qui ab ipso conservati sunt. *Num.21. Nunc verò venio.* Deinde rem disceptat hoc dilemmate; vel Cæsariani, vel Pompejani insidiantur Cæsari; non hi, qui acceptâ præter spem salute omnes sunt amicissimi: at nec illi. quo duce summa sunt adepti: ergo nulli. *Num.22. Sed quisnam est.* Tum revertitur, & iterùm non imminuit suspicionem insidiarum, propositis hominum sensibus occultis; ut tanto diligentiùs Cæsar caveat vitæ suæ, quâ nititur salus omnium, & vita Reip. *Nu. 23. Sed tamen cum.* Mox idem artifex latentes elevat, & alio abducit suspiciones Cæsaris, ex communi non jam insidiarum metu, sed valetudinis, aut casûs humani: quasi certus esset neminem Cæsaris vitæ insidiari, quem omnes dolent non esse immortalem. *Num. 24. Equidem de te.* Simulque amplificat Cicero vulnera profligatæ Reip. ex civili bello, ut tanto accuratiùs ipse & omnes studeant vitæ Cæsaris, ad medelam tam

utilis, tamque necessariæ. *Ibid. Omnia sunt excitanda.*

2. Pars confutationis, *Cæsar vel natura non vixit, vel gloriæ satis diu*, pari, atque prima pars, insinuationis arte certat. Primùm laudat Cicero sapientissimam vocem Cæsaris, & concedit pro rebus à se gestis satis vixisse; verùm cum vulneribus Reip (de quibus superiùs) mederi solus possit, negat Cæsarem satis vixisse patriæ. *Num. 26. Itaq; illam tuam.*

Deinde liberiùs confutat, & evertit vocem Cæsaris: quasi Cæsar, qui sibi soli nec vivit, nec est natus, nondum vivere cœperit vel patriæ, vel gloriæ, vel sibi. *Ibid. Credo sed eum.*

Confirmat illud Orator primò ipsâ definitione gloriæ. *Nu. 27. Quod si rerum.* Confirmat 2. ipsa vitæ brevitate; & æternitate, cui inservire debet Cæsar. *Num. 28 Quid enim omnino.* Confirmat 3. ipso judicio posteriorum, qui dicent virtutem Cæsaris, resque gestas, nisi ille denique Remp. fundarit, plùs admirationis habere, quàm soliditatis & gloriæ. *Num. 30 Obstupescent posteri.* Confirmat 4. ipsa jam inter cives (quos excusat, & hortatur ad concordiam) partâ pace, quâ diu, pacis author, Cæsar frui debet, non de insidiis cogitare. *Num 31. Diversæ voluntates.* Postremùm suo & Reip. nomine hortatur atque obsecrat Cæsarem, ut vitæ suæ consulat, non excubias modò, custodiasque bonorum civium pro salute illius, verùm etiam laterum & corporum oppositus contra vim pollicendo. *Num. 33. Quare omnis.*

ANNOTATIO.

Contentio duas habet partes; confirmationem & confutationem: In prima Orator laudat Cæsaris clementiam, ob restitutum Marcellum; in altera, querelam & dicta Cæsaris diluit. Vtraq; pars insigni prudentis insinuationis artificio est contexta. Fuit enim ingeniosum Oratori ita clementiam extollere, ut non deprimeret militarem gloriam, cujus maximè avidum Cæsarem sciebat: quare etsi virtutem bellicam Cæsaris cum ista clementia compareret, atq; etiam extenuet; ita tamen ubiq; orationem attemperat, ita se præmunit, ita labenter sese in gratiam insinuat, ut ubiq; Cæsarem delectet, offendat nusquam. Extenuatio autem bellicæ virtutis præcipuè sumitur ex eo capite, quòd non sit propria Imperatoris, sed tum à milite, tum ab ipsa fortuna dependeat: at virtus clementiæ solius sit Imperatoris, tanto gloriosior Cæsari, quo ille fortiùs iracundiam, & seipsum, & victoriam

riam ipsam vicit sapientissima moderatione victoria, qua alias solet esse ferox & insolens. Iam verò pari prudentia confutat querelam, dictaque Cæsaris. ac suspiciones insidiarum non statim extenuat, ut cavendi curam augeat; cavere enim Orator Cæsarem vult maximè, quia sibi dum Cæsar cavet, Ciceroni & omnibus cavet, qui ab ipso conservati suam salutem in ipsius salute positam existimant: tum ubi Orator suum timorem aut cautionem probavit, in eam partem disputat, Cæsari nihil esse timendum; prospiciendum esse non solùm huic vitæ, sed etiam æternitati; non solùm sibi; sed & Reip. cui vivere incipit, & mederi solus potest: adjicit vota omnium, & preces, singularemque benevolentiam civium in custodienda Cæsaris vita. Quibus omnibus Orator latenter & quasi per cuniculos, suspiciones insidiarum elevat, & Cæsari maximè blanditur.

PERORATIO.

CÆsaris querela, dictisque confutatis, revertitur Cicero ad propositam Cæsaris clementiam, qua Marcellum patriæ reddidit, ac pro tanto beneficio agit gratias: cur autem id præsertim ipse faciat, duas affert causas. Prima est, quòd rogatus fuit à Senatu, ut omnium nomine gratias ageret Cæsari; altera est, quòd sit Marcelli amantissimus, cujus restitutio majorem ipsi, quàm cæteris omnibus lætitiam affert, & dicendi officium. *Num.* 34. *Sed ut unde.*

ANNOTATIO.

Terminat affectum Cicero, quem orsus est ab initio, nempe incredibilis lætitiæ, singularisque benevolentiæ in C. Cæsarem, propter restitutum Marcellum Et quia longè gratissimus Cæsari voluit Cicero esse, sic perpetuò ac generatim Cæsaris clementiam extulit, ut illam non ad se modò, aut ad Marcellum, totamque nobilem ejus familiam pertinere contenderit, sed etiam maximè ad Senatum, populumque Romanum, apud quem tanti beneficii nulla unquam erit oblivio.

PRO Q. LIGARIO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

TAmetsi argumentum infra est perspicuum ex ipsa narratione Ciceronis, juvat tamen apponere quæ Freigius & Manutius suppeditant. Q. Ligarius cum C. Considio legatus in Africam profectus fuerat: decedens inde Considius illum provinciæ præfecit. Ortum est mox bellum inter Pompeium & Cæsarem; & P. Attius Varus missus cum imperio, ut Ligario succederet, non statim decessit ex provincia Ligarius, sed cum aliquamdiu post adventum Attii ibidem moratus esset, Q. Tuberonem fortè cum patre illuc advenientem ut eam provinciam traderet Cæsari, ab ingressu prohibuit: qua de re accusatus post finitum bellum apud Cæsarem, ea oratione defensus est. Ita Freigius.

Manutius verò. *Ante Vari adventum sortitus ex S. C. Africam provinciam initio belli civilis, L. Ælius Tubero, Tuberonis accusatoris pater, serius in Africam venit à Varo jam occupatam. Varo devicto, cum reliquis Pompeianarum partium ducibus, qui bellum renovarant, aliquamdiu Ligarius procul à patria vixit; quo tempore Q. Tubero Cæsaris clementiâ simul cum patre restitutus accusavit eum de vi, cum tamen nihil aliud objicere posset, quam eum in Africa Cæsarianis partibus inimicum fuisse: quamquam odii Tuberonis in Ligarium causam esse constaret quòd receptus in Africam non esset, vel à Ligario jussu Vari Imperatoris, vel ab ipso Varo. Defendit Ligarium Cicero tanta vi & animi, & ingenii, ut iratus Ligario Cæsar ei tamen eloquentia victus ignoverit.*

Quæstio hujus orationis est in genere judiciali, an criminosum sit Q. Ligario fuisse in Africa in partibus Pompeii.

Stylus est subtilis.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Ironia & confessione Cicero elevat culpam Ligarii; & hanc transfert ad misericordiam Cæsaris.

PROPOSITIO. Non est criminosum Q. Ligario, fuisse in Africa, in partibus Cn. Pompeii.

ARGUMENTA. Quia Q. Ligarius neque veniens in Africam, neque ibi resistens, ante & post Vari adventum, ullam culpam contra Cæsarem admisit.

ARGUMENTATIO. Cicero patronus Ligarii, & ipse accusator Tubero majus signum dederunt, quàm reus Ligarius, alienæ à Cæsare voluntatis: igitur Q. Ligarius neque veniens in Africam, neque ibi resistens, ante & post Vari adventum, ullam culpam contra Cæsarem admisit.

AMPLIFICATIO, ET Contra Cæsarem Cicero arma sumpsit; & Q. Tubero in acie Pharsalica congressus est. Quanto istud his est gravius, quàm Ligario in Africa in partibus Cn. Pompeii fuisse? & tamen Cæsar incredibili clementia pepercit Ciceroni, & Tuberoni, & aliis qui Pompeium sunt secuti: quid igitur inhumanus aut crudelis Tubero, cum ipse in pari aut majore culpa fuerit, non modò accusat Ligarium, sed etiam præter exilium, ejus necem postulat apud mitissimum Cæsarem? quis tam levis Græcus, aut tam immanis barba-

rus?

AFFECTUS. rus? esto, Pompeianus fuerit Ligarius: non fuit hoc scelus, uti appellat Tubero; verùm, testimonio etiam Cæsaris, divina necessitas. Adde, minor est culpa, Ligarium, exorto jam bello, in Africa restitisse, quam Tuberones, contra Cæsarem in Africam venisse: nam hi (seu à Ligario, seu à Varo exclusi ab Africa) non erant provinciam tradituri Cæsari, sed contra Cæsarem inde bellum gesturi: cujus rei argumento est, quod non ad Cæsarem, sed ad Pompeium de injuria conquestum venerint; huicque imperatori patientissimè adhæserint.

PERORATIO. Orator vel humanitatem, vel clementiam, vel misericordiam Cæsaris implorat pro culpa Ligarii; pro quo ipse non supplicat, (cum sit in eadem culpa) sed Sabini, Brochi fratres Ligarii: commemorata breviter quæsturâ Q. Ligarii, & pari causâ Marcelli, & divina Cæsaris clementia.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero ironicè fingit se apud Cæsarem laborare de culpa. Q. Ligarii, quam detulit Tubero, & fassus est C. Pansa. Itaque, cum ignoratione Cæsaris abuti putaret ad salutem Ligarii, nunc ad misericordiam se transferre, & timens etiam fateri cogitur. *Num.* 1. *Novum crimen,* Mox ad Tuberonem accusatorem conversus fatetur Q. Ligarium in eadem esse culpa, qua est ipse Tubero simul cum patre. *Num.* 2. *Habes igitur,*

ANNOTATIO.

Mira est insinuatio hujus exordii, qua Orator reo Ligario non timet apud Cæsarem: præsertim cum culpa Ligarii (quam ironia & confessione elevat) aut nulla est, aut communis cum multis, qui Pompeium sicuti veniam meruerunt, aut maximè eadem cum Tuberone accusatore & ejus patre. Hoc exordium est ip a facies reliqua orationis, in qua leniter signa quadam seu semina argumentorum & amplificationum, & affectuum occultantur; nam id unum ubique Cicero enititur, ut maximam hujus causæ fiduciam ostentet, tum à clementia Cæsaris, qui multis in Pharsalica, & in Africa contra se dimicantibus pepercit; tum ab imprudentia accusatoris, in quem regeritur ipsum crimen cujus alterum accusat, tum ab ipso Ligarii facto, quod culpa non est, sed erratum; aut, si culpa est, commiseratione dignum est.

NARRATIO.

Primo Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum Cajo Considio profectus est. *Num.* 2. *Q. igitur Ligarius.* 2. Sic provinciæ præfuit, ut illi pacem esse expediret. *Ibid. Itaque Q. Ligarius.*

3. Exorto bello, Ligarius nullo se implicari negotio passus est. *Num.* 3. *Bellum subitò exarsit.* 4. Post adventum Vari domum spe ctavit, & ad suos redire cupiit. *Num* 4. *Interim P. Actius.* Concludit Cicero anacephalæosi, & apostropha ad Cæsarem nullam esse culpam Ligarii, *Num.* 6. *Adhuc Cæsar.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Brevis, perspicua probabilis est hæc narratio; habet enim, ut docet Fabius, probationis vim, & affectus: siquidem Orator singulis adjunctis demonstrat culpâ vacare Ligarium, quia non modò ullum ad bellum contra Cæsarem, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli fuit in Africa: ibidem habuit honestam necessitatem resistendi, maluisset Romæ esse cum fratribus, quam Uticæ cum Varo.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: non est criminosum Q. Ligario fuisse in Africa in partibus Pompeij.

Distributio seu argumenta repeti debent supra ex narratione; quia Ligarius neque veniens in Africam, neque ibi resistens, ante & post Vari adventum ullam culpam contra Cæsarem admisit.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis argumenta, *Ligarius neque veniens in Africam, neque ibi resistens ante & post Vari adventum ullam culpam contra Cæsarem admisit*, hoc Enthymemate tractantur: patronus Cicero, & ipse accusator Tubero (quos tamen culpa Cæsar liberavit) majus signum dederunt, quàm Ligarius alienæ à Cæsare voluntatis: ergo Ligarius neque veniens in Africam, neque ibi resistens, ante & post Vari adventum ullam culpam contra Cæsarem admisit. 1. Pars antecedentis, *de Cicerone*, amplificatur insigni licentia, & exclamatione. *Num. 6. Nullum igitur.* 2. Pars antecedentis, *de Tuberone*, contorquetur vehementi reprehensione in accusatorem, qui Ligario impudenter objicit crimen, quod ipse admisit; gravius contra Cæsarem congressus in âcie Pharsalica, quàm Ligarius in Africa. Quamquam mitigat reprehensionem Orator, ab ætate, ingenio, & propinquita-

te: sed paulò post asperius adolescentem urget congestis verbis, ac sententiis idem significantibus. *Num.* 8. *vide quæso Tubero.* Verùm non tantùm Tuberonis, & senioris ejus patris imprudentiam Cicero redarguit, sed inhumanitatem etiam & crudelitatem; qui cum ipsi Cæsaris clementia conservati, & cives sint Romani, tamen aut levium Græcorum more, aut immanium barbarorum (qui solent odio aliquo suscepto ad sanguinem petendum incitari) ad crudelitatem Cæsarem acuunt, id est ad Ligarium civem Romanum, non jam patria qua caret, sed vita privandum. *Num.* 10. *Quorum impunitas.*

Auget crudelitatem Tuberonis exemplo contrario ex majori: nemo enim impulit crudelissimum Syllam, ut inimicos suos necaret: Tubero id à mitissimo Cæsare postulat. *Num.* 12. *At istud ne.* Atque inserta quadam prolepsi Cicero admittit humanitatem Tuberonum, sed horum maximè prudentiam desiderat: dum enim isto modo accusant Ligarium, quid petunt, nisi ut præter exilium, quod morte gravius est, miser ille necetur? *Ibid. Ego verò.* Huc addit, vibratque asper Orator triplex argumentum à majori: primum, si Tubero domi supplicantibus obstaret, ne Cæsar Ligario ignosceret, durè faceret; quanto jam durius, in foro supplicantium preces prohibere à clementia Cæsaris seu misericordiæ perfugio; *Num.* 14. *Hos verò multo.* Secundum, si victus Tubero Cæsarem crudelem esse vult; quàm multi id vellent de victoribus, nisi Cæsar sua indole esset clemens? *Num.* 15. *Dicam planè.* Tertium, si patronus Cicero mentiretur & diceret Ligarium in Africa non fuisse, crudele esset Tuberoni pro salute Ligarii nolle Cæsarem errare; quanto crudelius est nolle Cæsarem misereri, cum ipse Tubero in eadem causa & fortuna fuerit. *Num.* 16. *Quòd si probare.*

Tertia pars antecedentis, *de Ligario*, amplificatur 1. per thesim ex communi Pompeianorum causa, quam nemo præter Tuberonem scelus appellat: Ciceroni divina necessitas visa est, qua illi, qui armati occiderint, miseri; qui supersunt, à victore Cæsare miseria liberati sint *Num.* 17. *Ac primus aditus.* Confirmatur ipso Cæsaris testimonio, qui necessitate arma sumpsit, non ut cum sceleratis civibus pace conveniret, sed ut bonos conservaret, fato quodam & errore inter se dissidentes. *Num.* 18. *Quando hoc quisquam.*

Ampli-

Amplificatur 2. per hypothesim ex causa Ligarii; cui difficilius fuit exorto bello ex Africa exire, quàm Tuberoni in Africam non venire: nam si Tubero paruit Senatui, & paruit Ligarius; cur ergo Tubero Senatui se paruisse glorietur, Ligarium, quia paruerit, reprehendat? *Num.20. Sed ut omittam.*

3. Deinde si crimen est Ligario prohibere Africa Tuberonem voluisse; non minus magnum est Tuberones Africam contra Cæsarem obtinere voluisse, quàm aliquem se imperatorem esse maluisse: is tamen Ligarius non fuit, id est, non Ligarius exclusit Africa Tuberones, sed Varus, penes quem jam erat imperium. *Num 22. Itaque in Africam.* Sed sive Varus, sive Ligarius excluserit, aut imperium tenuerit, quid interest? Quando Tuberones provinciam non tradituri fuerint Cæsari, sed inde bellum gesturi contra Cæsarem: quod Cicero licentia indicat. *Num. 23. Sed quoquo modo.* Id probat à consequentibus, quia Tuberones Africa exclusi non ad Cæsarem, sed ad Pompeium injuriæ suæ querelam detulerunt. *Num.24. Veniebatis igitur.* Non ergo Tuberones Cæsaris causa venerunt in Africam; & jam apud Cæsarem malè queri audent de Ligario, qui ipsos contra Cæsarem bellum gerere prohibuit, cum in Africam non recepit. *Num.25. Quæ est ergo.* Postremum amplificat Cicero, & laudat Tuberonis constantiam in tuendis Pompeii partibus, quo callidius Tuberonem in eodem adducat, probetque malè injurias persequi apud Cæsarem, cum ipse tam constanter adhæserit Pompeio, à quo tamen exceptus non fuerit. *Num. 26. Sed vide quæso.*

ANNOTATIO.

Tota contentionis vis eò spectat, ut Cæsar pro sua singulari clementia sicut ignovit inimicis & hostibus, ita Ligario innocenti ignoscat: aut enim crimen nullum est, in Africa fuisse, aut ejusmodi, ut exilii pœna satis sit: quod autem præter exilium Tubero quærit, & judicio & sententia Cæsaris consequi vult, id privati odii, summæ injustitiæ, summæque crudelitatis argumentum esse videtur; nam clementissimus Cæsar multis, qui & in Pharsalia, & in Africa in partibus Pompeii fuerunt, vitam tamen & patriam reddidit, aut eis præter exilium pœnam imposuit: imò ipse vehemens accusator Tubero in Pharsalica acie dimicavit contra Cæsarem, quod non

non fecit Ligarius, qui tantum in Africa fuit: ergo si hunc (locus est ab exemplo, & vim judicati obtinet) Cæsar culpa liberavit, cur accusator exilio Ligarii contentus non est? Cur crudelem Ligario innocenti esse eum vult, quem in proprio crimine habuit clementem? Atque illud est argumentum, quod perpetuo Orator invidiosè torquet in accusatorem, qui cùm in pari & majori fuerit culpa, quàm Ligarius, tamen adductus odio expetit à Cæsare, ut ille necetur. Mitigat tamen Cicero Tuberonis propinqui sui invidiam, quando illum imprudentia magis peccasse ait, quàm inhumanitate. Interim inde captat opportunus Orator clementiam Cæsaris, & animum ita aptè commovet, ut libellos, quos manu tenebat, ejecerit, quasi se victum fateretur.

PERORATIO.

TOtam Cicero Ligarii causam refert (uti tota oratione faciendum putavit) ad misericordiam Cæsaris; nec illius quidem judicis, sed parentis, quem affectum etiam auget prosopopœia. *Num.29 Itaque num tibi.*

Deinde Orator mirificè sè insinuans à sua persona fingit se pro Ligario deprecari Cæsarem non audere, quia Pompeianus fuerit; verùm quia videt apud Cæsarem causas rogantium valere plusquam preces, ipse in justissima causa rogandi pro Ligario spem ponit, non in deprecatione suæ orationis. *Num.31. An sperandi.* Adjungit & parem deprecandi causam plurium, præsertim Sabinorum, Brochorum, Ligariorum fratrum, qui omnes suis erga Cæsarem meritis ac pietate supplicant, & lugent pro uno Ligario, tempestate belli abrepto in Africam. *Num. 34. Videsne igitur.* Denique concessione contendit Orator ignoscendum Ligario, quia, cum esset quæstor, studuit maximè Cæsari. *Num 36. Sed iterit ad bellum.*

Tum pari causa Marcelli, & divina misericordia Cæsaris, quam populus Romanus mirificè amat, hortatur Cæsarem, ut salutem conferat Ligario, quam longè plurimis & contulit, & simul conferet *Num.37 Fac igitur.*

ANNOTATIO.

Quia nihil ita excitat commiserationis affectum, ut culpæ confessio, & supplex deprecatio; Cicero, qui totam hanc controversiam Ligarii ab initio ad misericordiam Cæsaris transtulit, fassus est sæpius ingenuè suam, & Ligarii culpam, ut leniret Cæsarem: jam ut ipse submissius se insinuet, deprecari pro Ligario non audet, quia ipse pariter offendit; sed deprecatores adhibet cum luctu, & æquitate causæ, quibus rebus maximè affici Cæsarem sciebat.

PRO REGE DEIOTARO.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Dejotarus Rex Gallo-græciæ, bello civili Pompeij partes secutus fuerat: sed victo Pompeio cum discessisset ab armis, juvit pecunia & equitatu Cæsarem, b. llum gerentem Alexandriæ, & Pontico etiam bello, contra Pharnacem Mithridatis filium, ei in exercitu ipse adfuit. Quamobrem confecto bello Cæsar, cum ei regni partem ademisset, quia Pompeium secutus fuerat, tamen Regem eum appellavit: & cum in partes illas venisset, usus est hospitio ejus, & donis etiam hospitalibus ab eodem, regio more donatus est. Cæterum nepos erat Dejotaro ex filia, Castor nomine, qui sive fraude aliqua adductus, sive motus vero crimine, avum detulit insidiarum apud Cæsarem, quòd is eum, cum domi ejus versaretur, occidere voluisset. Addebat etiam, quòd semper alieno animo fuisset à Cæsare; & quod tempus oppugnandi ejus captasset, exercitu in id contra eum comparato. Quibus criminibus delatis per servum Dejotari Medicum Phidippum, qui cum legatis Romam missus fuerat, cum illi Cæsar vehementer offensus esset; delata est defensio ad Ciceronem: qui præsentibus legatis regiis, cum & ipse Castor adesset, hanc orationem privatim apud Cæsarem habuit.

Quæstio est in genere judiciali, an Rex Dejotarus Cæsarem voluerit interficere.

Dicendi character est subtilis.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Exorditur Cicero à timore suo, cujus causæ sunt hæ: natura, judicii novitas de capite Regis, accusatorum indignitas, judex Cæsar in suo periculo, loci insolentia.

PROPOSITIO. Rex Deiotarus non voluit Cæsarem interficere.

ARGUMENTA.
1. Quia Rex Deiotarus non fuit insidiatus Cæsari.
2. non fuit alieno animo à Cæsare.

ARGUMENT. 1. ARGUM. Non modò non credibiliter, sed ne suspiciosè quidem affingitur Regi Deiotaro crimen insidiarum: igitur Rex Deiotarus non fuit insidiatus Cæsari.

2. ARGUM. Neque exercitum Deiotarus contra Cæsarem comparavit, neque ullo bello ipsi defuit, neque sinistris de ipso rumoribus gestiit: igitur Rex Deiotarus non fuit alieno animo à Cæsare.

AMPLIFICATIO. 1. ARGUMENT. Non fuit tam demens, aut improbus Rex Deiotarus (quis enim consideratior illo? quis rectior?) ut armis palam, non veneno occultè, Cæsarem interficeret opera Phidippi Medici. Deinde certus insidiarum locus nihil interfuit, quando Deiotarus per insideratores ubique, & quolibet tempore potuit Cæsarem tollere. Tum ipse Rex toto illo die cum domesticis moderato vultu & quieto fuit. Denique Phidippum Romam à se dimisit, quem, si sceleris conscius fuisset, nunquam abire passus esset, neque ejus fratres in carcerem dedisset;

2. ARGUMENT. ET AFFECTUS.

Si Rex Deiotarus exercitum habuit, illo usus est ad fines regni tuendos, non contra Cæsarem: cui pluribus in bellis, pecunia & equitatu semper favit. Nec ille absurdè versum protulit, aut ebrius saltavit: vir frugalis, & modestus, gravi ætate. Quare contumeliosus est adolescens Castor, & insolens, & impius, qui, corrupto nefariè servo, audet in discrimen capitis adducere avum, cujus optimos mores imitari, ac senectutem tueri debet. Reliqua Castoris criminatio de tyrannide, & statua Cæsaris inter reges posita, infirma est.

PERORATIO.

Quamquam Cæsar partem regni ademerit Deiotaro, non tamen hic illi succenset; tum quia beneficio Cæsaris regium nomen retinet, cæterosque populi Romani, ac Senatus honores; tum quia litteris Cæsaris erectus ac securus, parta jam laude ac propria virtute contentus est, ut reliquum senectutis tranquillè placideque exigat. Quare misericordia maximè dignus est Deiotarus, non solùm ob clementiam Cæsaris singularem in omnes etiam privatos, verùm etiam propter regiam Deiotari dignitatem: de cujus regis fide testantur legati, contra accusatores.

EXOR-

EXORDIUM.

Dilucidè *Manutius* : exorditur Cicero à timore suo, non temerè, sed eo consilio ut laboranti vel justitia Cæsaris, vel clementia subveniat. Timoris autem causas quinque ponit, unam naturæ, cum initio dicendi in omnibus gravioribus causis commoveri soleat. *Num.* 1. *Cum in omnibus.* Alteram à judicii novitate ortam, cum pro Rege dicat, quòd antea nunquam contigerit. *Ibid. Primùm dico.*

Tertiam ab accusatorum crudelitate, & indignitate; quorum alter nepos avum in judicium adduxerit, alter servus in dominum testimonium dicat. *Num.* 2. *Accedit ut.* Quartam ab ipso Cæsare, qui de suo periculo judex audiat. *Num.* 4. *Perturbat me.* Quintam à loci ipsius insolentia, quòd causam omnium gravissimam intra domesticos parietes dicat, non ubi antea solebat in foro, quo loco magnam dicendi alacritatem populi Romani concursus afferret. *Num.* 5. *Moveor etiam.*

ANNOTATIO.

Cicero mirificè colligit gratiam Cæsaris suo isto timore : quem 1. *aperit ingenuè, ne fidentius vel longo usu, vel ætate videatur graviorem Dejotari causam aggredi.* 2. *Auget à persona Regis, quem, etsi amicum Reip. tamen insusitato judicio, & cum periculo Cæsaris, cogitur defendere.* 3. *Amplificat tum affectu doloris in reum, tum indignatione in adversarios.* 4. *Ita interdum sui periculi judicem Cæsarem timet, ut tamen ipsius æquitate ac sapientia penitus metum minuat.* 5. *Destitutus foro Orator (quod præsidium adjunctis amplificat) timorem omnem callidè in fiduciam vertit, dum denique ad Cæsarem dicit.*

Ex his facile est animadvertere in hoc exordio prima esse semina non solùm argumentorum, sed etiam invidiæ in falsos accusatores, & commiserationis in innocentem Dejotarum.

NARRATIO.

PRimum Cicero accusatorum fidem oppugnat, qui suspicione & spe inimicitiarum inter Cæsarem & Dejotarum adducti, fictum crimen detulerunt. *Num.* 7.*Sed antequam*.

Quare Cæsarem obsecrat, ne ullam simultatis & iracundiæ partem adversus Dejotarum residere in se quis suspicari aut sperare possit. *Num.* 8. *Quamobrem hoc.* Quamquam (adverte correctionem & artificium oratoris) non fuit unquam Cæsar inimicus Dejotaro, sed de ipso solùm questus est, quòd amici officio parum functus esset. *Num.* 9. *Quamquam cui.* Deinde excusat culpam Dejotari, quia non odio Cæsaris, sed errore communi, & falsis rumoribus in Pompeium fuit propensior. *Num.* 10. *Neque enim.* Iterum errati veniam petit, objecta laude Pompeii cui Rex Dejotarus cessit. *Num.* 12 *Ignosce quæso.* Aliis etiam adjunctis ante prælium Pharsalicum, præsertim auctoritate Senatus; & post prælium, officio Dejotari ergà Cæsarem, Cæsaris itidem animo erga Dejotarum Regem, culpam elevat. *Num.* 13. *Ad eum igitur.*

ANNOTATIO.

Hæc narratio non est causæ narratio, seu expositio rei, de qua est status; nam quod rectè advertit Freigius, ubi reus factum negat, nulla ferè narratio est. Est igitur hæc narratio (uti præcedens pro Ligario) rerum, quæ ad causam pertinent; fitque oratoriè, propositis argumentis & affectibus, tum ut accusatorum existimatio debilitetur, innocentiaque Dejotari præmuniatur, tum ut Cæsar ad ignoscendum sensim adduci melius possit.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est, Rex Dejotarus non voluit Cæsarem interficere.

Distributio seu argumenta: 1. Quia Rex Dejotarus non fuit insidiatus Cæsari, 2. Quia non fuit alieno animo à Cæsare.

CON-

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *Rex Dejotarus non fuit insidiatus Cæsari*, hoc Enthymemate complexus est: non probabiliter affingitur Regi Dejotaro tantum crimen insidiarum: ergo Rex Dejotarus non fuit insidiatus Cæsari.

Antecedens 1. amplificatur repetitione, subjectione, & distributione, à persona Regis Dejotari & prudentis, & probi. *Num.* 15. *Is Igitur.* 2. Amplificatur à persona accusatoris Phidippi Medici, per quem non veneno (quod esset probabile) occulte Dejotarus Cæsarem interficere voluit; sed armis palam, quod ne suspiciosum est quidem *Num.* 17. *At quam non modò.* 3. Amplificatur ab ipso loco insidiarum, in quo diutius insidiatores retinere, aut hos aliò transferre Rex Dejotarus poterat, dum Cæsar interficeretur; nec enim evasisset. *Num.* 19. *At quam festivè.*

4. Amplificatur à signis: fuit enim Dejotarus toto illo die cum domesticis moderato vultu & quieto. Quare Cicero accusatori nequam & fatuo imprecatur. *Num.* 20 *obsecro Cæsar.* 5. Amplificatur dialogismo à consequentibus, quia Rex Dejotarus non ita demens fuisset, ut Phidippum à se Romam dimitteret, quem tanti sceleris conscium habuisset, atque ejus fratres in carcerem conjecisset. *Num.* 21. *Habes crimina.*

Propositionis secundum argumentum, *Rex Dejotarus non fuit alieno animo à Cæsare*, hoc pariter Enthymema complexum est: neque exercitum Dejotarus contra Cæsarem comparavit, neque ullo bello ipsi defuit, neque sinistris de ipso rumoribus gestiit; ergo Rex Dejotarus non fuit alieno animo à Cæsare.

Antecedens patet ex facultate ac fine Dejotari, qui suis copiis inferre bellum populo Rom. non potuit, sed fines suos tueri voluit: deinde cur ad Cœlium, Pompeii amicum, suas copias misisset, quem non nosset, vel si nosset, ducem contemneret? *Num.* 22 *Reliqua pars.*

Jam Regem Dejotarum nullo bello defuisse Cæsari ostenditur parva inductione: nam bello Alexandrino, & Pontico & Africano, equitatum & pecuniam subministravit & ubique Cæsari ad periculum præsto fuit. *Num. 24. Alieno autem.* Non gestiisse verò ex sinistris de Cæsare rumoribus, seu versum protulisse, seu ebrium saltavisse, probatur tum à repugnantibus in isto versu, tum à frugalitate (quam virtutem Orator in Rege præ cæteris laudat) & modestis moribus, & gravi ætate Dejotari. *Ibid. At eo, inquit, tempore.*

Digreditur Cicero gravissimè insectans adolescentem Castorem, 1. quia fugitivi ore contumeliosus est avo suo, optimo & clarissimo viro, cujus mores imitari debeat. *Num. 28. Imitari potius.* 2 Quia cum insolenter equitans contra Cæsarem vix arma pertinax deposuerit auctoritate Ciceronis; nunc apud Cæsarem accusare Dejotarum audeat, impunitate ac fortuna sua non contentus. *Num. 29. Itaque Dejotarum.* 3. Quia cum patre est impius in eum, qui suam familiam nobilitavit, & ingratus in propinquum, cum quo non solùm inimicitias gerit, sed quem nec verò crimine nec verosimili, per corruptum servum, capitis accersit. *Num 30 Vos vestra.* Atque istam servi corruptelam amplificat Orator primum à communi periculo. *Ibid. Nam ista corruptela.*

Deinde dissimili exemplo Domitii per antitheses. *Num. 31. Domitius ille.* Reliquam Castoris criminationem acutè Cicero evertit ironiâ, tum perspectâ omnibus civibus Cæsaris clementia (quare accusatorem vocat in invidiam, quasi videatur Cæsarem tyrannidis insimulare) tum ejus statuâ claro loco, inter Reges, non ad populi invidiam, posita. *Num, 33. At quam acutè.*

ANNOTATIO.

Omnis industria contentionis contexta est adjunctis, præsertim personarum, ut accusatio Regis Dejotari nec vera, nec verisimilis possit videri. Nam crudelis & impius adolescens Castor, Phidippum Dejotari medicum, qui cum Regis legatis accesserat, mercede corrupit, & subornavit ad accusandum Dejotarum: atque ambo accusatores detulerunt crimen insidiarum, nec probabile à persona Regis Dejotari, prudentis & probi; nec

nec suspiciosum ab adjunctis loci, & à consequentibus: alterum verò crimen, alieni à Cæsare animi, pariter fictum est, ac sine argumentis aut comparati exercitus contra Cæsarem, aut ullius belli, aut sinistræ opinionis. Quare ejusmodi accusatores Cicero in odium adduxit, &, expurgato Dejotaro, acerrimè insectatus est ab crudelitate atq; amentia.

PERORATIO.

DUæ sunt partes hujus perorationis: primâ parte Cicero adducit Cæsarem, ne Dejotarum sibi succensere putet, quòd ipsi partem regni ademerit: 1. quia Deiotarus multis beneficiis devinctus à Cæsare, præsertim regio nomine retento, faciliùs se consolatur, exemplo Antiochi. *Num. 35. Nihil à me arbitror.*

2. Quia simul cum isto Regis nomine retinet omnia beneficia populi Romani, ac decreta Senatûs, quæ sibi propriâ virtute, atque externâ laude comparavit: virtute autem ista sola contentus est ad tranquillitatem & quietem senectutis. *Nu. 36. Omnia tu Deiotaro.*

3. Quia litteris suis Cæsar Deiotarum erexit, ac securo animo esse jussit: quibus autem semel Cæsar parcit, omni in posterum hos metu liberat: amens igitur Rex Deiotarus, qui sine causa succenseat Cæsari. *Num. 38. Quo quidem animo.* Alterâ parte Orator postulat misericordiam pro Deiotaro: primùm, quia si propensè Cæsar est clemens in privatos, erit multò magis in Reges, quos semel conservavit in regno. *Num. 40. Non debeo Cæsar.*

Deinde quia Legati, de fide Deiotari testantur adversus Phidippum servum, & Castorem ejus nepotem: imò sua corpora pro salute suorum Regum tradunt, id est, parati sunt mori pro Deiotaro, & ejus filio. *Num. 41. corpora verò sua.*

ANNOTATIO.

Duo reservavit Orator ad extremam causæ partem: novum argumentum, & affectum; illo ut Cæsaris intelligentiam de animo Deiotari erga se confirmet, hoc ut alliciat voluntatem ad ignoscendum. Erat enim proclivè Cæsari suspicari propter partem regni ablatam sibi Deiotarum succensere: idcircò Orator in hoc maximè laborat, ut fidem faciat, Deiotarum magnitu-

dine beneficiorum, & propria virtute, & tranquillitate jam exactæ ætatis consolari sese & contentum esse, neq; ultrà sine causa irasci Cæsari. Affectum verò misericordia captat à clementia Cæsaris, & Deiotari Regis persona, quod etiam tota oratione facit.

I. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

INterfecto idibus Mart. C. Cæsare, M. Antonius, collega ejus in consulatu, sibi metuens non solùm eo die latuit, verùm etiam texit aliquamdiu consilia sua simulatione ad tempus accommodata. Postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. Post diem tertium, qui fuit XVI. Kal. April. in ædem Telluris convocato Senatu, Cicero, quantum in ipso fuit jecit fundamenta pacis, discordiarumq; memoriam omnem, vetere Atheniensium exemplo, oblivione sempiterna delendam censuit. Quo die præclarè de Rep. locutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suæ voluntatis argumenta dare visus est. Misso parvulo filio, pacis obside in Capitolium, C. Cassium ipse, M. Brutum Lepidus Pontifex Max. alii alios ex tyrannoctonis, qui post Cæsaris necem, populi, & Antonii maximè Consulis metu, in Capitolium se contulerant, cœna adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Cùm Cæsarem, quamquam in libera civitate singulari potestate usum funere tamen efferri placuisset: qui fons malorum omnium fuit (sic enim tyrannum fuisse judicabatur; nam tyrannorum corpora projiciuntur inhumata) laudavit eum de more in foro Antonius: commemoratisq; rebus ab eo gestis, maximisq; erga Rempub. meritis, explicata demùm cruenta veste, in qua cæsus fuerat, multis pugionum ictibus perfossa, convertit orationem ad miserationem commovendam, populumque jam dolore incensum, in eandem iracundiam doloremque impulit, ut statim à funere ad domum Bruti, & Cassii cum facibus accurrerit: unde ægrè repulsus est. Brutus & Cassius vitato præsenti periculo, concitatæ multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam

diam jam satis experti. Antium, & Lanuvium aufugerunt, eo consilio, ut inde in provincias à Senatu decretas proficiscerentur. Decreverat autem Senatus, postridie quàm è Capitolio Cæsaris interfectores descenderunt, Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, D. Bruto Galliam citeriorem, datam à Cæsare anteà confirmavit. Idem tamen, quasi ad sanitatem revocatus, reliquis diebus in Capitolio præclara S. C. fecit, primùm illud è Ser. Sulpicii sententia; ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur: deinde, ut dictaturæ nomen in perpetuum è Rep. tolleretur. Lux quædam oblata videbatur: erecti erant spe libertatis, & otii bonorum animi: constituta Resp. putabatur. Sed citò ille simulationem sustulit, suiq; similis visus est. Habito enim Kalendis Iun. Senatu, non eum, quem anteà, de Rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem voluntatem ostendit. Nihil deinde ad Senatum referebat; per populum, id est, per infimam corruptamq; plebem contempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia, contra S.C. quod ipse fieri voluerat, tabulas figebat: civitatem, immunitatesque dabat: exules inducebat: eaque se facere omnia dicebat ex legibus Cæsaris, aut ex ejus commentariis. Tum videns Cicero oppressam armis Antonii Remp. desperata salute statuerat in Græciam proficisci ea mente, ut rediret ad Kal Ianuarias, quibus Hirtius, & Pansa designati Consules Magistratum inirent. Verùm Leucopetra adversa tempestate detentus, cùm à multis audiisset res conventuras, & Antonium, repudiatis malis suasoribus ad auctoritatem esse rediturum, mutata profectionis voluntate, ventis remuque in patriam omni festinatione properavit. Ad urbem accessit pridie Kalendas Septembris, magnoque concursu totius civitatis, tanquam amantissimus Reipub civis, & publicæ libertatis assertor, exceptus est. Calendis Senatum convocavit Antonius, & nominatim jussit adesse Ciceronem. Ille, sive quòd reverà langueret de via, sive quòd Antonii metueret insidias, non adfuit, absentiaque sua causam morbi prætexuit. Enim verò sic Antonius exarsit, ut elatus ira, minatus fuerit se fabros, qui solo domum Ciceronis æquarent, esse missurum. Postridie venit Tullius, Antonius non venit, Dolabella, qui Consul à Cæsare destinatus, post ejus necem consulares fasces invaserat, Senatui præsedit. Orator in summa reliquorum servitute liber unus fuit, & primò quidē exposuit consiliū profectionis & reversionis suæ: deinde de

poster-

hesternâ Antonii injuria conquestus, & ad ejus in Remp. scelera delapsus, sic est in eum invectus, ut ipse non ferret, sed omnem vinolentum suum furorem in Ciceronem effunderet. Hanc porrò, cæterasq; deinceps in Antonium orationes Philippicas inscripsit, ad imitationem Demosthenis *, qui suas in Philippum Macedonem conciones Philippicas nominavit.* Manut. Abram.

Quæstio est in genere deliberativo; an acta Cæsaris, quæ chyrographis, & legibus continentur, servanda sint; & an l·ges promulgata ab Antonio, quæ actis Cæsaris adversantur, sint abroganda.

Stylus est tenuis.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero exponit, quo consilio fuerit profectus in Græciam, & paulò post reversus Romam. Quæritur etiam ante propositionem de injuria M. Antonii, de Senatus-consulto, de quorundam consularium metu.

PROPOSITIO. Acta Cæsaris (quæ exemplo multorum in legibus potiùs, quàm in Chyrographis consistere debent censeri) sunt servanda: promulgatæ autem ab Antonio leges non sunt ferendæ.

ARGUMENTA. Quia acta Cæsaris sunt utilia Reip. promulgatæ autem ab Antonio leges sunt perniciosæ.

ARGUMENTATIO. Lex Julia de obtinendis ad tempus provinciis, & aliæ leges judiciariæ, seu de legendis judicibus, sunt utiles Reip. quas tamen Antonius contrariis aut novis legibus perniciosè evertit: igitur acta Cæsaris sunt utilia Reip. promulgatæ autem ab Antonio leges sunt perniciosæ.

AMPLIFICATIO, ET AFFECT. Antonius, qui se dicit acta Cæsaris defendere, optimam legem Tulliam abrogat, deteriore lata, ut prætoriæ provinciæ per biennium, Consulares per sexennium possint obtineri. Deinde contra acta Cæsaris, indignissimè tertiam judicum decuriam auxit ex manipulari milite legionis Alaudarum: quo quid turpius aut dissolutius? Quare pacis & concordiæ causa sunt servanda Cæsaris acta: leges Antonianæ per vim latæ, & pro arbitratu, auspiciis intercessionibusque tribunorum neglectis, non sunt ferendæ.

PERORATIO. Cicero utrumque Consulem, absentem Antonium, præsentem Dolabellam hortatur, ut recordatione rerum gestarum, & majorum exemplo veram solidamque gloriam sequantur; diligi à suis civibus malint, quàm metui; Remp. omni ratione complectantur, divitiarum ac potentiæ cupiditate rejecta.

EXOR-

talibus supplicationes fierent; quæ miscere est nefas inexpiabile. *Num 13. An me censetis.*

Queritur 3. de Consularium quorundam metu (cujus rei totam ferè invidiam transfert in Antonium, oppressorem Senatûs) qui libertimam atque optimam L. Pisonis sententiam non sunt secuti. *Nu.14 Quid de reliquis.*

Sequitur hæc contentionis propositio: Acta Cæsaris (quæ exemplo multorum in legibus potiùs, quàm in chyrographis consistere censeri debent) sunt servanda; promulgatæ autem ab Antonio leges, non ferendæ, *Num. 16. Primum igitur.*

Distributio seu argumenta: quia acta Cæsaris sunt utilia Reip. promulgatæ autem ab Antonio leges, perniciosæ.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumenta, *acta Cæsaris sunt utilia Reip. promulgata autem ab Antonio leges, perniciosæ*, inductione hac demonstrantur: Lex Julia de obtinendis ad tempus provinciis, & aliæ leges judiciariæ, seu de legendis Judicibus sunt utiles Reip. quas Antonius contrariis, aut novis legibus perniciosè evertit: ergo acta Cæsaris sunt utilia Reip. promulgatæ autem ab Antonio leges perniciosæ.

1. Pars Antecedentis, *de l. ge Iulia*, patet 1. quia hæc cavebat, ne Prætoriæ provinciæ plusquam annum, neve plusquam biennium consulares obtinerentur. Antonius hac optimâ lege abrogatâ per tribunos plebis aliam tulit, ut Prætoriæ provinciæ per biennium, Consulares per sexennium possent obtineri. *Num. 19. Quæ lex melior.*

2. Pars Antecedentis, *de legibus judiciariis*, conficitur dialogismo, acri indignatione, & exclamatione; quod, cùm anteà soli Senatores, & equites judicarent, illi in prima, hi in secunda decuria; Antonius, contra acta Cæsaris, tertiam Judicum decuriam adjecerit, non ex centurionibus solùm, sed etiam ex manipularibus militibus legionis Alaudarum collectam. *Num, 20 Atque est.* Idem Antonius alteram legem promulgavit, ut & de vi, & de majestate damnati, ad populum provocent, si velint. Qua lege quid dissolutiùs ad seditiones perniciosorum civium? aut quis audeat deinceps

quem-

quemquam vel accusare, vel judicare? *Num. 21. Altera promulgata.* Adde hac Antoniana lege rescindi acta Cæsaris, quæ damnatis de vi, & Majestate non provocationem dant ad populum, sed exilium irrogant. *Num. 23. Quid quod abrogatur.*

Concludit Cicero quæcunque acta Cæsaris, etiam illa post mortem, servanda esse concordiæ causa: verùm leges quas Antonius per vim, & pro arbitratu promulgavit, neglectis auspiciis (adverte hoc loco dialogismum) & intercessionibus Tribunorum non esse ferendas. *Ibid. Qua quidem ego.*

ANNOTATIO.

In hac contentione Orator queritur Antonii injuriam, & ejus acta, non modò ut injusta, sed etiam ut Cæsaris actis contraria, reprehendit: imò sæpè Antonium cum se ipso pugnare ostendit, quando in beneficiis dandis vel minima acta Cæsaris rata esse vult, in legibus ferendis eadem ipse evertit. Quamobrem Cicero acta Cæsaris, sive illa chyrographis & commentariis, sive legibus complexa sint, defendenda esse censet, habendamq; esse rationem pacis atq; otii; non ferendas autem promulgatas ab Antonio leges, quæ Cæsaris actis adversantur, & nocent Reip. Ex *his iterùm Cicero charitatem Reip. præ se fert.*

PERORATIO.

PRimùm Cicero postulat à Dolabella, & ab Antonio, ne sibi irascantur, si quid liberiùs pro Rep. dixerit, modò absq; contumelia Antonii. *Num. 27 Irascite quidem mihi.*

Deinde amicissimè commonet præsentem Dolabellam, ne per avaritiam, aut vim civium, ab honestate gloriæ & rerum gestarum dignitate aberret. *Num. 29. Sed per Deos,* Absentem verò Antonium pariter hortatur, proposita insigni gloriâ rerum gestarum, post necem Cæsaris, ut pergat diligi velle à civibus suis, non metui, & in odio esse, propter avaritiam aut potentiam. *Num 31 Te autem M. Antoni* Vehementiùs stimulat Orator Antonium, exemplo avi sui, & C. Cæsaris; quorum ille amavit unicè diligi à civibus, hic metui; quare utriusque diversus exitus fuit *Num. 34. Utinam Antoni.* Rursus Antonium simul & Dolabellam hortatur, ut eorum civiū partes sequantur, qui patriæ libertatem amant, suntque populo

pulo Rom. charissimi, uti Brutus & Hirtius: quod ex ludis, & versibus, aliisque indiciis patuit. *Num* 36 *Et populi quidem.*

Postremò charitatem Reip. (reversionis suæ fructum) præ se fert, non periculo, aut morte, aut vita, aut re alia commovendam. *Num* 38. *Cœpi P.C.*

ANNOTATIO.

Cicero ita Antonium mitigat, hortatur, laudat ut tamen liberrimè tueatur Remp. contra iniquas ejus leges; efficiumq; civis acerrimi præstiturus sit, si hanc ille pergit opprimere. Itaq; lenitatem, charitatem civium, gloriam Antonius eligat, vel contumeliam, odium, dedecus. Qui Oratoris affectus fuit à principio.

II. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

H*Abita à Cicerone oratione prima in Antonium, ille se in villam Tiburtinam contulit, ibiq; dies septendecim, quod Ciceroni responderet, commentatus est: posteà in urbem reversus, Senatum vocavit, & in absentem Ciceronem (prohibitus ab amicis non aderat, propter arma Antonii quæ manifestam vim spectabant) quæ cogitaverat, evomuit. Ei Cicero hac oratione divinà respondit; ac purgat se primùm adversus Antonii calumniam, & ita purgat, ut omni eum loco non leviter pungat: deinde singulas ejus vitæ partes, à puerili prætextà exorsus, & singulos Magistratus vehementer exagitat.* Manut.

Quæstio est in genere demonstrativo, an M. Antonius sit homo vitiosus, & hostis Reip.

Stylus est vehemens & copiosus.

EXORDIUM.

Quodam fato nemo est hostis Reip. qui non sit Ciceroni inimicus: verùm Antonius eo est stultior Catilina, & Clodio, & aliis, quo magis voluntariè lacessit Ciceronem, cui omnis hostis pœnas dedit.

CONFUTA-

SYNOPSIS

Post Exordium, Cicero diluit crimina contra se objecta ab Antonio, de amicitia violata, de Consulatu crudeliter gesto, de nece Clodii, de bello civili, de nece Cæsaris, de alienatione Pompeii & reliquorum amicorum, quorum hæreditates non adivit. Crimen violatæ amicitiæ negat ab adjunctis & causis: sic enim Cicero in Senatu de Antonio questus est, ut id causa Reip. postularet: sic quendam familiarem contra rem Antonii defendit, ut jus & amicitia illud exigerent. Impudens verò Antonius, & inhumanus, & amens est, qui beneficia exprobrat, quæ vel Cicero negare, vel concedere potest. Crimen consulatus crudeliter gesti primùm universim diluit testimonio consularium virorum, seu communi approbatione Consulatus bene gesti: deinde speciatim opposito Consulatu Antonii contra Remp. armati, suum probat Cicero à Rep. fuisse quando togatus in templo Concordiæ extinxit conjurationem Catilinariam: quare contraria & pugnantia dici ab Antonio redarguit: hunc iterum atque iterum impudentem ac stultum appellat, qui cum Consulatum vituperet apud illos, quem maximè ipsi approbarunt; quinque salutaria Reip. Senatus-consulta reprehendit, quam ipse armis opprimit. Crimen necis Clodii regerit in Antonium. Crimen belli civilis confutat contrariis effectis consilii ac providentiæ. Crimen necis Cæsaris primùm dissimulando elevat, & à persona & numero conjuratorum inficiari videtur: mox apertè crimen (si est crimen occidisse Tyrannum) præ se fert, gloriaturque: stupidum autem An-

210\. tonium rursus redarguit, qui Cæsaris interfectores laudat, Ciceronem necis conscium vitupetat: postremò ampliùs irridens, ipsum crimen retorquet in adversarium. Crimen alienationis Pompeii & reliquorum amicorum negat à causis. Demum confutationem concludit novis facetiis, quibus hic Orator abundat.

PROPOSITIO.

M. Antonius est homo vitiosus, & hostis Reip.

ARGUMENTA.

1\. Quia privatæ vitæ decoctor, audax, impurus, seditiosus fuit.

2\. In magistratibus oppressit Remp.

1. ARGUM. ARGUMENTATIO.

M. Antonius in pueritia decoctor & audax, in adolescentia impurus, in reliqua ætate seditiosus fuit: ergo M. Antonius, privatæ vitæ decoctor, audax, impurus seditiosus fuit.

2. ARGUMENTI.

M. Antonius in quæstura & tribunatu & magisterio Equitum, & Consulatu oppressit Remp. ergo M. Antonius in magistratibus oppressit Rēp.

1. ARGUMEN. AMPLIFICATIO,

Antonius coactus cedere bonis paternis, tamen ausus est sedere in quatuordecim ordinibus: & corruptor adolescentuli Curionis, multa stupra, ac flagitia commisit: posteà deditus tribuno,

2. ARGUMEN.

Antonius quæstor factus, sine Senatus-consulto, ac sorte ivit ad Cæsarem: posteà tribunus iniquissimè intercessit; ex qua intercessione bellum civile & clades Italiæ, quam ipse etiam lustrationibus suis vexavit, secuta est. Magister verò Equitum quot decretis, & hæreditatum rapinis, quàm robusta vinolentia, quàm turpi emptione bonorum Cn. Pompeii, quàm molli ac libidinosa defectione à Cæsare in persequendis civilis belli reliquiis, tam in Africa, quàm in Hispania, insignis Antonius fuit! Consul de-

TATIONIS. ET AFFECTUS.

Clodio plura contra Senatum, & religiones, & amicos egit. Quæ omnia breviter ac invidiosè perstringit Cicero, quia festinat ad majora.

TATIONIS.

nique Consulatum gessit injustè partum, id est jussu Tyranni Cæsaris, non populi voluntate: Consulatum gessit infestum Consuli Dolabellæ, quando imperitè & mendaciter opposuit comitiis auspicia: Consulatum gessit invisum populo Rom. quia Lupercus suasit, obtulitque Cæsari diadema regium, hoc est, tyrannidem: Consulatum gessit maximè perniciosum, ac detestabilem Reip. propterea quod dissimulatâ tantisper ex timore audaciâ, & improbitate, mox Cæsaris legibus abscissis, suis promulgatis, & ementitis Chyrographis, immunitates dedit, ingentem pecuniam rapuit, exules damnatosque restituit, acerbas patriæ peregrinationes suscepit, corrupto etiam magna vi & cupiditate M. Varonis fundo.

PERORATIO.

Major erit securitas, gloriaque Antonio, ex civium suorum charitate, rebusque honestè gestis pro Rep. quàm ex isto armorum præsidio, quo Senatum obsidet: nam non deest populo Rom. præsidium & animus, Reges tollendi, quod patet ex Cæsaris nece, & aliorum. Quare Antonius se, ac majores suos respiciat; & cum Rep. redeat in gratiam. Ciceroni jam emerito seni nihil interest, an inimicitia Antonii, an gloriosa mors accidat, dummodo salva restet patria.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero affert causam, cur Antonium inimicum habeat, nimirùm quia ille hostis est Reip. fato enim dicit Orator fieri, ut nemo à viginti annis Reip. hostis fuerit, quin Ciceroni quoque inimicus fuerit; ipsique pœnas persolverit. *Num.1. Quonam meo fato.* Quare Apostrophâ, comparatione, subjectione stultitiam Antonii arguit; qui hostis esse velit,& Ciceronis,& Reip. *Ibid. Te miror Antoni.*

ANNOTATIO.

Cicero (quasi ex abrupto) terret imprudentem Antonium, suum, & Reip hostem, simili exitu Catilinæ, & Clodii, & aliorum.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

Purgat se Cicero,& objecta crimina confutat priùs, quàm veniat ad contentionis propositionem & distributionem: quod sæpiùs fieri ab Oratore vidimus.

In primis crimen violatæ amicitiæ,& ingrati animi objecit Antonius, quod Cicero quendam contra rem suam defenderit; deinde quòd, etsi Antonius se in disciplinam Ciceronis tradiderit, ipsi auguratum & vitam cesserit, litteris Cicero beneficium agnoverit, tamen de Antonio graviter questus sit præcedenti oratione. Ad 1. respondet Cicero, se familiarem suum defendisse contra alienum Bambalionem, præsertim cùm ille opprimeretur injustè gratia Antonii, & iniqua intercessione Tribuni plebis. *Num. 3. cui priusquam.* Ad 2. respondet Antonium nec se tradidisse in disciplinam Ciceronis, nec potuisse tradere: ubi obiter impudicum Antonium pungit. *Ibid. At enim te.*

Ad 3. exclamat impudentem esse Antonium, qui, cùm propter æs alienum, & absentiam Ciceronis, augur fieri non potuerit, dicere audeat se à petitione auguratus destitisse in Ciceronis gratiam, cùm hic à toto collegio expeteretur. *Num. 4. Auguratus petitionem.*

Ad 4. negat Cicero se (quem Cæsar salvum esse voluit) vitam accepisse ab Antonio; aut si Antonii beneficium sit vitam Ciceroni non ademisse Brundusii, cùm id non posset sine nefario scelere, Orator fatetur, ac ironicè concedit latroni. *Num. 5. At beneficio.* Ad 5. respondet sibi, consulari viro, in interitu Reip. de iniquis actis Antonii fuisse necessariò querendum: quamquam questus est amicè, moderatè, sine contumelia. *Num. 6. An de interitu.*

Ad 6. Antonium dicit esse inhumanum, & stultum; nam inhumanitatis est, propter offensionem, litteras & colloquia absentium amicorum proferre, palamque recitare; amentiæ verò, id objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longiùs progredi non possit qui objecerit: quamquam nullum verbum in istis litteris est non plenum humanitatis, officii, benevolentiæ. *Num. 7. At etiam litteras.*

Deinde Consulatum crudeliter gestum Ciceroni objecit Antonius. Cui Cicero parva attentionis petitione, & modestiæ insinuatione respondet. *Num. 10. Sed cùm mihi.* Mox stultum ridet Antonium, qui Consulatum apud eos, quorum consilio, auctoritate, sententia gestus fuerit, ausus est vituperare. *Num. 11. Vt igitur.* Nemo enim, præter Antonium, non maximè probavit consulatum Ciceronis: quod repetitione & inductione Orator amplificat. *Num. 12. Non placet M. Antonio.* Duos prætereà consulares viros adhuc superstites enumerat, L. Cottam. & L. Cæsarem, quibus vehementer etiam placuit suus consulatus. *Num. 13. Sed quoniam.* Digreditur occasione L. Cæsaris, dialogismo, & exclamatione indignatus M. Antonium de libidine parasitos, & lenones consultare; de Rep. ad avunculum suum nihil referre. *Num. 14. Hunc tu cùm auctorem.* Speciatim objecta consulatus sui crimina diluit. 1. Impudens est Antonius, qui objicere audeat in templo Concordiæ armatos Consule Cicerone fuisse servos, cùm hi essent Equites Rom. ac nobilissimus quisque adolescens, ac ipse Senatus, duce, vel consulente Cicerone, ad extinguendam conjurationem Catilinariam, & ad Remp. conservandam: at nunc contra, dissimili exemplo, & consulatu Antonius, eodem in loco armatos homines collocat, nefaria Senatus consulta facit, libertatem Reip opprimit. *Num. 15 Tuus videlicet.* 2. Nequiter educatus est Antonius aut excors, aut secum argumentis adversus: nam, quod ne fecit quidem Clodius, ob comprehensionem conjuratorum laudat

laudat Ciceronem, quem vituperare vult, ob sepulturam vitrico suo Lentulo negatam reprehendit Senatum, apud quem dicit. *Num.* 17. *Sed sepulturam.* 3. Iterum (redit ad 1. objectionem) stultus est & secum pugnans Antonius, qui, cùm in sella Concordiæ Reip. perniciosa arma cœperit, objicit Ciceroni salutaria; nec Ciceroni solùm, sed Senatui, sed equestri ordini, sed omnibus civibus. *Num.* 19. *Iam illud cujus.* 4. Facetus esse vult Antonius, quando versum Ciceronis (scriptum horis succisivis ad libertatem pòpuli Rom. togâ tuendam) iners ipse, & armatus oppressor libertatis, ridet insulsè. *Num.* 20 *at etiam quodam.*

Tertiò Cicero non dedit Miloni consilium interficiendi Clodium, quia nec Antonio dedit, etiam cùm ipsi faveret: nec ipse Milo suasore egebat, ut prodesset Reip, (quamquam damnatus est, novâ quæstione non prudenter instituta) nec aliquis jam tot annis id objecit Ciceroni. *Num.* 21. *P. Clodium.*

Quartò, Cicero non fuit causa belli civilis: imò, ne nasceretur, omni providentiâ obstitit, tum avocando Pompejum à Cæsare, ne hujus opes crescerent ad tyrannidem; tum, ubi Cæsar potens fuit, pacem, & concordiam suadendo. *Nu.* 23 *quod verò dicere.*

Quintò, Cicero non fuit auctor necis Cæsaris; quia nemo in illa conjuratione (quamquam gloriosa) nomen ejus audivit: deindè percussores Cæsaris, vel hortatore non egebant, cùm alii domesticis exemplis incitarentur ad liberandam Remp. ut Bruti ambo, ut Cassius; alii privatas odii causas haberent in Cæsarem, ut Domitius: vel ita familiares essent Cæsari, ut nemo auderet eos ad necandum Cæsarem sollicitare, ut Trebonius, Tullius Cimber. *Num.* 25. *sed hæc vetera.*

Quòd si M. Brutus statim cruentum altè extollens pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, aut si Cicero lætatus est morte Cæsaris; vanissimè indè Antonius Ciceronem auctorem necis coarguit: quia Brutus alia causa potuit appellare Ciceronem; quia ista ratione omnes boni, qui Cæsarem esse interfectum gaudent, essent in pari culpa & crimine. *Num.* 28. *at quemadmodum.* Sed stupidior Antonius Brutum laudat, quòd Cæsarem occiderit, Ciceronem vituperat, quod necis conscius fuerit. *Num* 30. *Sed stuporem.* Tum stupidissimus Antonius ex alia rerum pugnantia: non ipse Cæsaris interfectores, non parricidas, sed patriæ liberatores, non sce-

lere, sed honore & provinciis dignos existimavit; Ciceronem arguit qui illorum familiaris, & socius fuit. *Ibid. esto sit in verbis.* Postea irridens Antonium Cicero retexit orationem, id est, non recusat fateri & gloriari, quod antè negabat, se auctorem necis Cæsaris fuisse. *Num. 32 itaq; jam retexo.* Imò magis irridens, ipsum crimen sibi objectum detorquet in Antonium, tum propter societatem consilii cum Trebonio, tum propter grande æs alienum, quod morte Cæsaris dissolvit. *Num. 34. quamquam si.*

Sextò, Cicero in castris Pompeii non alia causa mœstus fuit, quàm prospectâ ruinâ Reip. *Num. 37. castra mihi.* Nec enim Pompejum abalienarat, quo cum familiaritate & amicitia jungebatur; sed opinione diffidebat. *Num. 38. at verò Cn. Pompeii.*

Nec verò dicteriis, facetiisque Pompeii consilia reprehendit; at moderatè animos mœrore ac curis distentos relaxavit. *Num 39 ne jocis quidem.* Pariter negat se hæreditatibus plurium amicorum esse privatum; quippe qui ampliùs. H. S. ducenties acceptum hæreditatibus referat. At quod est improbum, objicit Antonio, qui fraude hæreditates multorum, etiam ignotorum, invasit. *Num. 40. hæreditates mihi.* Concludit ridens Antonium declamatorem ineptum, qui longo secessu in villam, adhibito etiam magistro magnâ mercede, nihil non amens & vanum objecit. *Num. 42. hac ut colligeres.*

Absolutâ confutatione ingreditur insectationem Antonii. Hæcque est contentionis propositio; M. Antonius est homo vitiosus, & hostis Reip.

Distributio, seu argumenta sunt hæc: 1. quia in privata vita decoctor, audax, impurus, seditiosus fuit. 2 Quia in Magistratibus oppressit Remp. *Nu. 44. Iam enim quoniam.*

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *M. Antonius in privata vita decoctor, audax, impurus, seditiosus fuit*, explicat hæc inductio: M. Antonius in pueritia decoctor, & audax, in adolescentia impurus, in reliqua ætate seditiosus fuit: igitur M. Antonius in vita privata decoctor, audax, impurus, seditiosus fuit.

1. Pars

1. Pars antecedentis, *in pueritia decoctor, & audax fuit*, perstringitur interrogatione, & communicatione, quòd coactus cedere bonis paternis (non tam Antonii, quàm patris perliberalis vitio) contra legem Rosciam sedere ausus sit in quatuordecim ordinibus. *Ibid. Visne igitur.*

2. Pars antecedentis, *in adolescentia impurus fuit*, arguitur præcipuè ex consuetudine Curionis, qui tam ardenter amare cœpit Antonium, ut contracto etiam ære, ab ejus congressione abduci, ne patris quidem afflicti imperio potuisset, nisi Cicero remedium tulisset. *Numer.* 45. *Sumpsisti virilem.* Stupra verò & flagitia præterit Orator quadam insinuatione. *Numer.* 47. *Sed jam stupra.*

3. Pars antecedentis, *in reliqua ætate seditiosus fuit*, celeriter etiam perstringitur: quod Tribuno Clodio intimus fuerit, quòd Alexandriam iverit contra Senatus auctoritatem, & contra religiones; quòd ex Ægypto rediens, non in urbem, ubi male audiebat, non domum, quam habebat nullam, sed ad Cæsarem in Galliam iverit: quòd postea Romæ, litteris Cæsaris reconciliatus Ciceroni, prius ad hunc venerit quàm ad patrem suum; quod Clodium interficere voluerit, ut satisfaceret suis in Ciceronem injuriis. *Num.* 48. *Intimus erat.*

Propositionis secundum argumentum, *M. Antonius in magistratibus oppressit Remp.* altera explicat inductio: M. Antonius in Quæstura, & Tribunatu, & Magisterio equitum, & Consulatu oppressit Remp. igitur M. Antonius in magistratibus oppressit Remp.

1. Pars antecedentis, *in quæstura oppressit Remp.* paucis ostenditur ex eo, quòd Antonius quæstor factus, continuò sine Senatus-consulto, sine sorte, sine lege, ad Cæsarem cucurrerit: ubi cum se illius largitionibus, & suis rapinis explevisset, advolavit egens ad Tribunatum. *Num.* 50. *Quæstor es factus.*

2. Pars antecedentis, *in Tribunatu oppressit Remp.* amplificatur 1. quòd cum Senatus fulcire vellet Remp. seu factionibus Cæsaris occurrere; factumque esset Senatus-consultum, uti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret; Antonius, audax adolescens, Senatus-consulto se opposuerit, & hostis Reip. judicatus fuerit. *Ibid. Accipite nunc.* Atque hæc intercessio Tribunitia mox causam dedit belli civilis;

bb 5 cujus

cujus belli clades Orator exaggerat exclamatione, enumeratione, duplici comparatione, conversione. *Num.* 53. *Tu, tu, inquam.*

Amplificatur 2. quòd Antonius, neglecto patruo suo, iniquè ac sine causa restituerit multos exules, præcipuè Licinium Lenticulam de alea condemnatum. *Num.* 56. *Restituebat multos.* Amplificatur 3. quòd idem Antonius Italiam sibi à Cæsare traditam conculcarit: cujus itinera & lustrationes invidiosa hypotyposi describit Cicero. *Num.* 57. *In eodem vero.*

Reliqua verò Antonii facta in isto itinere, & in bello civili caute reprehendit, (propter veteranos, quos non vult offendere Cicero) tum beneficio accepto Brundusii opponit contumelias Antonii, Cytheridis autem, Mimulæ Antonii, occursum & gratulationem indignatur. *Num.* 59. *Reliquorum factorum*

3. Pars Antecedentis, *in Magisterio equitum oppressit Remp.* profertur ex decretis, rapinis, hæreditatum possessionibus datis, & ereptis, tum ut libidinosè biberet, tum ut bona Cn. Pompeii emeret: Primùm vinolentiam Antonii insectatur amplificato per incrementum ejus vomitu. *Num.* 63. *sed hac qua.* Deinde maximo indignationis affectu bona Cn. Pompeii vendita, & empta ab uno Antonio exaggerat. *Num.* 64. *Cæsar Alexandria.* Hæc autem tanti viri bona statim ab insolenti & luxurioso helluone vorata, & consumpta Orator hyperbola, comparatione, hypotyposi mirificè amplificat. *Num.* 65. *at quàm insolenter.*

Præterea domum Pompeii ab Antonio occupatam esse, quàm gravi verborum amplificatione, & exclamatione in audaciam & furorem Antonii, quanto novæ indignationis affectu in disparem Antonii & Cn. Pompeii habitationem Orator invehitur! *Num.* 68. *at ejusdem ades.* Sed omissa Antonii vinolentia, & emptione bonorum Cn. Pompeii, omissa etiam superbia, qua se & Consulem, & Antonium dicit; tum omissis aliis peccatis, quibus Remp. vexavit, Cicero redit ad civile bellum, cujus cum sit causa Antonius, non tamen reliquias conficere voluit. *Num.* 70. *at quàm crebrò.*

Nam in Africam Cæsarem non secutus est, propter dimiditatem, & libidines: quamobrem appellatus ab offen-

so Cæsare de pecunia, quam debebat pro sectione bonorum Cn. Pompeii, quidquid accusarit, alteram bonorum suorum auctionem facere coactus est, ut æs dissolveret: Cicero autem prosopopœia, & commemoratis Cæsaris beneficiis excusationem Antonii irridet, uti ejus auctionem ad majorem invidiam. *Num. 71. cui bello cum.*

Neque in Hispaniam Cæsarem secutus est nisi serò admodum, propter easdem causas: hunc Cicero 1. irridet atque arguit dissimili exemplo constantis Dolabellæ, quem non tam oportuit interesse bello Hispaniensi, quàm Antonium; quia hic sector fuerat bonorum Cn. Pompeii, quæ liberi ejusdem Pompeii repetebant. *Num. 74. proficiscitur in Hispaniam.*

2. Ridet illum, ficto prætextu, Narbone consistentem in poculis, & inde nequiter Romam redeuntem; facta per digressionem dissimili comparatione suæ reversionis, & petitionis Consulatus. *Numer. 76, An tu Narbone.*

3. Ridet facetè, & dialogismo levitatem Antonii, qui ut se nec opinatò reducem ostenderet conjugi, Urbem nocte tenuit: sed & aliæ, præter revisendam uxorem turpiores, causæ redeundi fuerunt Antonio. *Num. 77. at videte.*

4. Pars Antecedentis, *Consulatu oppressit Remp.* amplificata est, & distincta in sex tempora: 1. ante Kalendas Jan. Antonius egens & perditus ære alieno, rursus in gratiam Cæsaris receptus, hujus jussu & voluntate, non populi suffragio renuntiatus est Consul, eluso perfidè Dolabella *Num. 78. sed nimis multa.*

2. Kalendis Jan. cum Antonius iniret magistratum, audiretque Cæsari ad Parthos ituro Dolabellam Consulem subrogandum, impudenter restitat, & imperitè (quippe qui Consul sit, stultè ad sacerdotium suum recurrit) se auspicia oppositurum esse denuntiat. *Numer. 80. veniunt Kalendæ Ian* 3. A. Kalendis Jan. usque ad idus Martias, Antonius pari inscitia, & impudentia obnuntiavit comitiis, cum revera in iis nihil cerneret vitii; sed auspicia, religionesque fingeret. *Num. 82. atque ex illo die.* Digreditur Cicero ad Lupercalia, quibus Antonius magna lascivia,

ſcivia, & audacia, Cæſari diadema ſupplex obtulit; idque faſtus inſcribi juſſit; quod flagitium orator maximo populi Rom. odio, & cruenta morte dignum amplificat, exemplis multorum. *Num.* 84. *ſed ne fortè.* 4. Ipſas idus Martias, redit Cicero ad id quod ementitis auſpiciis facturus erat Antonius, niſi eo ipſo die Cæſar occiſus fuiſſet: iſtius autem præclari auguris fugam ac timorem adſcribit Cicero conſcientiæ præteritorum ſcelerum, & futura ſcelera Antonii veriſſimè proſpexit. *Num* 88. *ſed ad auſpicia.*

5. Poſt idus Martias quidquid rectè è Rep. feciſſe viſus eſt Antonius, id ex timore & ſimulatione feciſſe; poſtea verò redeunte audacia nihil non eſſe facturum (uti fecit) improbè, Cicero conſtanter prævidit. *Num* 90. *poſt tertium diem.* Opinionem ſuam confirmat Orator primùm ex immunitatibus, quas palam vendidit, & ex ſepties millies ſeſtertium, quod rapuit. *Numer.* 92. *inſpectantibus vobis.*

Deinde ex reſtituta & vendita Regi Dejotaro parte Gallo-græciæ & Armeniæ, quas Cæſar eripuerat. *Num.* 93. *quid ego de.* Tum ex Creta vectigalibus liberata, fictis pro libidine commentariis & chyrographis Cæſaris. *Num.* 97. *quid ego de* Ex lege etiam ficta, & nomine Cæſaris fixa, de reſtituendis exulibus, derelicto impiè patruo. *Num.* 98. *& de exulibus.*

Parva fit digreſſio ad injurias, quibus Antonius affecit patruum ſuum; nam, præter alia, deſtituit in petitione Septemviratus, & ejus filiam, adulterii falsò accuſans in Senatu, repudiavit: quòd per incrementum amplificat Orator. *Ibid. quem etiam ad cenſuram.* Redit ad Chyrographa Cæſaris, quæ adulteravit Antonius, poſt, contraque edictum Senatus. Et 6. menſe Majo percurſationem Antonii ironice arguit, quòd ipſe Capuam Coloniam deducere conatus ſit. *Num.* 100. *ſed ad Chyrographa.* Digreditur in alteram Antonii peregrinationem ſuſceptam, ut agrorum Campani, & Leontini largitio militibus veteranis fieret. *Ibid. at quam nobilis.* Sed ad iter Italiæ reverſus reprehendit Antonium, quòd, auſpiciorum jure turbato, Caſilinum Coloniam deduxerit. *Num.* 102. *ſed ad iter.* Deinde quòd M. Varronis fundum ſine jure, ſine pudore, ſine auctionis mentione, magna vi & cupiditate occuparit. *Num.* 103. *ab hac religionum.*

In isto autem fundo Cicero insectatur exclamatione, & hypotyposi temulentiam Antonii, opposita Varronis sapientia, ac studiorum ratione *Num.* 104 *at quàm multos.* Exaggerat etiam in eodem fundo, & in reliquo itinere fastum Antonii, qui Aquinates, & Anagninos non resalutavit, Sidecinos vero, & Puteolanos vexavit. *Num.* 106. *Cassino salutatum.* Post hæc Orator Antonii reditum in urbem amplificat tum dissimili exemplo Collegæ sui Dolabellæ, qui de Rep. bene merebatur, tum comparatione tyrannorum Cynnæ, Syllæ, Cæsaris. *Num.* 107. *interea dum tu.* Nam acta Cæsaris rescidit, & testamentum irritum fecit. *Num.* 109. *an iste.*

Imò quos honores summos vivo Cæsari diligenter accurare visus est, nunc eos illo mortuo persolvere negligit, vel ex inconstantia, vel ex proprio quæstu. *Num.* 100. *Et tu in Cæsaris.*

Concludit longam insectationem comparando, & (quod passim fecit) cavillando; sed jam quasi victor insultat adversario. *Num.* 111 *Quid ad hæc.*

ANNOTATIO.

Contentio divisa est in duas partes; confutationem & insectationem: in confutatione Cicero perspicuè diluit crimina contra se objecta. In insectatione ostendit Antonium tum privatâ vitâ fuisse vitiosum, tum publica seu magistratibus hostem & oppressorem, Reip. quod utrumque ut clarius & ordine demonstret, inductione recenset singulas ætates Antonii, pueritiam, adolescentiam, reliquamque vitam; & singulos magistratus, quæsturam, tribunatum, magisterium equitum, consulatum.

Insectatur autem acriter & copiosè: quamquam enim quis putarit fortasse aculeos oratoris excussos esse, aut eloquentiæ fontes exaruisse, tot tantisque insectationibus in Verrem, in Sassiam, in Clodium, in Pisonem, Gabinium, aliosque profectò in isto genere invehendi ingeniosa semper natura facundiam auget, & senex graviore urget, & acutiore pungit stylo: sic ut in aliis orationibus par sibi Orator Cicero, in hac se ipso major, ac divinus, teste Iuvenale, videri possit.

PERO-

PERORATIO.

Cicero avocat Antonium à consilio armorum, quibus Senatum obsidet: ipsíque brevi tempore interitum minatur exemplo Clodii & Curionis, si magis uxori Fulviæ pergit obsequi, quàm populo Rom. cujus charitate & benevolentia erit tutior, quàm isto armorum præsidio. *Num.* 112. *Præterita omittamus.* Opponit præsidium Reip. armis Antonii, & animum populi Rom. qui pacem amat, odit servitutem, regnantes sustulit: idque exemplis demonstrat. *Num.* 113. *Habet populus Rom.* Deinde proponit Antonio, quàm sit jucundum ac honestum, rectè, pro Rep. facere; quamque metuendum ac turpe, libidinosè, avarè, facinorosè se gerere. *Num.* 115. *Recordare igitur.* Confirmat exemplo Cæsaris, & comparatione majorum. *Num.* 116 *Nisi verò.* Postremò adducto majorum exemplo, obtestatur Antonium, ut cum Rep. redeat in gratiam: sibi Cicero quidquid acciderit, inimicitià Antonii, aut vita, aut mors, modò populum Rom. liberum faciat, alterum liberatorem relinquat, nihil amplius optat. *Num.* 118. *Respice quaso!*

ANNOTATIO.

Adductus Cicero nulla alia causa insectandi Antonii, quàm amore patria, postremò (quamquam diffidens) hunc deterret à consilio armorum, proposita vel honestate virtutis, vel turpitudine vitii: de se autem Tullius, insignem, qua adolescens, & senex excelluit, Reip. charitatem prastat, & officium boni civis posteritati tradit. Qui affectus magnam Ceceroni affert benevolentiam; Antonio invidiam, nisi resipiscat.

III. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

CVm Cicero gravissimè in Antonium invectus esset, commotus ille tum factorum conscientia, tum opibus Octavi adolescentis, cui veteranorum studia adhærebant, percursavit Italiam, ut veteranis militibus sollicitatis cum exercitu ad urbem veniret; sed conatum ejus repressit Octavius, qui & ipse veteranorum præsidium privato consilio comparaverat: quam ob causam territus Antonius, abierat in Galliam ut eam occuparet; sed cum prohiberetur à D. Bruto qui eam provinciam Consul designatus obtinebat, illum Mutinæ obsedit. Quibus rebus cognitis, cum Senatus ad decimum tertium Calend. Ianuarii per tribunos plebis haberetur, dixit sententiam de Rep. Cicero, quam hac oratione complexus est: ut quæ egisset Octavius Cæsar, ea rata essent auctoritate publica: & ut præmia decernerentur legionibus, quæ illum secutæ fuerant: & Cæsar imperatoria dignitate ornaretur. Item, ut provinciam Galliam retineret Brutus in Senatus populique Rom. potestate, & ut Antonius hostis judicaretur.

Quæstio est in genere deliberativo, an res illæ, quas Octavius Cæsar cum veteranis militibus, & D. Brutus cum Gallia adversus Antonium gesserunt, sint publica Senatus auctoritate confirmandæ, & laudibus ornandæ: & Antonius contrà judicandus hostis.

Stylus est temperatus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Serius omnino expectanti Ciceroni advenerunt Calendæ Januar. & jam festinatione est opus, ut propulsetur Antonius, qui Reip. bellum gerit.

PROPOSITIO.

Res illæ, quas Octavius Cæsar cum veteranis militibus, & D. Brutus simul cum Gallia adversus Antonium gesserunt, sunt publica Senatus auctoritate confirmandæ, laudibusque ornandæ: contrà, Antonius est judicandus hostis Reip.

ARGUMENTA.

Quia Octavius Cæsar cum veteranis militibus, & D. Brutus simul cum Gallia, sunt optimè de Rep. meriti: jamque ipsi Antonium non Consulem, sed Reip. hostem judicarunt.

ARGUMENTA-

Octavius cum veteranis, Antonium urbe Roma prohibuit; Brutus cum suis, Antonium provincia Gallia exclusit; igitur Octavius Cæsar

AMPLIFICATIO, ET

Sapientissimo consilio adolescens Cæsar, pro Rep. effuso patrimonio, ut crudelissimum hostem Antonium urbi imminentem arceret, fortissimas, & Reip. amicissimas veteranorum militum legiones comparavit: Decius autem Brutus præstantior L. Bruto, Antonium Tarquinio Rege perniciosiorem Reip., è Gallia, quæ est flos Italiæ, firmamentum imperii, ornamentum dignitatis, repulit; atque hostem judicavit. Quare res ab utroque, & suis gestæ, sunt auctoritate Senatus comprobandæ, ac immortali laude ornandæ. At quam contumeliosus in edictis Antonius? quam amens? Cæsari ignobilitatem

TIO.

TIO. | eum veteranis militibus, & D. Brutus simul cum Gallia, sunt optimè de Rep. meriti; jamque ipsi Antonium, non Consulem, sed Reip. hostem judicarunt.

AFFECTUS. | objicit ex genere materno, quo ipse gloriatur: nepotem Ciceronis carpit socium Octavii, & parricidii insimulat: Senatum convocat, in quo vel ipse abest, vel nullum de Cæsare verbum facit: graviora in optimos viros edicta, & Senatus-consultum non religiosum facit de provinciarum sortitione.

PERORATIO. | Cicero hortatur Senatum, ut conjunctis armis cum Octavio, & Bruto, oblata divinitus occasione, & facultate profligandi tyranni, libertatem populo Rom innatam anteponat vel gloriosæ morti, vel turpissimæ servituti.

EXORDIUM.

CIcero gaudet calendas Jan. advenisse, ut communi Senatus consensu, & designatorum Consulum opera, ocius occurratur armis Antonii, qui se ad urbem venturum esse minitatur. *Num.* 1.*Serius omnino.*

ANNOTATIO.

Cicero orditur à periculo Reip. vultque celeriter resisti Antonio, ne majus sit in mora periculum. Ipse interim victoria fiduciam captat, & benevolentiam à sua Reip. cura, à Senatus, novorum Consulum concordia, ab armis profligati & perditi Antonii. Docilitatem etiam & attentionem comparat, explicato periculo, & magnitudine communis causæ.

CONTENTIONIS

Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: res illæ, quas Octavius Cæsar, cum veteranis militibus, & D. Brutus simul cum Gallia, adversus Antonium gesserunt, sunt publica Senatus auctoritate confirmandæ, laudibusque ornandæ; contra, Antonius est judicandus hostis Reip.

Distributio seu argumenta sunt hæc: quia Octavius Cæsar cum veteranis militibus, & D. Brutus cum Gallia sunt optimè meriti de Rep. jamque ipsi Antonium non Consulem, sed Reip. hostem judicarunt.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumenta, *Octavius Cæsar cum veteranis militibus, & D. Brutus cum Gallia sunt optimè meriti de Rep. jamque ipsi Antonium non Consulem, sed Reip. hostem judicarunt,* hoc Enthymemate sunt complexa: Octavius cum veteranis Antonium urbe Roma prohibuit; Brutus cum

cum suis Antonium provincia Gallia exclusit: igitur &c.

Antecedentis 1. Pars, *de Octavio & veteranis*, amplificatur. A persona Octavii adolescentis sapientissimi, & amantissimi Reip. *Num.* 3. *C. Cæsar adolescens.* 2. A persona Antonii hostis crudelissimi. *Num.* 4. *Quis enim est.*

3. A legionibus veteranorum militum fortissimis & amicissimis Reip. *Num.* 6. *Nec verò de legione.* Concludit Cicero quod proposuit, res illas, quas Octavius gessit, esse publica auctoritate confirmandas, & laude ornandas, militibus autem veteranis præmia esse decernenda. *Num.* 7. *Faciendum est igitur.*

Antecedentis 2. Pars, *de Bruto & Gallia*, amplificatur exclamatione, & duplici comparatione; una D. Bruti cum L. Bruto; altera Tarquinii Regis cum Antonio tyranno *Num.* 8. *Hoc verò recens.* Concludit Cicero res, quas Brutus gessit, esse publica auctoritate confirmandas. *Num.* 11. *Majus igitur beneficium.*

Orator interserit quare D. Brutus Antonium non Consulem, sed hostem verè judicarit; quia nimirum ille insigne regni obtulit Cæsari. *Numer.* 12. *Nec verò. M. Antonium.*

Laudat etiam Galliam, quòd operam præstiterit Bruto pro Rep. *Num.* 13. *Nec verò de.*

Concludit antecedens, & profert sententiam Cicero, ut judicetur hostis Antonius, non Consul, *Num.* 14. *Quamobrem tribuni.*

Confirmat sententiam suam judicio non solùm Bruti, sed etiam veteranorum militum, & Cæsaris. Argumentum est à contrario. *Num.* 14 *Nam si ille Consul.*

Digreditur deinceps in contumeliosum, & amentem suis edictis Antonium, qui Cæsari ignobilitatem objicit ex genere materno, cum ipse eodem materno genere soleat gloriari: quin Antonius ea parte inferior Cæsare, primam habuit uxorem Fadiam, Bambalionis filiam, qui homo libertinus, lingua impeditus, corde stupidus fuit; alteram verò avarissimam, cujus avus maternus, Sempronius Tuditanus, dementer cum palla & cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat. *Num* 16. *At quàm contumeliosus.* Deinde pari contumelia carpere ac vituperare voluit edicto nepotem Ciceronis, quòd Octavio contra Antonium exercitum ducenti comes fuerit; & de parri-

cidio cogitarit. *Num.* 17. *Idem etiam Q. Ciceronem.* Edicta autem amentia, & modum convocandi Senatum, in quo postea vel ipse non affuit, poculis impeditus; vel in quo nullum de Cæsare verbum Consul facere ausus est, irridet Orator *Num.* 19. *Sed ipse quid.*

Tum sententiolas per obscuras, & magistro dignas cavillatur. *Num.* 21. *Atque in rebus.*

Sed graviora in Cassium, Carsulenum, Canutium edicta, & Senatus-consultum celeriter & per discessionem factum de supplicatione M. Lepidi perstringit. *Num* 23. *Sed hac leviora.*

Denique in eodem Senatus-consulto non religiosam (quippe quæ propere & vesperi facta esset) provinciarum sortitionem ridendo arguit; quod provincias ii, quibus obtigerant, recusarunt. *Num.* 24. *Praclara tum fuit.*

Non recusarunt tamen suas Antoniani (quia tyrannidem optabant) atque his sortes divinitus obtigisse joco exclamat Cicero. *Num.* 26. *Qui sunt igitur.* Concludit digressionem apostropha ad Octavium, qui ferocem Antonium ab urbe repulit. *Num.* 27. *O C. Casar.*

ANNOTATIO.

Orator merita Casaris & Bruti amplificat, ut gratus Senatus huic provinciam Galliam confirmet, illi dignitatem imperatoriam. legiones etiam veteranorum militum laudat, hisque decernenda præmia esse censet; tum concordiam Senatus, & designatorum Consulum, & fidem Galliæ prædicat, ut omnium arma convertat in Antonium; quem præjudicio Casaris & Bruti, & militum, & Galliæ vult Cicero judicari hostem, & bello urgeri quamprimum.

PERORATIO.

VEhementer Cicero hortatur Senatum ad libertatem Reip tuendam. 1. comparatione: nam si Cæsaris dominatum fatalis quædam necessitas ferre coegit, hodie libera Resp mori potiùs quàm servire debet impuro latroni Antonio. *Num.* 28. *Hodierno die.*

2. A consequentibus, quæ facturus sit ille victor, qui sine victoria tam multa crimina commiserit. Hæc enumeratio subjicit.

ubjicit. *Num.* 30. *Quid hic faciat.* 3 Hypotyposi, à persona L. Fratris Antonii, qui scelerata arma conjunxit in Gallia. *Num.* 31. *Atque is ab hoc.*

4. Oblata occasione & facultate vincendi Antonii. *Num.* 32. *His vos teterrimis.* Quam ut occasionem arripiat Senatus iterum Cicero hortatur, proposita servitutis ignominia quæ gravior sit honesta morte. *Num.* 34. *Hanc igitur occasionem.*

Postremo loco sententias suas concludit atque confirmat de Bruto, de Octavio Cæsare, de legionibus veteranorum: censetque provincias ab iisdem, qui eas obtinent, obtinendas esse ex lege Julia, quoad ex Senatus-consulto cuique eorum successum sit; iisdem de rebus ad Senatum à novis Consulibus, primo quoque tempore esse referendum. *Num.* 37. *quas ob res.*

ANNOTATIO.

In peroratione est idem, at vehementior affectus, qui in exordio & in contentione.

IV. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Hæc Oratio est eodem argumento, quo prior; & eodem die ad populum habita, quo prior in Senatu: docet enim populum quid actum sit in Senatu, *cum laudatione eorum, qui Remp. defendendam susceperint, & cum insectatione in Antonium, qui hostis judicatus sit: hortaturque populum ad libertatem recuperandam.*

Quæstio est in genere deliberativo, an M. Antonius sit à populo judicandus hostis.

Stylus est medius.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Frequens concio & alacritatem Ciceroni affert Reip. defendendæ, & spem recuperandæ libertatis.

PROPOSITIO. M Antonius est à populo judicandus hostis.

ARGUMENTUM. Quia omnium præjudicio est hostis.

ARGUMENTATIO. M. Antonius judicio Senatus, & Octavii Cæsaris, & veteranorum militum, & D. Bruti, & Galliæ, & ipsorum Deorum est hostis: igitur omnium præjudicio est hostis.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS. Senatus maximas gratias atque honores decrevit Octavio Cæsari, ejusque militibus, quod crudelem Antonium reliquerunt, & propulsarunt: decrevit item D Bruto, & Galliæ, qui Antonio restiterunt. Quo facto quis non perspicit Antonium hostem esse judicatum? quem enim appellare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis Senatus arbitratur singulares exquirendos honores? aut igitur hostis Octavius, hostis Brutus, qui contra Senatus auctoritatem resistunt Antonio; aut non Consul Antonius, sed hostis. Ad hunc Senatus, imperatorumque consensum accedit judicium Deorum, qui portentis hosti patriæ Antonio pœnas denuntiant.

PERORATIO. Adhortatio ad populum, ut libertatem defendat contra Antonium crudelem Tyrannum; præsertim cum faciliùs hic hostis potest obrui.

EXOR-

EXORDIUM.

SUmit Cicero exordium à frequenti concione quæ & alacritatem ipsi affert Reip. defendendæ, & spem recuperandæ libertatis. *Num.* 1. *Frequentia vestrum.*

ANNOTATIO.

Brevi exordio Orator benevolentiam captat à suo & frequentis populi studio, in defendenda Rep.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio: M. Antonius est à populo judicandus hostis.

Distributio seu argumentum: quia omnium præjudicio est hostis.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumentum, *M Antonius omnium præjudicio est hostis*, patet hac inductione: M. Antonius judicio Senatus, & Octavii Cæsaris, & veteranorum militum, & D. Bruti, & Galliæ, & ipsorum Deorum, est hostis: ergo M. Antonius omnium præjudicio est hostis.

1. Pars antecedentis. *de judicio Senatus*, *& Octavii Cæsaris*, *& veteranorum militum*, amplificatur tum decreto Senatus, tum laudatione Octavii Cæsaris, & veteranorum militum, qui Antonium Consulem reliquerunt, ut Remp. defenderent *Ibid. Hodierno enim die.* Cicero concludit, apostropha, ad Antonium, primam partem antecedentis. *Num.* 6. *Quæ expectas*

2. Pars antecedentis, *de judicio Bruti*, *& Galliæ*, pariter amplificatur rebus gestis Brutorum, & auctoritate Senatus, & studio Galliæ. *Num.* 7. *Quid? D. Bruti.* Cicero

concludit etiam hanc partem adversus quosdam, qui spe latrocinii Antonium Consulem sequuntur, *Numer. 9 Negat hoc.*

3. Pars antecedentis, *de judicio ipsorum Deorum*, conjicitur tum ex prodigiis, tum ex communi hominum consensu, divinitus dato, contra Antonium. *Num. 10. Quod ita futurum.*

ANNOTATIO.

Agit Orator inductione, seu præjudicio Senatus, Cæsaris, Bruti, militum, Galliæ, ut his populus consentiens hostem Antonium judicet, armaque corripiat.

PERORATIO.

Cicero similitudine hortatur populum ad libertatem tuendam. 1. A persona Antonii, crudelis tyranni, qui potest obrui. *Num. 11. Faciam igitur.* 2. A propria virtute populi Rom. & exemplo Majorum! qui quoscumque hostes vicerunt. *Num. 12. Incumbite in causam.* Amplius accendit Orator populum comparatione Antonii, & aliorum hostium, atque etiam Catilinæ. *Num. 14. Ac majoribus quidem.* Postremò suam operam addicit populo, & init gratiam. *Num. 16. Equidem quantum.*

ANNOTATIO.

Postquam Cicero in Contentione convicit populi intelligentiam præjudicio Senatus, & aliorum; in Peroratione impellit voluntatem, ut ille virtutis gloria, & Majorum exemplo, tyrannum prosequi bello non desistat.

V. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Obsidente Mutinam Antonio, non modò sine Senatus auctoritate, sed invito etiam Senatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto jam anteà à Cæsare datam, post ejus necem confirmaverat: novi Consules, Pansa & Hirtius, Kalend. Ian primo Consulatus die convocato de more Senatu, non solum de Mutina obsidione, sed omnino de tota Rep. deq; honoribus, & præmiis bene de Rep meritorum, ac merentium, de quibus XIII. Kal Senatus-consultum factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, censuit is, qui sententiam primus rogatus est, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, ut ab ejus urbis obsidione desisteret. Cicero autem, suo loco rogatus, turpe, & indignum dicit esse Senatus ac populi Rom. majestate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tanquam de hoste gravissima & severissima judicia idem Senatus fecerit. Decreverat enim XIII Kal. Ian ut de honoribus Cæsaris, & Bruti, qui Remp. privato consilio defendendam susceperant, deq; præmiis Martiæ & Quartæ legionum, quæ, Antonio relicto, ad Cæsarem se contulerant, primo quoq; tempore novi Consules referrent. Deindè vehementer incubuit Cicero ut hostis judicaretur Antonius, & ea decernerentur de honoribus & præmiis, quæ Senatus ex novorum Consulum relatione decerni sibi placere ostenderat. Manut.

Quæstio est in genere deliberativo, an Senatus debeat ad Antonium legatos mittere, qui de pace, & concordia agant.

Stylus dicendi est mediocris.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Quo sèriùs tandem fuit convocatus Senatus, eo majorem nunc Cicero habet spem opprimendi Antonii, ex oratione, & concordia novorum Consulum.

PROPOSITIO. Senatus mittere non debet ad Antonium Legatos, qui de pace & concordia agant.

ARGUMENTA. 1. Quia hujusmodi ad Antonium legatio turpis est Senatui. 2. Hujusmodi legatio est periculosa.

ARGUMENTATIO. Hujusmodi legatio repugnat gravissimis ac severissimis judiciis, quæ de Antonio fecit Senatus; & cum illo hoste bellum retardat: igitur hujusmodi ad Antonium Legatio est turpis Senatui; & periculosa Reip.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS. Non patitur Cicero pacem rogari Antonium, quia id contra majestatem populi Romani; & signum esse timidi atque inconstantis Senatus videretur, post tot decreta, tamque acerba contra Antonium. Quem enim nuperrimè hostem judicavit Senatus, & quem non esse Consulem scelerata facta dictaque testantur, adhuc ei ultro mittentur legati? quid, quod Antonius offensus decretis Senatus, & insanè arrogans, pacem non volet, neque parebit legatis populi Romani? pejor enim hostis quàm Annibal, nihil aliud quam venire Romam spectat; & sceleratè ac tyrannicè, uti Consulatum gessit, Remp. vexare. Quare Cicero ista turpi legatione, retardari præterea bellum indignatur: omni studio adhortatur Senatum, ut communi consensu sumat arma: Cæsari, Bruto, & Lepido, Egnatuleio, veteranisque militibus honores decernat; ut hi simul omnes majore animo & confestim decertent contra Antonium.

PERORATIO. Bellum est sine mora gerendum.

EXOR-

EXORDIUM.

SErius esse prolatum ad Kal Jan. Senatum queritur Cicero: verùm moram esse compensatam gaudet oratione & concordia novorum Consulum. *Num 1.nihil unquam.*

ANNOTATIO.

Tempus convocandi Senatus contra Antonium longiùs est visum Ciceroni amanti Remp sed nunc gaudium ac fiduciam præ se fert ex communi concordia Senatus. Qua re colligit benevolentiam, & expedit arma contra adversarium. Qui est affectus Orationis.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: Senatus mittere non debet ad Antonium legatos, qui de pace & concordia agant. Distributio seu argumenta sunt hæc: 1. quia hujusmodi legatio ad Antonium est turpis Senatui 2. quia est periculosa Reip. Verùm hoc posterius argumentum passim est implexum priori: quare licet utrumque simul conjungere.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis utrumque argumentum, *hujusmodi legatio ad Antonium est turpis Senatui, & periculosa Reip.* hoc Enthymemate explicatur: Hujusmodi legatio repugnat gravissimis ac severissimis judiciis, quæ de Antonio fecit Senatus, & cum illo hoste bellum retardat: ergo hujusmodi legatio ad Antonium est turpis Senatui, & periculosa Reip.

Antecedens demonstrat Cicero (indignans istius sententiam, qui primus dixit) ex nuperrimo Senatûs judicio, quo & Antonius hostis judicatus, & res gestæ Cæsaris, & veteranorum militum laudatæ sunt *Num.2 atq; ut oratio.*

Indignatur etiam sententiam Cotylæ, & aliorum Antonii ami-

amicorum, qui Transalpinam ipsi Galliam decerni volunt; cujus pernicies sententiæ ostenditur ex consequentibus malis; & prolepsis adversariorum refellitur dialogismo. *Num. 5. hoc dies duodecim.*

Digreditur Cicero, negatque Antonium esse consulem, ejusque acta rescindenda esse censet; quia contra auspicia, & per vim lata fuerunt. *Num. 7. an non cadunt hac.* Exaggerat alia scelera Antonii consulis (de quibus etiam in Philipp. superioribus) 1. rapinas, & quæstus, fictis venalibus chyrographis Cæsaris. *Num. 11. Illa verò dissipatio.* 2. Latam legem judiciariam, cui tertiam ille decuriam ex indignis hominibus, scilicet Alaudis, Aleatoribus, Exulibus, Græcis (quos judices irridet) collectam adjecit, reclamante cœlo & populo Rom. *Num. 12. Is etiam legem.* 3. Collocatos in æde Concordiæ homines armatos: quod crimen adjunctis loci, & comparatione trium tyrannorum augetur. *Num. 17. An illa non.*

4. Acerbè Ciceronem convocatum in Senatum, paratasque necis insidias. *Num. 19. Huc etiam nisi.* 5. Iniquam divisionem agrorum, cum L. Fratre. *Num. 20. Etenim aderat.*

6. Dicta factaque tyrannica Brundusii, & Mutinæ, & paulò pòst Romæ exercenda; nisi Cæsar cum veteranis militibus, & Brutus obstitissent *Num 21. M. verò Antonium.*

Concludit digressionem, confirmatque Antonium non esse consulem comparatione hostis Annibalis. *Num. 25. Ergo Annibal.*

Redit ad antecedens, confirmatque nomine ipso legationis ultro missæ; quòd non tantùm contra majestatem Senatus; sed etiam timoris esse signum videbitur: proinde animos franget, & moram afferet bello. *Ibid. Ad hunc Dii boni.* Indignitatem auget Cicero à consequentibus, si non paruerit Antonius legatis populi Rom. opponitque dissimile exemplum Majorum, qui non ad civem suum, sed ad Annibalem, aut si is non paruisset, Carthaginem legatos miserunt. *Num. 27 Recedat à Mutina.* Quòd si paruerit Antonius, non tamen poterit, aut volet Senatus illo cive uti, quem superioribus actis hostem judicavit; Cæsarem, & Brutum, & veteranos laudavit. *Num. 28 Age si paruerit.* Non pariturum autem Antonium Cicero conjicit ab arrogantia; & insania, & perditis amicorum consiliis. *Num. 29. Sed hoc minùs.* Interim ista legatione retardabitur bellum, quod sine ulla mora, & confe-

confestim est gerendum, ut nascenti malo occurratur. *Num.* 50. *Teratur intereà.* Concludit Antonium frustrà sperasse dissensionem Senatus, aut novorum consulum; quibus nunc tota Resp. & hoc bellum committi debet. *Num.* 32. *Nam nunc quidem.*

Sequitur extra causam altera Ciceronis sententia, de testimonio Senatus, & honoribus tribuendis iis, qui adversati sunt Antonio. Inprimis D. Bruto (cujus virtutem ac merita erga Remp. magnâ verborum amplificatione attollit) gratias immortales habendas, & confirmandam esse Galliam censet. *Num* 35. *Altera res est* Atque etiam M. Lepido (cujus libertatem in non ferendo dominatu regio; cujus sapientiam in bello civili restinguendo effert) decernendos honores quàm amplissimos, & statuam equestrem inauratam in rostris statuendam censet. *Num.* 38. *Atq; etiam M. Lepido.* Octavio autem (cujus consilium in comparandis militibus divinum facit, ab adjunctis; cujus virtutem magno Pompeio non inferiorem prædicat) dignitatem censet imperatoriam esse conferendam *Num.* 43 *Venio ad C. Cæsarem.* Neq; in hoc adolescente eximio leges annales servari vult, tum Majorum exemplo, tum conceptâ fiduciâ de futura ejus indole ac prudentia, quâ longissimè patrem superat *Num.* 47. *Quid est enim.* Audet etiam Cicero obligare fidem suam, & optima quæque polliceri de Cæsare. *Num.* 51. *Audebo etiam.*

Ad extremum suadet Egnatuleio Magistratum ante legitimum tempus tribui; veteranis militibus vacationem esse militiæ, & commodam assignationem agri campani per novos consules fieri. *Num.* 52. *nec verò de.*

ANNOTATIO.

Hæc est insinuatio Oratoris: primùm argutè enthymemate concludit Senatui suscipiendum esse bellum, vel turpem levitatis notam. Deinde aptâ digressione Antonium insectatur, non ut consulem, sed ut hostem ac tyrannum, ut susceptum jam bellum acceleret in nefarium hominem. Tum altera parte orationis annexa, Cæsarem, veteranos milites, Brutum summè prædicat, eorumque virtutem præmiis decorandam censet, ut uno omnes celeriter bello Antonium hostem ac tyrannum opprimant: quod unicè Cicero optat pro Rep.

PERO-

PERORATIO.

VRget quod sæpè dixit, bellum necessariò, ac fine mora, oblato tempore, communi concordiâ, esse gerendum cum Antonio. *Num* 54. *Dixi ad ea.*

ANNOTATIO.

Concludit Cicero brevi Anacephalaosi.

VI. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

C*Icero V. Philippica vehementer dissuaserat Senatui, ne ad Antonium legati mitterentur. Senatus eo die nihil decrevit, sed triduo pòst mittendos omnino censuit, qui Antonio nuntiarent, ne consulem designatum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne provinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in Senatus, populiq́; Rom. potestate. De quibus Cicero hac oratione docet populum, & Senatus voluntatem de mittendis legatis exponit, & quid ipse de legatione sentiat, & quid auguretur, ostendit.* Manut.

Quæstio est in genere deliberativo, an Senatus sententia de mittendis ad Antonium legatis sit à populo Rom. repudianda.

Dicendi character est mediocris.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero exponit populo suam in Senatu sententiam triduo agitatam; nunc demum rejectam, missis ad Antonium legatis.

PROPOSITIO. Senatus sententia de mittendis ad Antonium legatis est à populo Rom. repudianda.

ARGUMENTA. 1. Quia nulla potest esse populo Rom. legationis communitas cum M. Antonio.
2. Istâ legatione non causa belli tollitur; sed mora bello affertur.

ARGUMENTATIO.
1. Argumenti. Antonius est latro & hostis: igitur nulla potest esse populo Rom. legationis communitas cum M. Antonio.
2. Argumenti Antonius non parebit legatis populi Rom igitur istâ legatione non causa belli tollitur; sed mora bello affertur.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTUS.
1. Argumentat. Populo Rom. & scelerato hosti, ac latroni erit communitas legationis?
2. Quid? ut Antonius, qui sibi non paret, at pessimis asseclis, L. Antonio, Plancio, Trebellio paret, ipse legatis populi Rom. pareat? hoc nunquam faciet: hæc igitur legatio, certa est denuntiatio belli, aut potiùs retardatio. Quin populus arma corripit? & Bruto civi optimo, Consulique designato succurrit?

PERORATIO. Populus expectet quidem reditum legatorum: interim acriter, duce Cicerone, præparet arma certò futura contra Antonium; ac libertatem suam tueatur.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero productus in concionem ab Appuleio, exponit, quomodo sua sententia per triduum agitata, demùm non valuerit: at remissior Senatus legatos ad Antonium miserit. *Num. 1. Audita vobis.*

ANNOTATIO.

Cicero populi gratiam conciliat, in hanc concionem veniendo; docilitatem exponendo quid sit actum in Senatu; attentionem, rem triduo agitatam proponendo. Narrationem autem, præsertim in rejam nota posse adhiberi orationis principio, etiam alibi vidimus.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Senatus sententia de mittendis ad Antonium legatis est à populo Rom. repudianda.

Distributio seu argumenta sunt hæc: 1. quia nulla potest esse populo Rom. legationis communitas cum M. Antonio.

2. Quia istâ legatione non causa belli tollitur, sed bello mora affertur.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primum argumentum, *nulla potest esse populo Rom. legationis communitas cum M. Antonio*, hoc Enthymemate perstringitur: Antonius est latro & hostis; igitur nulla potest esse populo Rom legationis communitas cum M. Antonio.

Antecedens simul & consequens per indignationem vibratur conglobatis effectis scelerum Antonii, *Num 3. Intelligo à vobis Quirites,*

Pro-

Propositionis secundum argumentum, *istâ legatione non causa belli tollitur, sed mora bello affertur*, simili Enthymemate paulò latiùs excurrit: Antonius non parebit legatis populi Rom igitur istâ legatione non causa belli tollitur, sed mora bello affertur.

Antecedens amplificatur à persona Antonii, qui sævior hostis quàm Annibal, & vitiis deditus, nullâ in re, quam per legatos mandat Senatus, obsequi unquam volet. *Num.* 4. *Quamquam Quirites.*

Consequens augetur adhortatione ad populum, ut se ad arma accingat, & Bruto (civi optimo) succurrat. *Num.* 8. *Quæ cùm ita sint.*

Digreditur Cicero ad insectandos ironiâ tres Antonii asseclas: in primis indignatur legatos populi Rom. sistendos L. Antonio, quo auctore M. Antonius certissimè his non parebit. *Num.* 10. *Quid? ipse si velit.*

Dein ex occasione cavillatur T. Plancium, & L. Trebellium familiares Antonii; illum de vi ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeiâ damnatum restituerat Cæsar decoctor. Hic Dolabellæ de tabulis novis legem ferenti adversatus fuerat. *Ibid pluris habetur.*

Redit ad L. Antonium, & rursus indignatur illi, quasi patrono populi equestrem statuam inauratam esse erectam. *Num.* 12. *Redeo ad amores.*

ANNOTATIO.

Cicero hac insinuatione, & cautione vtitur in reprehendendo Senatu, quòd minùs severè egerit cum Antonio. vt ejus excuset legationem, non omnino dissolutam, quia non sit illa legatio, sed denuntiatio belli, nisi Antonius paruerit. Hinc Orator subtiliùs avocans orationem à Senatu, ne offendat illum, totam futuri belli invidiam traducit in Antonium, Reip obstinatum hostem, ac latronem, qui implicatus vitiis, & consilio perditorum amicorum, nullâ vnquam in re parebit legatis populi Rom. Præterea Cicero sententiam Senatus repudiari quidem à populo intelligit, suadetq́; verùm tantisper quando remissior Senatus ita sensit (est eadem insinuatio, quæ prior) populi ardorem attemperat, vt posteà eò celeriùs arma expediat, quo diuturnior viginti dierum fuerit mora. Insectatur etiam digressione, & contemnit partes Antonii, vt nullus posteà metus, aut mora bello esse possit.

PERORATIO.

HOrtatur populum, 1. ut tantisper expectet reditum legatorum (quando ita Senatus sensit) interim sumat arma, quæ contra civem improbum certò esse futura providet. *Num.* 15. *Sed nimis multa.* 2. Suum ipse consilium, & laborem, & omne studium in tuenda Rep. pollicetur (adverte subjectionem & affectum.) *Num.* 17. *An ego non.* 3. Frequentem populum, & consentientem inflammat ad servitutem Antonii repellendam, libertatemque (epiphonemate) populo Rom. propriam retinendam. *Num.* 18. *Multas, magnasq.*

ANNOTATIO.

Hoc deniq. evincit Orator, ut populus nolit pacem, sed arma expediat; quod quia adhuc per Senatum non licet, à libertate, quâ novit intimè affici populum Rom. etiam atq. etiam stimulat: suam ipse (quod sæpè in clausulis solet) industriam promittit, pro ardenti charitate in Remp.

VII. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

A*Micos Antonii, pacem bello in sermonibus anteponentes, eo consilio, ut in reditum legatorum Antonii responsa mitius acciperentur, & Senatorum animi sententiâ Ciceronis irritati, ad clementiam, ac mansuetudinem traducerentur, accusat ut Antonii amantiores, quàm Reip. De pace autem non esse cogitandum censet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis civibus, cum hoste libertatis Antonio nulla prorsus esse possit. Senatum extremo loco, Pansamq. Consulem hortatur, ut ad studium tuendæ Reip. nihil ab Antonio sincerum expectantes, quemadmodum cœperint, incumbant.* Manut.

Quæstio est hujus orationis in genere deliberativo, an Senatus debeat pacem velle cum Antonio.

Stylus est temperatus.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero adductus Consulari officio prospicit periculo Reip., contra quosdam, qui fingunt Antonii responsa, eaque defendunt: idcirco non sunt hi populares, aut Consulares: at C. Pansa, & Cicero sunt Consulares, qui Remp. in pace & otio esse volunt.

PROPOSITIO. Senatus non debet pacem velle cum Antonio.

ARGUMENTA. 1. Quia ista pax est turpis. 2. Est periculosa. 3. Esse non potest.

ARGUMEN- 1. Argum. omnis inconstantia est turpis Senatui: sed est inconstantia Senatui cum Antonio subitò pace velle conjungi, quem modò hostem non verbo, sed re judicavit: igitur pax cum Antonio est turpis.

AMPLIFICATIO, ET A. Argument. Multa exstant eaque gravissima Senatus decreta contra hostem Antonium. Quàm est modò turpe & inconstans, ad eum legatos misisse? turpissimum verò & inconstantissimum erit, eum ad pacem, atque adeò in Senatum admittere. Mori satius est quàm huic scelerato latroni servire.

TATIO.

2. Argum. Ex pace, quæ cum Antonio fiet, brevi tempore orietur bellum longè graviùs: igitur pax cum Antonio est periculosa.

3. Argum. Non potest esse pax cum Antonio & Senatui, & equitibus, & universo populo Rom. & municipiis privatis, Nasidio, Cæsari, Bruto: igitur cum Antonio esse non potest.

AFFECTVS.

2. Argument. Poterit Senatus exploratam habere pacem, cùm in civitate Antonium viderit, aut potiùs Antonios? quanta erunt eorum scelera? quæ potentia? quantus ad eos erit concursus perditorum civium? aut igitur nunc (facultatem habet) Senatus bellum gerat, si pacem vult; aut pace nunquam fruetur, si bellum omittit.

3. Argument. Quis è Senatu, ex equitibus, ex municipiis, ex privatis, qui non aliquo vel decreto, vel dicto, vel facto Antonium oderit? quem verò horum vicissim Antonius non odit? quæ igitur pax cum Antonio, & illis, ubi odium.

PERORATIO.

Cicero monet Senatum, ne falli se sinat ab Antonio pacem simulante, hortaturque Consulem Pansam, ut periculo Remp. liberet.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero aliis sepositis curis, est intentus maximo periculo Reip. quod concitant amici Antonii, quando ejus fingunt responsa, dicuntque irritari Antonium non oportuisse Ciceronis oratione. *Num.* 1 *Parvis de rebus.*

Hos (maximè L. Pisonem) refellit officio consularis, cujus est, ulciscendo, & pertimescendo nefarios cives, cavere, & prospicere saluti Reip. isti verò non constantes cives, nec consulari nomine digni sunt, qui in re improba, id est, favendo Antonio, populares putant esse; iidem in re una, quæ salutaris sit populo, & Reip. id est ulciscendo, & pertimescendo Antonium, sunt nequam, & improbi. *Num.* 4. *Vtrum igitur.*

Confirmat consulare officium, exemplo C. Pansæ. *Num.* 5. *Accipiet in optimam.*

Confirmat & suo exemplo, qui semper Remp. in pace, atq; otio esse voluit. *Num.* 7. *Itaq; ego ille,*

ANNOTATIO.

Curat unicè Remp. Cicero, & strenuè Consularis viri officio fungitur, cavendo ab Antonio, ejusq; fautoribus, à quibus reprehenditur, quia bellum urgeat contra irritatum Antonium, qui pacem mavult, quàm bellum. Hos quidem Cicero negat esse populares, aut consulares, aut deniq; cives, quia inconstanter & improbè defendant virum improbum, & benigniora ejus responsa fingant, contra salutem patria,

Itaq; hoc exordio conciliat sibi populum, & Antonianos adducit in invidiam. Dissuasurus etiam pacem cum Antonio, præmunit se, & aliàs pacis commodum, studiumq; præ se fert.

CONTENTIONIS
Propositio & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Senatus non debet pacem velle cum Antonio.

Distributio seu argumenta sunt hæc dilucidè expressa, petitâ attentione: 1. quia ista pax turpis est. 2. periculosa, 3. quia esse non potest. *Num.* 9. *Cur igitur pacem.*

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, & Affectus.

PRopoſitionis primum argumentum, *pax cum Antonio eſt turpis*, deducitur hoc ſyllogiſmo: inconſtantia eſt turpis Senatui; ſed eſt inconſtantia Senatum cum Antonio ſubito pace velle conjungi, quem modò hoſtem non verbo, ſed re judicavit; igitur pax cum Antonio eſt turpis. Major probari non eget *Ibid. Quid eſt inconſtantiâ.*

Minor per interrogationem amplificatur enumeratione decretorum Senatus *Num.* 10. *Quaſi vero cum.* Deinde pulcherrimâ inſinuatione Cicero auget inconſtantiam, ac turpitudinem Senatûs ex decreta nuper legatione ad Antonium. *Num.* 13. *At legatos.* Tum maximè dedecus accumulat à conſequentibus, ſi fiet pax, & in Senatum ſuſcipietur Antonius: quare monet, adhortaturque Senatum, uti conſtantiam retineat, uti mortem anteponat ſervituti Antonii, cujus ſcelera replicat. *Num.* 14. *Retinenda eſt igitur.*

Propoſitionis ſecundum argumentum, *pax cum Antonio eſt periculoſa*, exponitur hoc Enthymemate: Ex pace, quæ cum Antonio fiet brevi tempore orietur bellum longè gravius; ergo pax cum Antonio eſt periculoſa.

Antecedens amplificatur futurâ (cavillando præſertim, Lucii ſcelera ſubjicit) Antoniorum potentiâ, ac multitudine perditorum civium, qui ſe illis jungent. *Num* 16. *Satis multa.*

Conſequens Enthymematis conſtat inſuper adhortatione, ut Senatus bellum gerat, ſi pacem vult: ejus officium & facultates, ſuam quoque Cicero fidem, & curam proponit in tanto periculo. *Num.* 19. *Nec ego pacem.*

Propoſitionis tertium argumentum, *pax cum Antonio eſſe non poteſt*, demonſtratur hac inductione: non poteſt eſſe pax Antonio, & Senatui, & Equitibus, & univerſo populo Rom. & municipiis, & aliis privatis, Naſidio, Cæſari, Bruto: Igitur pax cum Antonio eſſe non poteſt. Antecedens clarè eſt deductum. *Num.* 21. *& ſeq. Dixi de periculo.*

Conſequens breviter ſubjicitur, & Orator monet periculum. *Num.* 25. *Omnia videbitis.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Nihil non monet Cicero, ut dissuadeat pacem: monet Senatum pro consulari vigilantia, hortatur pro gloria populi Rom. urget pro potentia, ac sceleribus Antoniorum: ubiq; pacis periculum, & turpitudinem, & maximè difficultatem opponit.

Clara est autem hujus contentionis distributio, & ordo argumentationum: amplificationes breviter assurgunt, ne reprehendere asperius Senatum, aut ad pacem nolendam videatur impulisse: transitiones sunt apertæ: affectus præcipuè constant hortatione Senatus, & charitate Reip. & infectatione Antoniorum.

PERORATIO.

PErgit Orator monere periculum simulandæ pacis ab Antonio, nisi paruerit. *Num.26. Quorsum hæc.*

Pergit adhortari Senatum, ut periculum caveat. *Num. 27. Sed vos moneo.*

Pansam etiam Consulem parvâ insinuatione hortatur, ut omni periculo populum liberet. *Num.28. Teipsum moneo.*

ANNOTATIO.

Absolvitur idem affectus, qui antè in contentione, & in exordio.

VIII. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Mortuo in legatione Sex. Sulpitio, L. Piso, & L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad Senatum postulata retulerunt. Tum Senatus bellum indixit Antonio, sed in Senatus-consulto, nonnullorum suasu tumultum appellare maluit, quàm bellum. Id Cicero reprehendit, quasi leniore Senatu, quàm in eum oporteret esse, qui ei non pareret; Mutinamq; nihilo segnius post auditam legationem, quàm anteà oppugnaret. Deinde cum Caleno adhuc de pace agente, pacisq; commoda commemorante, & Massiliensium commoda oppugnante, acerbè queritur: & simul eos accusat, qui mittendos etiam ad Antonium legatos censuerant. Pisonem, & Philippum increpat, qui mandata Antonii, tanquam ejus legati, non tanquam à Senatu missi retulissent. Manut.

Quæstio hujus orationis est in genere demonstrativo (nam Antonii fautores reprehenduntur) an multi turpiter faveant Antonio.

Stylus est temperatus, nisi subinde assurgit affectibus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Lenior fuit contra institutum suum C. Pansa Consul, qui in sententiam L. Cæsaris, & aliorum discessit:

PROPOSITIO. Multi in Senatu turpiter favent Antonio.

ARGUMENTA.
1. Quia inconsideratè Senatus tumultum potiùs, quàm bellum contra Antonium decernit.
2. Inconstanter ac timidè aliqui Senatores agunt de mittendis iterum ad Antonium legatis.

ARGUMENTATIO.

1. Argum. Si tumultus decernitur; bellum, aut quid gravius decernitur; etiam reipsà est bellum cum Antonio: ergò inconsideratè Senatus tumultum potiùs, quàm bellum contra Antonium decernit:

AMPLIFICATIO, ET

1. Argument. Quid absurdius est isto tumultus verbo? etenim potest esse bellum sine tumultu: tumultus esse sine bello non potest. Deinde ipso Senatus, & Consulis Hirtii præjudicio, reipsâ nunc est bellum, & crudelissimum quidem ob latrocinia Antonii. Quid igitur volunt isti Senatores? præsertim Calenus, qui pacis nomine servitutem vult, atque improbos cives salvos, dissimili exemplo clarissimorum virorum. Nec de pace solùm; sed etiam de interitu Clodii, de Bruto, de Massiliensibus, cum Cicerone dissentit Calenus.

TATIO.

2. Argum. ſuperbè Antonius tractavit legatos, quos Senatus miſit, continuò denuntiandi belli causâ, niſi ille mandatis paruiſſet: ergo inconſtanter ac timidè aliqui Senatores agunt de mittendis iterum ad Antonium legatis.

AFFECTUS.

2. Argument. Iterum mittere legatos, poſtquàm Antonius hos reſpuit, his ſuperba mandata dedit? quis pudor? ſed quàm præpoſterè legati funguntur officio? non ſic Majores olim & C. Popilius: verùm & Senatus languidior factus, cunctatur Antonium ulciſci; Cotylæ honores exhibet; quando Scævolæ, & Ciceronis fortitudinem imitari debet.

PERORATIO.

Iis, qui cum Antonio fuerunt, ut impunitas detur, ſuadet Cicero.

EXOR-

EXORDIUM.

APostropha Cicero reprehendit C. Pansam Consulem, cujus lenitatem plures secuti sunt, præcipuè L. Cæsar, sed hunc excusat, *Num.* 1. *Confusius.*

ANNOTATIO.

Indignatus Cicero (quia victa sit sua sententia) incipit ex abrupto: non tamen sine aliquâ insinuatione, seu laude virtutis, quam Consul Pansa ad eam diem ostendit.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc: multi turpiter favent Antonio.

Distributio seu argumenta sunt hæc: primò quia inconsiderate Senatus tumultum potiùs, quam bellum, contra Antonium decernit. Secundò quia inconstanter ac timidè aliqui Senatores agunt de mittendis iterum ad Antonium legatis.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis primum argumentum, *inconsideratè Senatus tumultum potius quàm bellum contra Antonium decernit*, hoc Enthymemate tractat orator: si tumultus decernitur, bellum, aut quid gravius decernitur; & jam reipsâ est bellum cum Antonio: ergo inconsideratè Senatus tumultum potiùs quàm bellum, contra Antonium decernit.

Antecedens patet ex definitione tumultus. *Num.* 3. *At in quo.* Deinde reipsâ bellum esse cum Antonio probat Cicero per interrogationem, tum ex præjudiciis Senatus. *Numer.* 4. *Sed nimis multa.* Tum ex præjudicio Hircii Consulis, *Numer* 6. *Non est hostis.* Amplificat hoc bellum longè

gè maximum, comparatione cæterorum civilium bellorum. *Num 7. Virum hoc bellum.* Causam præsertim hujus belli amplificat longè crudelissimam ex latrociniis Antonii. *Num. 8. Quæ est igitur.*

Hinc digreditur in Calenum, qui absurdè pacem velit, ut latroni Antonio populus Rom. serviat. Aut, ut ipse privato commodo dominetur cum Antonio. *Numer.* 11. *Hic mihi etiam.*

Aut etiam, ut omnes cives salvi sint, dissimili sententiâ patris sui, & dissimili exemplo plurium clarissimorum virorum, qui improbos cives sustulerunt. *Num.* 13. *Atqui is es.*

Nam similitudine ait Cicero melius esse unum civem sceleratum mulctari, quàm innocentes multos, & totam Remp. interire. *Num.* 15. *Hoc interest.* Verùm non de pace tantum, aùt de improbis civibus tollendis ; sed etiam de aliis, non iracundè (vide insinuationem) sed vehementer & Reip. causâ, cum Caleno dissentit Cicero: ac primùm de interitu P. Clodii, quem ille civem fuisse optimum arbitratur. *Num.* 16. *Vae in homine.*

Deinde dissentit de D. Bruto, quem obsessum infirmat Calenus, favendo Antonio, & adhuc de pace agendo. *Num.* 17. *Immò verò ego.*

Tùm dissentit de Massiliensibus, quibus, interfecto Cæsare, ne bona restituerentur, in Senatu obstitit Calenus: de hoc queritur atque instat Orator, amplificata calamitate istius civitatis fidelissimæ. *Num.* 18 *Ego te eum.*

Propositionis secundum argumentum, *inconstanter ac timidè aliqui Senatores agunt de mittendis iterum ad Antonium legatis*, hoc Enthymemate exponitur: superbè Antonius tractavit legatos, quos, Senatus misit, continuò denuntiandi belli causâ, nisi ille mandatis paruisset: igitur inconstanter ac timidè aliqui Senatores agunt de mittendis iterum ad Antonium legatis.

Antecedens (facta transitione & præmunitione) effertur indignatione tum contra insolentem Antonium, qui legatos populi Rom. ad Mutinam contempsit, rejecit, mandata dedit; tum & contra languidiorem, timidioremque Senatum. *Num.* 20. *Venio nunc.*

Queritur etiam Cicero de Philippo, & Pisone legatis, qui cùm essent missi, ut Antonio ex Senatus sententia certas

res

res nuntiarent; cùm ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad Senatum intolerabilia poſtulata retulerant, diſſimili exemplo Majorum ſeu C. Pompilii. *Num.* 23 *Pro Dii immortales.* Mandata verò Antonii, & reſponſa ſigillatim ironiâ recenſet. *Num.* 25. *At quam modeſta mandata fert?* Honorem præterea in Senatu exhibitum Cotylæ, Antonii legato, indignatur oppoſito contemptu legatorum populi Romani, quos obiter quoque reprehendit ab inconſtantia, & timore. *Num.* 28 *Hac tu mandata.*

Denique ſuum Cicero in Rep. tuendâ ſtudium & fortitudinem, & vigilantiam, exemplo Q. Scævolæ mitandam proponit. *Num.* 29. *O Dii immortales.* Suo etian exemplo docet Senatum eſſe ſignatum, & ad bellum contra Antonium accinctum remiſſo Cotyla. *Num.* 32. *Equidem P. C.*

ANNOTATIO.

Liberiùs Cicero reprehendit Senatus judicia, nec conſtantiam: quia prius bellum cum Antonio hoſte decreverit, & nunc ſit re ipsâ maximum, jam confuſiùs abhorrens ab aſpriori verbo, decernit tumultum, qui bello longè eſt gravior. Acerbè etiam invehitur in Q. Fuſium Calenum, quia ſtudioſior Antonii, & proprii commodi, quàm Reip. adhuc pratextâ turp pace, & lenitate in omnes cives: ſervire velit populum Romanum improbo latroni. Itaque Orator totâ contentione in tres affectus prorumpit: 1. Indignationis, exaggerans latrocinia, & inſolentiam Antonii. 2 Doloris & querimonia, videns inconſtaniam, ac timiditatem Senatus. 3. amoris in Remp. nihil nonagere & pati certus pro illius defenſione, ſueque; & Majorum exemplo omnes excitans ad ſagum.

PERORATIO.

Cicero decernendum cenſet, ut iis, qui cum Antonio ſint, poteſtas detur ad ſanitatem redeundi ante idus Mart. primas: bene merentibus gratiæ referanur, proficiſcendi ad Antonium, excepto Cotylâ, nemini facultas concedatur. *Num,* 33. *Quas ob res.*

ANNOTATIO.

Quod reliquum eſt ſua ſententia exponit Cicero, ut denique ſubveniatur Reip. ita curam patria gerit ad extremum, & preores affectus concludit.

IX. PHIL.

IX PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Referente Pansâ Consule de honore Serv. Sulpitii, qui legatus ad Antonium cum Pisone, & Philippo missus prope castra quidem pervenerat, sed ante quàm Senatus mandata exponeret, obierat, P. Servilius sententiam rogatus, decernendum ei publicè sepulchrum censuit, statuam non censuit: quòd statua decerni solerent iis, qui in ipsa legatione essent interfecti, non quibus mortem casus attulisset. Post eum Cicero rogatus, honorem sepulchri Sulpicio non ademit, sed eum omnino statuâ ornandum esse censuit, eâ potissimum ratione usus, quòd, cum ad Antonium gravi affectus morbo sit profectus, non ei casus, verùm ipsa legatio mortem attulisse videatur. Manutius.

Quæstio hujus orationis est in genere deliberativo; an Sex. Sulpitio in legatione mortuo honor statuæ sit tribuendus.

Stylus est temperatus.

SYNOP-

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero mallet vivo Sulpitio gratias agere, quàm mortuo honores quærere. Etenim nullus legatus plus ipso Reip. studuit.

PROPOSITIO. Servio Sulpitio in legatione mortuo honor statuæ est tribuendus.

ARGUMENTUM. Quia ipsa legatio mortem attulit Sulpitio.

ARGUMENTATIO. Cui ipsa legatio mortem attulit, ei honor statuæ est tribuendus: sed ipsa legatio mortem attulit Sulpitio: ei igitur honor statuæ est tribuendus.

AMPLIFICAT. ET AFFECTUS. Insignis fuit hæc virtus Sulpitii, hoc constans studium parendi Senatui, ut vel ipso legationis munere vitam amiserit. Igitur nunc grati est Senatus, maximos honores, non statuæ modò, sed etiam sepulchri, mortuo Sulpitio conferre. Nam si ex majorum consilio non tam genus mortis, quàm causa quæri debeat ut cuipiam honor statuæ decernatur; certè legatio non minùs Sex. Sulpitio mortem attulit, quàm ad Vejentium Regem legatis, & C. Octavio; quibus à Senatu statua est posita.

PERORATIO. Decernitur pompa & apparatus sepulturæ, ac sepulchri Sex. Sulpitii.

EXOR-

EXORDIUM.

ORator Sex. Sulpitio justos honores quærit, quia magna constantia & magno studio Reip. in legatione mortem obierit. *Num.* 1. *Vellem Dii.*

ANNOTATIO

Cicero dolore, & officio, à sua & Sulpitii persona (quam laudat, & meritum ejus mortis amplificat) auditores conciliat.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc Sex. Sulpitio in legatione mortuo honor statuæ est tribuendus.

Distributio seu argumentum est hoc: quia ipsi legatio mortem attulit.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis argumentum, *Sex. Sulpitio legatio mortem attulit*, hoc syllogismo deducitur: cui legatio mortem attulit, ei honor statuæ est tribuendus: atqui Sulpitio legatio mortem attulit: ei igitur honor statuæ est tribuendus.

Majorem interpretatur Cicero consilio Majorum, qui non genus mortis, sed causam quærendam censuerunt: hi enim idcirco quatuor legatis ad Veientium Regem, & Cn. Octavio statuam posuerunt, quòd ipsis legatio mortem attulisset. *Num.* 3. *Ego autem P. C*

Assumptio amplificatur à vigilantia Sulpitii, & constante studio parendi Senatui: propter quæ ille mortem obiit. *Num.* 5 *Itaque P.C.*

Concludit Cicero (præsertim licentiâ) decernendam à Senatu esse statuam Sex. Sulpicio, qui auctoritatem Senatus vitæ

vitæ ſuæ antetulit. *Num. 7. Quocirca ad poſteritatis.* Item in fine hortatur Senatum. *Num 19. Reddite igitur.*

Digreditur in laudem Sulpitii, qui non magis juris conſultus, quàm juſtitiæ fuit. *Num. 11. Nam reliqua.* Redit ad ſtatuam ipſi decernendam, qua tametſi non eget propter virtutes & glorioſam vitam: tamen hæc erit monumentum mortis honeſtæ, vel grati Senatus, & ſolatium afflicti filii. *Num. 11. Ergo hoc ſtatua.* Atque hanc ſtatuam cenſet Cicero, ex defuncti ſententia debere eſſe pedeſtrem æneam. *Num. 13. mihi autem.*

Probabitur etiam hæc ſtatua P. Servitio, qui majores honores, id eſt, ſepulchri decernendos cenſuit. *Num. 14. Atque hanc meam.*

Hortatur Senatum ad utroſque honores Sulpitio mortuo conferendos. *Num. 15. Augeatur igitur.*

ANNOTATIO.

Hæc oratio eſt quoddam quaſi elogium mortui: & quanquam ſit in genere deliberativo; verſatur tamen magna ex parte circa laudes Sulpitii, *quia maxima conſtantia parendi ſenatui, & maximo ſtudio Reip. conſervandæ, in legatione vitam ſanctiſſimè, honeſtiſſimeque actam amiſerit.*

PERORATIO.

Cicero magnificè concludit, cauſas ſuæ ſententiæ, ſeu decreti faciendi à Senatu circa pompam & apparatum ſepulturæ, & ſepulchri Sex. Sulpitii. *Ibid. Quas ob res.*

ANNOTATIO.

Accuratè, diligenterque omnia præſcribit Cicero de ſepultura & ſepulchro Ser. Sulpitii; quippe officioſus, & non ſuo magis, quàm Reip. amico gratus Orator. Qua re Senatorum provocat ſtudium, ut Sulpitium æmulati, ita contra Antonium Remp. conſervent, ut juſtos quoque ex honeſta vita, & morte honores reportent.

SYNOPSIS

EXORDIUM.

Cicero agit gratias Pansæ ob convocatum Senatum, & laudatum Marcum Brutum.

PROPOSITIO.

Omnia quæ gessit M. Brutus in Græciâ, maximè quando abduxit exercitum à C. Antonio, sunt publica Senatus auctoritate confirmanda.

ARGVMENTA.

1. Quia acta M. Bruti non sunt periculosa Reip.
2. Acta M. Bruti non offendunt veteranos.

ARGUMENTATIO.

1. Argum. Quidquid egit M. Brutus, Reip servandæ causâ egit: igitur acta M. Bruti non sunt periculosa Reip.

2. Argum. Veteranorum causa, & Bruti, & quatuor exercituum populi Rom. est eadem; ut hi simul juncti contra Antonium Remp. servent: igitur acta M. Bruti non offendunt Veteranos.

AMPLIFICATIO, ET AFFECTVS.

1. Argument. Tametsi Brutos oppugnet Calenus, & faveat Antoniis, perpetuò unus à Cicerone cæterisque Senatoribus dissentiens: Bruti tamen virtus extat, tum in relinquenda patria, & Apollinaribus ludis; tum abducendo C. Antonii exercitu, occupandaque celeriter Græcia; quæ nisi faucibus Antonii esset erepta, multum hodie detrimenti Resp. pateretur. O divinum igitur Brutum, & Reipublicæ natum!

2. Argum. Sunt in Senatu, qui omnia metuunt, & semper optimis causis, Veteranorum nomen opponunt; quasi verò Veterani, & quatuor exercitus populi Romani, id simul omnes cum M. Bruto non intendant, ut D. Brutus obsidione liberetur. Adde, C. Pansa exercitum Bruti suspectum non habet. Quidni igitur Senatus sine metu hunc aliis adjungit?

PERORATIO.

Concludit Cicero ea, quæ de M. Bruto, aliisque censet.

EXORDIUM.

Cicero agit gratias Pansæ, quia litteris M. Bruti acceptis Senatum statim vocavit, atque idem suâ oratione M. Brutum laudavit. *Num.1. Maximas tibi.*

ANNOTATIO.

Captat benevolentiam Cicero tum à persona Bruti, & Pansa, qui non sine laude M. Brutum laudavit; tum ab officio in familiarem virum.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: omnia quæ gessit M. Brutus in Græcia, maximè quando abduxit exercitum ab Antonio sunt publica Senatus auctoritate confirmanda. Distributio seu argumenta sunt hæc: 1. quia acta M. Bruti non sunt periculosa Reip. 2. quia acta M. Bruti veteranos non offendunt.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propositionis primum argumentum, *acta M. Bruti non sunt periculosa Reip.* hoc Enthymemate latiùs tuetur Orator: quidquid egit M. Brutus, egit Reip. servandæ causâ; ergo acta M. Bruti non sunt periculosa Reip.

Antecedenti præmittitur acris reprehensio Caleni, qui perpetuò à Cicerone, & cæteris Senatoribus dissentit, ut Brutos non probet, qui Remp. defendunt; Antonium autem, qui oppugnat, probet vel maximè. *Num. 2. Sed mihi P. C.* Urget Cicero Calenum, & instat à persona filii. *Num. 4. Amplissima tibi.* Litteras Bruti malignè ab ipso laudatas queritur, *Num. 5. Hoc verò Q. Fufi.*

Communicatione virum admonet sapientioris sententiæ; & Senatum, ut Brutum ornet, Antonium deserat. *Num. 6. Quamobrem collige te.* Præmissâ reprehensione Caleni

Caleni antecedens amplificatur. 2. Insigni patientia & consilio M. Bruti, patriam & Apollinares ludos relinquentis Reip. servandæ causâ: Quare sæpius exclamans Orator miratur, commiserationem absenti Bruto commovet, Antoniis invidiam, sibi pudorem. *Num. 7. At de hâc quidem.* Amplificatur 2. Ex iis, quæ facturus fuerit C. Antonius, nisi ab eo M. Brutus exercitum abduxisset, & spem occupandæ Græciæ præclusisset, *Num. 9. Expectatum igitur.*

Digreditur breviter Cicero in M. Antonium, cui erepta est Græcia, & jam præter tria oppida (Bononiam, Regium Lepidi, Parmam) nihil tenet. *Num. 10. Equidem cupio.*

Bruti etiam divina virtus, ac celeritas in occupanda Græcia commendatur, & cum celeritate C. Antonii confertur. *Ibid. Erat ei spes.*

Deinde occupans Orator quod posset objici, ostendit Bruto potiùs, qui Remp. defenderet, quàm Antonio, qui everteret, exercitum cedere debuisse. *Num. 11. At quid ei.*

Id judicium non Senatus modò, sed militum etiam fuisse approbat. *Num. 13. Nec verò nos.* Consequens Enthymematis anacephalæosi ornatur. *Num. 14. Tenet igitur populus Rom.*

Propositionis secundum Argumentum, *acta M. Bruti veteranos non offendunt*, prosequitur Cicero hoc Enthymemate: veteranorum causa, & Bruti, & quatuor exercituum populi Rom. est eadem, ut hi simul juncti contra Antonium Remp. servent: ergo acta M. Bruti veteranos non offendunt.

Antecedens probatur ex communi omnium studio D. Brutum obsidione liberandi, & acta Cæsaris tuendi. *Num. 15. Sed jam video.*

Confirmatur auctoritate C. Pansæ, qui Bruti exercitum suspectum non habet. *Num 17 Quid est igitur.* Quare Cicero objurgat eos, qui omnia metuunt, & semper optimis causis veteranorum nomen opponunt: his quidem Veteranis, si arrogantes sint, negat esse serviendum. *Ibid. Desinant igitur.* Hac occasione delabitur (licentiâ) ad turpitudinem servitutis ostendendam, & populi Rom. libertatem ipsa morte potiorem. *Num. 19. Omnis est enim.*

Facultatem etiam ostendit opprimendi Antonii, viribus

ejus contemptis. *Num.* 21. *concurritur undique.* Denique suadet Senatui, ut cæteris exercitibus populi Rom. præsidium M. Bruti, sine metu, aut periculi suspicione adjungat. *Num.* 23. *Ad hæc postes.*

ANNOTATIO.

Orator eo artificio auget virtutem M. Bruti in relinquenda Italia, & consilium in occupanda Græcia, abducendoque exercitu ab Antonio, ut simul augeat hujus viri charitatem in Remp. cui dexteram tendit, summque ei præsidium pollicetur: Quare acta Bruti censet esse Senatus auctoritate confirmanda, ejusque exercitum cæteris populi Rom. copiis adjungendum. Nam quod Calenus, aliique fautores Antonii verentur, ne potentior sit Brutus cum periculo Reip. & Veteranorum offensione, acriter refellit Cicero tum auctoritate Consulis Pansæ, tum communi Bruti, & Veteranorum studio conservandæ Reip. Excitat igitur tutus Orator Senatum ad desiderium M. Bruti, quia Remp. defendat; & ad fugam Antonii, qui eam oppugnet.

PERORATIO.

EXplicat Cicero, quid censeat de actis M. Bruti, & Q. Hortensii; suamque sententiam persuadet Senatui. *Num.* 25. *Quacùm ita sint.*

ANNOTATIO.

Cicero etiam aliàs conclusit orationem expositione suæ sententiæ; ut peroratio sit quasi corollarium omnium, quæ magno studio prius dixit, contenditque.

XI. PHI-

XI. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Obtinente Asiam provinciam C. Trebonio decretam à Senatu post Cæsaris interitum, Dolabella in Syriam, Antonii sibi lege traditam proficiscens, cum Trebonio familiarissimè collocutus, eumque summa benevolentia simulatione complexus, incautum Smyrnæ oppressit, atque interfecit, & Asiam universam occupavit. Hoc nuntio Romam perlato, Senatus hostem Dolabellam judicavit; belloque persequendum censuit: sed cum ejus belli cura non satis constaret, cui mandanda videretur, cùm alii aliter sentirent? Cicero deplorata prius Trebonii morte, Imperatorem omnino L. Cassium, qui Dolabellam terra marique persequeretur, esse deligendum censuit.

Quæstio hujus orationis est in genere deliberativo, an bellum contra Dolabellam Cassio & Bruto mandandum sit.

Stylus est mixtus.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Cicero in acerbissima morte Trebonii, hoc Reip. profuturum putat, quòd Dolabellæ, & Antonii sit immanitas perspecta: fiet enim (nullo hortatore) ut Senatus eo majore studio libertatem defendat, quo crudeliùs optimum civem à gemino hoste contrucidatum videt.

NARRATIO. Dolabella præmisso Marso, invadens in Asiam, C. Trebanium Asiæ præfectum noctu Smyrnæ circumvenit, & crudeliter occidit.

PROPOSITIO. Bellum contra Dolabellam est Cassio & Bruto mandandum.

ARGUM. 1. Quia Cassius & Brutus in iis Asiæ partibus sunt cum expeditis & paratis copiis.
2. Cassius & Brutus feruntur studio liberandæ Reipublicæ.

ARGUMENTATIO. Contra Dolabellam Imperator est is deligendus, qui exercitum habeat, & perspectum animum in liberanda Rep.: tales sunt Cassius & Brutus: bellum igitur contra Dolabellam est Cassio & Bruto mandandum.

AMPLIF. ET AFFEC. In primis rejiciatur ea sententia, quæ contra exempla Majorum, & cum periculo Reip. privato homini P. Servilio hoc bellum mandandum censet: nam olim de Cn Pompeio & nuper de Octavio, dissimilis est ratio. Nec deinde Consulem Pansam convenit D. Brutum deserere, & provinciam Asiam expetere, unde suspiciones hominum augeat. Nunc igitur restant Cassius & Brutus Imperatores ad hoc bellum deligendi: qui enim potiores? copias habent optimas, & animum liberandi Remp., præfixâ sibi lege certissimâ, Dolabellam persequendi. Adde hos esse peritos militiæ, quibus se jungent plures Asiatici.

PERORATIO. Ciceronis sententia de suprà dictis.

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero in miserabili morte Trebonii, immanitatem Dolabellæ amplificat, comparatione Antonii, Cinnæ, Marii, & Syllæ *Num. 1. Magno in dolore*

Mox istorum duorum, Dolabellæ, & Antonii crudelia in cives Romanos consilia explicat, hortaturque populum ad libertatem contra hos hostes recuperandam. *Num 2. Ecce tibi geminum.*

ANNOTATIO.

Hoc exordio magnam Trebonio commiserationem movet, adversariis odium, sibi benevolentiam, Senatus animum libertatis.

NARRATIO.

Exponitur 1. quomodo Antonius invasit in Galliam, repressus à Bruto; & Dolabella in Asiam, præmisso latrone. *Num. 4. In Galliam* 2. Quomodo Dolabella C. Trebonium Asiæ præfectum noctu Smyrnæ circumvenit, & crudelem in modum interemit. *Num. 5. Consecutus est* Fit statim digressio in affectum odii contra Dolabellam, imaginem crudelitatis M. Antonii. *Num. 6 cum host. hoc*

Subjicitur hypotyposi cædes Trebonii, & hujus per biduum cruciatus amplificantur ad commiserationem *Num. 7. Ponite vobis.*

Quamquam magis cruciatur animo Dolabella, quia à Senatu hostis est judicatus, quàm corpore Trebonius (exempla Reguli) cujus mortem ulciscetur Senatus. *Num. 8. O multo miserior.*

Tum, ad majus odium, confertur vita Trebonii cum crudelitate, & libidine Dolabellæ, à quo tamen amico non cavit Cicero. *Num. 9. Nam cæteris quidem.* Quare monetur Senatus, ut diligentiùs caveat ab Antonio, cujus socii pari scelere, & crudelitate certant. Atque est insignis ironia singulorum, quos recenset Cicero ad invidiam & odium. *Nu. 10. A quo admoniti.* In fine approbata Fusii sententia, fit transitio ad propositionem contentionis. *Nu. 15. Quapropter ut.*

NARRATIONIS ANNOTATIO.

Non est ista causæ narratio; verùm oratoriè fit ad commiserationem Trebonii & ad odium Dolabellæ cum Antonianis. Hi enim duo affectus in animis Senatorum excitati, maximè prosunt causæ, ut Imperator idoneus deligatur ad crudelem Dolabellam, & Antonium bellò persequendum.

CONTENTIONIS
Propositio, & Distributio.

Contentionis propositio est hæc: Bellum contra Dolabellam Cassio & Bruto mandandum est.

Distributionem præcedit confutatio duarum sententiarum, quarum altera sit periculosa, altera his temporibus aliena. Inprimis improbat Cicero periculosam aliquorum sententiam, qui contra Majorum exempla, censent, privatum Imperatorem extra ordinem mittendum esse. *Nu.* 16. *Duæ dictæ sunt sententiæ.* Quòd si aliàs privato homini, Cn. Pompeio Imperium sit datum, id à turbulentis (Gabinio & Mummio) Tribunis pleb. contigit: nunc dissimili ratione L. Cæsar bellum contra Dolabellam extra ordinem P. Servilio, lege ad populum lata, mandandum esse censuit. Adde, ista suffragatio in Senatu (quam Cicero comitia, & ambitionem vocat) est libertati obnoxia, & periculosa, ne aut alii consulares viri idèm petant, & prætereantur, aut Servilius repulsam ferat. *Num.* 18. *De Cn. Pompeii.* Nuperrimè autem Octavio Cæsari, privato, etiam sententiâ Ciceronis, imperium dari necessitas coegit. *Nu.* 20. *At enim C nam.* Deinde improbat alteram sententiam turpem & inutilem Reip. ut consules Asiam & Syriam sortiantur: nam turpe est, C. Pansam consulem desertâ Mutinâ, in Asiam ire; & inutile intentum liberando Bruto animum distrahere ad persequendum Dolabellam. *Nu.* 21. *Illa verò P.C.*

Adde sermones hominum, suspiciones, invidiam: quæ ut vitet Pansa, tum exemplo suo Cicero obtestatur, tum à persona collegæ Hirtii, & animo exercitus Rom. *Num.* 23. *Adde*

istuc

istue. Posteà liberato Bruto, dignissimè ipsis consulibus provinciæ deligentur. *Num. 24. Quòd si provincia.* Tertio ista sententia affert tarditatem ad Dolabellam persequendum; dum consul veniat, dum P. Servilius, qui recusat ire, aut alius mittatur. *Nu. 25. Quid si etiam.*

Post confutationem hæc est contentionis distributio, seu propositionis argumenta: bellum contra Dolabellam Cassio & Bruto mandandum est, 1. quia hi in iis Asiæ partibus sunt cum expeditis & paratis copiis, 2. Quia hi feruntur studio liberandæ Reip.

CONTENTIONIS

Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

PRopositionis utrumque argumentum commiscetur ab Oratore, & explicatur hoc syllogismo: contra Dolabellam Imperator est is deligendus, qui exercitum habeat, & perspectum animum in liberanda Rep. tales sunt Cassius & Brutus: igitur bellum contra Dolabellam Cassio & Bruto mandandum est.

Major est paucis expressa. *Nu. 26. Expedito nobis.*

Minor constat de Bruto, nisi tantisper adhuc est necessarius Italiæ, aut etiam Græciæ. *Ibid. Quis igitur.* Quamquam hic vir Brutus ita sit affectus, ut si intelligat è Rep. esse persequi Dolabellam, lege sanctissima, & more optimo id faciat, non expectato Senatûs decreto. *Ibid. Quòd si confecerit.*

Eandem legem rectissimam sibi præfixit Cassius, ut prohiberet Syria Dolabellam. *Nu. 28. Quid C. Cassius.* Proinde ut acta Cassii auctoritate Senatûs firmentur, ipseque proconsul provinciam Syriam obtineat, & cum imperio Dolabellam hostem persequatur, censet Cicero. *Nu. 29. Sed ut ex vestra.*

Deinceps amplificat Orator copias, & animum, & militarem peritiam Cassii: cui optimo Imperatori se adjungent plures, præsertim Deiotarus Pater, cujus obiter laudes recenset. *Nu. 32. Hoc Senatus-consulto.*

Digreditur, & occupat adversarios, quare tantopere Cassium & Brutum laudet, oderit Antonios. *Nu. 36. Animadverti P.C.*

Nec veretur primum genus Veteranorum offendere, qui comites sunt Antonii & Brutum obsident. *Nu. 37. Vide, inquit.*

Alterum

Alterum genus Veteranorum ne offendat, veretur, qui Brutum obsidione cupiunt liberare. *Num.* 38. *Quorum igitur.* Tertium genus, id est hostium, & arrogantium, & importunissimorum adeo non timet, ut etiam liberè illis tyrones præferendos putet. *Num.* 39. *Ego autem.*

ANNOTATIO.

Confusior paulò videtur contentio, facta narratione extra causam, & inserta confutatione duarum sententiarum, atq; etiam permixtione duorum argumentorum, in qua divisa est propositio. Verùm eò spectat Orator distinctè, ut bellum contra Dolabellam Cassio & Bruto mandetur. Primùm pathetica narratione, invisos & odiosos hostes facit Dolabellam & Antonium, ex pari crudelitate in cives Romanos: quod maximè Senatum inflammat ad bellum contra has furias gerendum. Itaq; decreto bello, cum expedito, & parato Imperatore sit opus, nemo autem, judicio Ciceronis, paratior esse possit, quàm aut Brutus, aut Cassius, aut uterq; propter optimas copias, & perspectum animum in liberanda Rep. callidè in horum Imperatorum laudes assurgit, & eorum acta prædicat; censetq; auctoritate Senatus confirmanda. Iam ipsa confutatione removet, Majorum exemplo, imperium hujus belli à P. Servilio privato, & à Consule Pansa, cujus dignitate alienum sit, deserto D. Bruto, provinciam Asiam velle expetere, & suspiciones hominum augeri. In utraq; refutatione est sapiens insinuatio Oratoris, ne sibi amicos offendat L. Cæsarem & Pansam Consulem.

PERORATIO.

Brevissimè concludit Cicero affectum suæ sententiæ. *Nu.* 40 *Quæ cùm ita sint.*

ANNOTATIO.

Si arbitrari licet, brevitate ipsa videtur Orator velle pondus addere suæ sententiæ comprobandæ, & quasi quadam anacephalæosi complecti omnia, quæ priùs dixit, ut & sententia comprobetur.

XII. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Retulerat Pansa Consul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti erant P. Servilius, & ipse Cicero. Legationem non modò supervacaneam esse, cùm ab Antonio pacem sperare non liceat, sed inutilem etiam, ac turpem, multis argumentis Cicero docet; quòd si rursus agendum, de pace cum Antonio sit, minimè tamen omnium se legatum deligi oportere: nec tamen in ea re vita sua majorem quàm Reip. quam semper defenderit, rationem habere velle.

Quæstio est in genere deliberativo, an novi legati de pace ad Antonium sint mittendi, immò ipse Cicero.

Stylus est temperatus.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Semel cum Senatu & Pansa deceptus est Cicero à perfidis quidem legatis: nunc secundò decipi, & errare, novos ad Antonium legatos mittere, non est hominis, sed insipientis.

PROPOSITIO. Non legati de pace ad Antonium sunt mittendi, nedum Cicero.

ARGUMENTA.
1. Quia agitur libertas populi Rom.
2. Agitur dignitas populi Romani.
3. Agitur fama Ciceronis.
4. Agitur vita Ciceronis.

ARGUMENTATIO.

1. Argum. Acerrima illa & fortissima populi Rom. libertatis recuperandæ cupiditas imminuetur, ac debilitabitur, nova legatione pacis auditâ: ergo agitur libertas populi Romani.

2. Argum. Non potest ulla esse pax cum Antonio: ergo agitur dignitas populi Rom.

AMPLIFICATIO, ET

1. Argum. Quàm fracto animo novam legationem audient Municipia, Coloniæ, Italia, Capua, legio Martia, Hirtius, Cæsar, Gallia: qui omnes libere in Antonium hostem exarserunt.

2. Argum. Post repudiatas omnes conditiones pacis, post Senatus-consulta, ac decreta contra Antonium, quæ potest esse pax? certò est futurum bellum, ac fœdæ servitutis periculum, quod propulsare debet Consul Pansa, & omnis civis optimus.

3. Argum. Quòd si habenda est pacis ratio cum latrone Antonio, minimè tamen ad hanc pacem con-

TIO.

TIO.

3. Argum. Cicero semper legationem dissuasit, & pacem cum Antonio repudiavit: ergo agitur fama Ciceronis.

ciliandam deligendus est Cicero, qui semper capitalis ipse hostis Antonii, & legationem & pacem repudiavit. Non ipsi hunc pudorem & dolorem inurat Senatus, ut suum ac Reip. hostem cogatur cernere.

AFFECTVS.

4. Argum. Ciceroni in itinere, in congressu, in reditu erunt paratæ ab Antonianis insidiæ: ergo agitur vita Ciceronis.

4. Argum. Si vitæ habenda est Ciceroni aliqua ratio, ubi non periclitabitur? vix in urbe tutus est ab insidiis Antoniorum, erit in obsesso triplici itinere? erit in congressu, & castris violenti Antonii? erit in reditu ab hostibus, & invidis?

PERORATIO.

Confidit Cicero vel ad Antonium proficisci, si Reipublicæ intersit.

EXOR-

tissima populi Rom. libertatis recuperandæ cupiditas imminuetur, ac debilitabitur, novâ legatione pacis auditâ: ergo agitur libertas populi Rom.

Antecedens amplificatur distributione 1. Municipiorum, Coloniarum, Italiæ, Capuæ, legionis Martiæ. *Num. 7. Quid enim per Deos.*

2. Consulis Hirtii, C. Cæsaris, Galliæ; quibus non solùm insc ientibus, sed etiam invitis de pace decernitur. *Num. 8. Quid autem hoc.*

Brevi concluditur. *Num 11. His igitur omnibus.*

Propositionis secundum argumentum, *agitur dignitas populi Rom,* altero Enthymemate constat: non potest ulla esse pax cum Antonio: ergo agitur dignitas populi Rom.

Antecedens amplificatur, oblatis omnibus conditionibus pacis, tamen ab Antonio repudiatis. *Ibid quod sine.*

Amplificatur 2. pluribus Senatus-consultis ac decretis contra Antonium factis. *Num 12. Senatus consulta.*

Amplificatur 3. à consequentibus, seu futuro belli, ac servitutis periculo, si Antonius cum suis in vrbem venerit. *Num 13. Huic igitur.*

Quapropter apostrophâ hortatur Pansam, ut istud belli, ac servitutis periculum avertat. *Num. 15. L. Pisonis amplissimi.*

Propositionis tertium argumentum, *agitur fama Ciceronis,* tertio Enthymemate constat: Cicero semper legationem dissuasit, & pacem cum Antonio repudiavit: ergo hâc legatione constitutâ de pace cum Antonio agitur fama Ciceronis.

Antecedens indignatione amplificatur. 1. Ex prioribus actis Ciceronis, quia vehementissimè & cum invidia Antoniorum, legationem dissuaserit. *Num 17. In hac legatione.*

Amplificatur 2. ex pudore, & dolore (quem deprecatur) aspiciendi Antonianos, hostes Reip. & suos. *Num. 19. Proficiscantur legati.*

Propositionis quartum argumentum, *agitur vita Ciceronis,* quarto Enthymemate constat: Ciceroni in itinere, in congressu, in reditu erunt, paratæ insidiæ: ergo istâ legatione agitur vita Ciceronis.

Antecedens amplificatur 1. comparatione à minori ad majus, quia Cicero in urbe, quam servavit, vix est tutus propter odium improborum civium; quanto magis timere debet insidias in itinere, quod tribus partibus obsident Antoniani?

niani? *Num.* 21. *Quid vita.* Neque id timori adſcribi vult, ſed cautioni, & providentiæ: uti ſuo jam uſu, & exemplo Trebonii didicit. *Num.* 25. *neq; verò recuſo.*

Amplificatur 2. ab ipſo Antonii congreſſu & colloquio, vel extra caſtra (uti olim Cn. Pompejus, & Sylla) atque hoc modo periculum vitæ ſuæ oſtendit ab Antonii violentia, & odio. *Num.* 26 *Sed effugi.* Vel intra caſtra, ac per litteras; quomodo nihil conficiet: ac offenſionem & periculum militum incurret. *Num* 29. *Quod ſi non.*

Amplificatur 3. breviter à reditu Ciceronis in urbem: ubi rurſus vitâ periclitabitur ab his, qui illum oderunt, vel invident. *Num.* 30. *Hæc quoq; pericula.*

ANNOTATIO.

Iam ipſe Cicero uſus eſt his argumentis ad pacem cum Antonio, & legationem omnem infringendam; quod id alienum ſit à libertate, ac dignitate Senatus, cum hoſte ac latrone non pacem, ſed bellum, ac ſervitutem paciſci. Ægrè fert autem ſua perſona legationem decerni propter periculum non ſolùm famæ, ſed etiam vitæ. Cæterùm (quod etiam ſolitus eſt cauta inſinuatione facere) ea ratione ubiq; reprehendit Senatum, qua Remp. ſervare vult, pro qua ſe devovet.

PERORATIO.

Cicero diutius vivere, & mori cum laude, & ad Antonium proficiſci non refugit, ſi Reip. intererit. *Ibid. cuſtodiatur igitur.*

ANNOTATIO.

Grata eſt ac jucunda populo Rom. hæc peroratio Ciceronis à ſuo amore Reip. habetq; magnum pondus ad inflectendos Senatorum animos, eo quo vult.

XIII. PHI-

XIII. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

M. Lepidus Imperator in Transalpina Gallia, missis ad Senatum legatis, suadebat pacem faciendam esse cum Antonio, & belli civilis incommoda vitanda. Quam sententiam cùm in Senatu approbarent amici Antonii, allegantes auctoritatem & potentiam Lepidi, & quòd antea Cn. Pompeium Magni filium restituisset: Cicero dissentiens hanc dixit sententiam, in qua negat ullam firmam & salutarem pacem fieri posse cum Antonio, & frangit interim Lepidi auctoritatem, voluntate ejusdem ac meritis in Remp. comprobatis: & confert cum Antonio Pompeium, quantum intersit ostendens; eodemq; in loco adjungit insectationem scelerum Antonii: & postremò recitat litteras ejusdem ad Hirtium Consulem interpositis brevibus disputationibus, quibus ostendit inimicissimum Antonii animum in Senatum & Remp. quantumq; periculum immineat omnibus bonis, si ille evaserit. Freigius.

Quæstio est in genere deliberativo, an ulla pax possit esse cum Antonio.

Stylus est mediocris.

SYNOPSIS

EXORDIUM. **Cicero detestatus bellum civile, timuit, ne populus efferretur jucundissimæ pacis commodo.**

PROPOSITIO. Nulla pax potest esse cum Antonio.

ARGUMENTA. 1. Quia nulla pax **cum Antonio** erit stabilis.
2. Pax cum Antonio **erit servitus.**

ARGUMENTATIO.

1. **Argum.** Nec civibus, nec Senatoribus licebit diu cum Antonio conjungi: igitur nulla pax cum Antonio erit stabilis.

2. Argum. Tyrannidem, totâ vitâ affectavit Antonius, etiam litteris suis affectat: igitur pax cum Antonio erit servitus.

AMPLIFICAT. ET AFFECTUS. 1. Argum. Maximè perfidi ac superbi **sunt omnes** Antoniani, potestne tandem esse pax cum Antoniis? Recordetur Senatus decretorum suorum contra Antonium: ut sit incertus belli exitus, tamen est fortis, fortunæ **culpam non extimescere**; & sapientis, libertati vitam, aut pacem postponere. **M. verò** Lepidus, quamquam amicus Reip., & magna auctoritate vir Cn. Pompeium restituit, non debet velle aut litteris, aut armis Antonium restituere: est enim dissimilis ratio Pompeii & Antonii: quare videat, ne quid contra Remp suscipiat, qui magnâ laude nuper in Lupercalibus facinus Antonii non tulit.

2 Argum. Quæ vita Antonii? quæ scelera? quæ Tyrannis? epistola autem quàm arrogans? quàm improba? quàm tyrannica? cum hoc viro pacem suadebit M. Lepidus?

PERORATIO. Quid censeat Cicero de M. Lepidi litteris, ac restitutione **Cn. Pompeii.**

EXOR-

EXORDIUM.

Cicero pacem laudat; deteſtatur Duces bellorum civilium. *Num. 1. In principio.*

ANNOTATIO.

Ex viſceribus cauſæ incipit Orator, dum ſapienter ſe pacis ſtudioſum prabet, vt mox, benevolo Senatu facto, pacem cum Antonio neget vllam eſſe poſſe: auctores verò bellorum civilium ſtatim in principio adducit in odium, vt mox ad inſectandos Antonianos commodè etiam delapſus videri poſſit.

CONTENTIONIS
Propoſitio & Diſtributio.

Contentionis propoſitio eſt hæc: Nulla pax poteſt eſſe cum Antonio.

Diſtributio ſeu argumenta ſunt hæc: 1. quia nulla pax cum Antonio erit ſtabilis. 2. Quia pax cum Antonio erit ſervitus.

CONTENTIONIS
Argumentatio, Amplificatio, Affectus.

Propoſitionis primum argumentum, ***nulla pax cum Antonio erit ſtabilis***, hoc Enthymemate deducitur: nec civibus, nec Senatoribus licebit diu conjungi cum Antonio: igitur nulla pax cum Antonio erit ſtabilis.

Antecedens amplificatur 1. comparatione Syllæ, Cinnæ, Cæſaris cum Antonio, ejúſque ſociis, quos Orator exclamatione perfidos, & Ethopœiâ ſuperbos facit. *Num. 2. Sed hoc primùm.* Amplificatur 2. judiciis Senatorum contra Antonium factis. *Num. 5. Niſi fortè,*

Digreditur Cicero in tres prolepſes: 1. Adverſariis incertum exitum belli opponentibus occurrit, negans fortem Senatum debere fortunam extimeſcere, & ſapientem (adverte proſopopœiam ſapientiæ) propugnandæ libertati vitam aut pacem anteponere *Ibid. At incertus.*

M autem Lepido, mandatis, litterisque Senatum ad pacem cohortanti respondet, laudatione ejus præmissâ, & auctoritate, & voluntate in Remp. *Num. 7. At enim nos.*

Approbatâ etiam Cn. Pompeii restitutione: ex qua Lepidus statuam ac triumphum absens retulit. *Num. 9. Pacem vult M Lepidus.* Verùm Orator negat parem esse restituendi Antonii, & Pompeii rationem, propter dissimilitudinem vitæ ac morum utriusque. *Num. 10. existimatne.* Atque (est quasi digressio) fortuna sic prospiciente, Cicero ostendit commoditatem restituendi Pompeii in possessiones, quas Antoniani occupant, dignitatesque patrias. *Ibid. Deinde obsecro vos.* Ad hæc, testimonio legatorum laudat Pompeii animum in Remp. ut tanto studiosiùs illum restituat Senatus, populusque Rom. *Num. 13. Ac ne illud.*

Occasione exercitus, & consilii Cn. Pompeii Cicero redit ad M. Lepidum, quem officii admonet; ne cum Antonio se conjungat, aut ad illum restituendum suam armis auctoritatem interponat *Num 14. Atque etiam hoc.*

Quòd si sine armis se in istam pacificationem interposuerit, sapientiùs quidem, quod non est necessè, fecerit; quia Senatus copiis valens, & ad libertatem recuperandam constans & erectus, nullius auctoritate potest moveri ad periculosam pacificationem. *Num. 15 Quòd si auctoritatem.*

Propositionis secundum argumentum, *pax cum Antonio erit servitus*, hoc Enthymemate conficitur: Tyrannidem totâ vitâ affectavit Antonius; & in litteris suis affectat: igitur pax cum Antonio erit servitus.

Antecedens ingreditur Cicero cum laudatione M. Lepidi, qui Lupercalibus facinus Antonii non tulit. *Num. 16. At periculum est.*

Mox ejus vitam, & scelera, & tyrannidem exaggerat. *Nu. 18. Quæ enim in Barbaria.*

Epistolam verò Antonii recitat, & in singulis partibus, vel arrogantiam, vel improbitatem, vel tyrannicum animum explicat. *Num 23. Quòd si quis adhuc.*

Concludit in fine Epistolæ nullam posse fieri pacem cum Antonio. *Num. 48. Hanc ego epistolam.*

ANNOTATIO.

Latenter Cicero totâ contentione M Lepidi auctoritatem oppugnat:

pugnat: nam hic cùm potens esset, & proximè Cn. Pompeium restituisset, & adversarii dicerent, timendum esse, ne se cum Antonio conjungeret; cautè Cicero ejus mandata, litterasq; ad Senatum missas de pace, rejicit. Primùm voluntatem illius erga Remp. laudat, & amplificat merita ex restitutione Pompeii, cujus ille auctor fuerat: at restitutionem Antonii ullo posse pacto fieri negat, quia nulla pax cum Antonio sit stabilis, sed misera servitus. Quare Lepido respondet, sapientiùs facturum, si se in istam pacificationem non interposuerit, quæ neq; civitati, neq; Senatui probatur. Ad extremum Lupercalibus ostensam laudat libertatem M Lepidi; & tyrannidem Antonii, præsertim ex Epistola, exaggerat; ut eandem Lepidus desistat Senatum ad pacem cum Antonio cohortari.

PERORATIO.

PRo more Cicero colligit sententiam suam *Num.* 50. *Quæ cùm ita sint.*

ANNOTATIO.

Vide superiores Philippicas, in quibus similiter Cicero orationem concludit.

XIV. PHILIPPICA.

Argumentum, Quæstio, Stylus.

Allatis de prælio ad Mutinam commisso, Antonioq; victo litteris Consulum, & Cæsaris. M Cornutus prætor Urbanus, qui consulare munus absentibus Consulibus more Majorum sustinebat, cùm Senatum vocasset, easq; litteras recitasset, sententias rogavit. Quid censuerint alii, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: unus tamen ex iis, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemq; fortassè, decernendam Consulibus, & Cæsari supplicationem censuit. Sententia verò Ciceronis

venis hac fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cujus causâ saga sumpta essent, liberato: Antonium, quique unà essent, hostes judicandos: supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: Milites eos, qui pro Republica pugnantes interierunt, monumento quàm amplissimo cohonestandos, quæq; iis præmia Senatus promiserat, ea parentibus, liberis, conjugibus, fratribus persolvenda. Manut.

Quæstio est in genere deliberativo, an depositis sagis, quinquaginta dierum supplicatio ita decernenda sit iis, qui Antonium prælio vicerunt, ut & hi Imperatores appellentur, neque ille hostis.

Stylus est temperatus.

SYNOPSIS

EXORDIUM. Non est mutandus vestitus, quia nondum confecta salus Bruti.

PROPOSITIO. Retentis sagis quinquaginta dierum supplicatio ita decernenda est iis, qui Antonium vicerunt prælio, ut & hi Imperatores appellentur, & ille hostis.

CONFUTATIO. 1. Malevolè contra Brutum adversarii vestitum mutari volunt, dum fiet supplicatio: id enim turpe esset Senatui, & parum religiosum.

2. Quis magis unquam hostis, quam Antonius ab effectis?

3. Et consuetudo decretæ supplicationis, & numerus occisorum facit hos jure merito imperatores, qui Antonium vicerunt.

CONFIRM. PROP. Eccui unquam in tot bellis civilibus supplicatio est decreta, nisi ob cædem hostium? aut qui non Imperator appellatus? neque igitur Pansa, Hirtius, Cæsar, qui præclarè rem gesserunt, Imperatores appellabuntur? num hostis Antonius? imò majores ipsis honores decernendi sunt; præsertim militibus, qui fortiter in prælio ceciderunt.

PERORATIO. Ciceronis sententia de supplicatione, ac præmio victoribus reddendo.

EXORDIUM.

QUando nondum est confecta victoria, & certa salus Bruti, Cicero negat saga ponenda esse, *Num.* 1. *Si ut ex.*

ANNOTATIO

Vix est exordium in hac oratione; sed statim Orator delabitur ad confutationem : præcipua etiam pars Contentionis est Confutatio; vix est ulla Confirmatio.

CONTENTIONIS

Propositio, & Distributio.

COntentionis propositio est hæc ; retentis sagis, quinquaginta dierum supplicatio ita decernenda est iis, qui Antonium prælio vicerunt, ut & hi Imperatores appellentur, & ille hostis.

Contentionis confutatio est triplex: 1. est adversariorum qui malevolè in Brutum, vestitum mutari volunt, dum fiet supplicatio. At id turpe Senatui, & parum esse religiosum ostendit Cicero : nam cum liberandi Bruti causâ saga sint sumpta, legati ad Antonium missi duo Consules, & C. Cæsar ad bellum profecti, stultum esset, antequam constet Brutum liberatum esse, aut vim fortunæ contemnere, aut Deorum beneficium festinatione præcipere. *Num.* 2. *Quæ autem est.*

2. Confutatio est eorum, qui negant Antonium esse hostem appellandum. Enimverò Orator revocat in memoriam omnia scelera Antonii & sociorum; eaque sic exaggerat, ut sine ulla dubitatione hostis Antonius sit appellandus. *Num.* 6. *Sed quoniam.*

Subjicitur seu interseritur hoc loco brevis sententia Ciceronis. *Num.* 11. *Itaq; cum.*

3. Confutatio est quorundam, qui nolunt Imperatores appellari eos, quorum exercitu cæsus, fususque sit Antonius. Contrà, Cicero tum consuetudine decretæ supplicationis, tùm

tùm numero occisorum, hos jure merito appellat Imperatores, & futuros horum triumphos comparatione sui extollit in Capitolium. *Ibid. Sed hoc primum.*

Digreditur & sparsum de se rumorem, quasi fasces, seu principatum affectaret, refellit tum ab antè factis, seu oppressione Catilinæ, tum Apuleii concione. *Num.* 13. *Tu igitur ipse.*

Excurrit deinde in suos adversarios, qui idcirco invident Ciceroni, quia semper Antonium hostem persecutus est. *Num.*17. *Hac interposui.*

Sequitur propositionis confirmatio, atque exemplis bellorum civilium ostenditur, nulli, nisi ob cædem hostium, supplicationem esse decretam. *Num.* 21. *Sed quod tum.*

Concludit Cicero ex ista supplicatione decernenda & Antonium hostem appellandum, & victores ejus Imperatores. *Num.* 24. *Quamobrem aut*

Mox trium Imperatorum (Pansæ, Hirtii, Cæsaris) res gestas amplificat. *Num.* 25. *Quomodo enim.* Exclamatione etiam victoriam effert. *Num.* 28. O *solem ipsum.*

In fine subjungit suam sententiam, seu qui honores sint decernendi victoribus. *Num*,29. *Decerno igitur.*

Militibus verò in pugna occisis præsertim legioni Martiæ, pulcherrimum elogium seu laudationem funebrem adhibet. *Num.* 31. *Quorum de honore.*

Adhibet etiam quoddam solatium eorum proximis. *Num.*34. *Sed quoniam.*

ANNOTATIO.

Caret, ut dixi, hæc contentio solita distributione & argumentatione: totus est Orator in confutandis quibusdam fautoribus Antonii, & malevolis erga D. Brutum Et verò supplicatio vel viginti vel quinquaginta dierum, non est multis persuadenda Senatui sponte satis in hanc propenso; sed modum spectat Cicero, carpitque adversarios, qui in fraudem Bruti (cujus causa bellum ad Mutinam geritur) deponi saga volunt, antequam constet eum esse liberatum. Alii perversè adhuc, & Antonium sub merito nomine, & duces Reip. Imperatores appellare recusant. Idcirco Orator commemorat nefaria scelera Antonianorum, & virtutem, meritaque defensorum Reip. amplificat.

plificat. Denique hoc unum agit Cicero, ut confecta victoria, & liberato Bruto Senatus persequatur hostem Antonium; duces verò Reip. & milites quàm amplissimis honoribus exornet.

PERORATIO.

Cicero ampliùs explicat suam sententiam de quinquaginta dierum supplicatione decernenda Imperatoribus, qui hostem Antonium prælio superarunt, deque præmiis persolvendis militibus. *Num. 35. Sed ut aliquando.*

ANNOTATIO.

Iterum in Epilogo merita cujusque commendat Orator, ut tam Imperatores quàm milites digni sua sententia videantur.

INDEX

PRÆCIPVORVM LOCORVM

RHETORICÆ,

Argumentationum, Affectuum, Amplificationum, Figurarum, Confutationum, Narrationum, quæ Analysi Rhetorica

OMNIVM ORATIONVM
M. T. CICERONIS

Continentur.

LOCUS INTRINSECUS,

Definitio.

Vectigal agri Campani. 1. *Agrar.* Num 21.
Definit Cicero qualem se esse regem fateatur. Pro Sylla. Num. 25.
Definitio populi Rom, Pro Domo Sua. Num. 88.
Ratio comitiorum. Pro Plancio. Num. 7.
Quinam optimates sint dicendi, Pro Sextio. Num 97.
Non est Piso Consul. In Pisonem. Num. 23. & seq.
Quod supplicium sit putandum. Ibid. Num. 42.

Notatio.

Pro Roscio Amer. Num. 124.
IV. Ver. Num. 18.
II, Philip, Num. 70.

Con-

Conjugata.

Pro Lege Manil Num.24.

Pro Marcello. Num.12.

Enumeratio Partium.

Potentia & Luxuria Chrysogoni à prædiis, domo, supellectile, familia, servis, sumptibus. Pro Roscio Amer. Num. 133.

Scientia rei militaris in Cn. Pompeio ab ætate ac bellis illius. Pro Lege Manil Num 28.

Omnes provinciæ testantur virtutem Pompeii Ibid. Num. 30

Similitudo.

Pro Roscio Amer. Num. 75. Ibid. 151.

Pro Roscio Comœd. Num. 17.

Convivia Verris similia pugnæ Canensi. VII. Ver. Num. 28.

Verres similis piratis Siciliæ; (quos poetæ finxerunt) Dionysio, Phalari, Charibdi, Cyclopi. Ibid. Num. 144.

Pro Cluentio. Num. 57. Ibid 67.

1 Catil. Num. 31.

Pro Muræna. Num. 36.

Ad Quirit. post Redit. Num. 4.

Pro Plancio. Num 94.

Pro Sextio. Num. 24. Ibid. 45.

Dissimilitudo.

Discutitur uter Roscius sit parricida. Pro Roscio Amer. Nu. 88.

Calliditas Fannii & mores Roscio dissimiles. Pro Roscio Comœd. Num. 20.

Accusatoris Ciceronis, & rei Verris dissimilitudo studiorum & voluntatum V. Ver. Num. 6.

M. Marcellus bello urbem Syracusarum ornavit: Cn. Verres pace spoliavit. VI. Ver. Num. 115.

Exercitus Catilinæ & Reip. II. Catil. Num. 24.

Dissimilis comparatio Pisonis & Tullii in obtentis gestisque magistratibus. In L. Piso. Num 2.

Gabinius & Piso haud dissimiles Catilinæ. Ibid. Num. 15.

Dissimilitudo tabularum & adversariorum. Pro Roscio Comœd. Num. 7.

Cicero est dispar Hortensio in eloquentia, & Quinctius dispar Nævio in gratia. Pro Quinctio. Num. 1.

Perpetua est ac dissimilis comparatio Ciceronis ac Cœcilii quoad integritatem, ac dicendi facultatem 1 Ver. Num. 27. & seq. & 71.

Comparatio Prætorum Siciliæ & Verris qui jactat se magno decumas vendidisse V. Ver. Num 45.

Cicero

Cicero in obeundis magistratibus sibi à populo Rom. mandatis se accuratum, & temperantem, & pium erga Deos exhibuit; Contrà. Verres in suo Pratoris munere negligens, libidinosus, impius fuit. VII. Ver. Num. 35.

M. Marcellus & Majores, Syracusanorum fidem semper suspectam habuerunt: Verres Classis Rom præfecturam committit homini Syracusano. Ibid. 83.

Cicero popularis non Labienus: nam ille perduellionis judicium sustulit, hic iterum constituit. Pro C, Rabir. Num. 11.

Labienus item dissimilis est. T. Graccho. Ibid. Num. 14.

Iurisprudentia, & ars militaris sunt pari quidem dignitate, sed dispari labore & studio in Remp. pro Mura. Num 19 & seq.

Mitior Academicorum doctrina quam Stoicorum. Ibid. N 63.

Dissimilis fides ac religio testium Græcorum & Romanorum. Pro L. Flacco Num. 79.

Dissimilis est ratio defendendi Syllam quàm conjuratos. Pro Sylla Num. 5.

Dissimiles sunt mores ac vita Sylla quam conjuratorum. Ibid. 72.

C. ssius censor & Clodius quam dissimiles in ferenda lege pro domo sua, Num. 130.

Dissimilis comparatio seditiosi Clodii cum utroque Graccho, Saturnino Sulpitio. De Har. Resp, Num. 4.

Dissimilis fuit Ciceroni & Q. Marcello causa discedendi à patria Pro Sext. Num. 37.

Dissimilitudo Ciceronis & Vatinii confirmata judicio bonorum civium. In Vatinium. Num. 9.

COMPARATIO.

Majorum.

Dissoluti in re familiari & negligentes, appellant suos debitores; multo magis Nevius, homo avarus, appellasset Quinctium, si quid debuisset. Pro Quint. 38.

Capitonis perfidia in fallendis decem legatis. Pro Roscio. Amer. Num. 111. & 116.

Elevatur Sylla imprudentia comparatione Iovis. Ibid. 131.

Iniquitas Mamertinorum. VI. Ver Num. 22.

Civis Rom. in crucem actus, quanta commiseratione dignus. VII. Ver. Num. 170.

Si Roma sunt tumultus, quanti erunt Trallibus? Pro Flacco. Num. 57.

Mino-

Index Locorum & Minorum.

I. Ver. Num. 63.
III. Ver. Num. 154.
VII. Ver. Num. 148.
Pro lege Manil. Num. 10. Ibid. 14.
I. Catil. Num. 3. Ibid. 17.
III. Catil. Num. 2.

Saxa & bestia poetarum cantu moventur non Romani? Deinde populi alienum poetam Homerum, & mortuum expetierunt; Romani Archiam & suum, & vivum non repetent? Pro Archia. Num 19.

Difficilius erit Ciceroni referre gratiam populo, quàm non ulcisci inimicos, aut debitas pecunias dissolvere. Ad Quirit. post Redit. Num 22.

Mortem Cicero non timuit. Pro Sextio. Num. 48.

Si mortuus Clodius *incendit curiam, & omnia permiscet; quanto magis si vivus esset Prætor? Pro Milone.* Num 91.

Parium, ac Disparium.

Procurator Alphenus cum Nævio comparatur, & inter se fautores utriusque. Pro Quinct Num. 69.

Quinctii causa, solitudo, inopia confertur cum iniqua postulatione Nævii, & injuria, & petenti actione, Ibid. Num. 71.

Cicero dicendi facultatem Erutii cavillatur comparatione sui & accusatorum ad cannas, & ad locum Servilium occisorum. Pro Roscio Amer. Num 89.

Titius & S. Roscius inter se conferuntur uter reus sit cadis. Ibid. Num 92.

Cicero reprehendit Verrem quare potius Mamertinis quàm Tauronimitanis (qui pariter fœderati erant) navem non imperavit. Verr. VII. Num. 48.

P. Servilius captos prædones in triumphum ducit, & populo exhibet: Verres ipsos celat, & accepta pecunia dimittit. Ibid. Num. 65.

Cicero non dubitat nobilium invidiam, atque inimicitias suscipere, exemplo M. Catonis, Pompeii. Fimbriæ, Marii, Cœlii. VII. Ver. Num. 179.

Cicero pari exemplo & jure quàm Hortensius, aliique potest Syllam defendere. Pro Sylla. Num. 3.

Repugnantia.

Pro Roscio Amer. Num. 8.

Pro

Pro Sylla. num. 45. Ibid. 57.
Cælius quia studijs non voluptatibus fuit deditus. Pro M. Cælio, num. 45.

Negantia.

I. *Ver.* n. 38.

A D I U N C T A

Genus.

Nævius facetus Scurra & quæstui addictus Pro Quinctio num. 11.
Qualem habuerit patrem Roscius Amerinus. Pro Roscio Amer. num. 15.
Cicero mordet Erutium à parente. Ibid. n. 46.
Vix credibile est posse aliquem patrem suum occidere. Pro Roscio Amer. num. 37. & 63. & seq.
Parentum sensus erga liberos. III. Ver. num. 112.
Sassia non est mater appellanda. Pro Cluen. num. 12.
Liberi injurias parentum vel reticere, vel æquo animo ferre debent. Ibid. num. 17.

Natio & Patria.

Ius, ac dignitas civis Rom. VII. Ver. num. 165.
Colonia deduci non debent Capuam, quia superba & crudelis. 1. *Agra.* num. 18.
Natura loci, & consuetudo victus generant vitia. 2. *Agrar.* num. 94.
Pro Roscio Amer. num. 3.
Adolescentes ex voluptatibus sæpe emergunt ad bonam frugem. Pro Cælio. num. 27.
Quæ sunt adolescentiæ vitia communia, hic continuo non debent in M. Cælium conferri. Ibid. num. 29.
Multis elevat Cicero voluptates adolescentum. Ibid. n. 39. & seq.

Educatio.

Pro Quinctio. num. 55.
Pro Roscio Amer. num. 17.
Panurgus in re comica bene instructus à magistro Roscio. Pro Roscio Comœd. num. 29.
Verres corrupit suum filium. V. Ver. num. 159.

Fortuna & Conditio.

Pro Quinctio. num. 91.

Pro Roscio Amer. num. 16. Ibid. 23.

Patritius & novus homo pares sunt genere. Pro Murana. num. 15.

Virtus Sylla in utraque fortuna. Pro Sylla, n. 72.

Natura animi.

Navius scurra, & addictus quaestui. Pro Quin num. 11. *Cicero natura est mitis, Reip. causa severus.* Pro *Sylla.* num. 7. & 8, Ibid. 18.

Magnum crimen ex natura cujusque pendi debet. Ibid. numer. 70.

Victus & studia.

Pro Quinctio. num. 59.

Pro Roscio Amer. n. 49. Ibid. 75. & 94.

Studia.

Stoici Catonis doctrina vitaque severior. Pro Mura. numer. 60.

Locus.

Pro Roscio Amer. num. 74. Ibid. 92.

Verres ab ade Castoris latrocinia incoepit III. Verr. numero 125.

Clodius fecit insidias Miloni. Pro Milo. num. 31. & seq. Ibidem 54.

Movetur Cicero loci insolentia pro Deiotaro. num. 5.

Tempus.

Cicero urget aut triduo sexcenta millia passuum esse confecta, aut ante edictum Pretoris fundo dejectum esse Quinctium. Pro Quinctio. num. 79.

Clodius fecit insidias Miloni. Pro *Milone*, num. 45. & seq. Ibid. 55.

Occasio.

Damnato Verre tolli potest infamia judiciorum II. Ver. numer. 1.

Cicero hortatur judices, ut turpitudini judiciorum occurrant. Ibid. num. 42.

Est in promptu Cn. Pompeius, qui bello Asiatico praeficiatur. Pro lege Manil. num. 27. & 58.

Milo

Milo potuit sæpe Clodium occidere. *Pro Milone.* numero 39.

Oblata occasio vincendi Antonij. III. Philip. n. 32.

Casus.

Incerta est ratio comitiorum, sed plerumque est casus. Pro Murana. num. 35.

Signum.

Se veneni reum ostendit Oppianicus, Pro Cluentio. numero. 54.

Agrarij aliquid contra Remp. moliuntur. II. Agra. numero 11.

Catilinariorum conjuratorum signa externa. III. Catil. num. 13.

Simulatio & stupor Pisonis. In L. Pisonem. num 1.

Milo imperterritus à cæde Clodij. Pro Milone, num. 61.

Consequentia.

Pro Roscio Amer. num. 12.

Cicero proponit Cæcilio difficultatem accusandi Verrem à persona Hortensij, contra quem dicere oportebit. I. Ver. num. 45.

Si nocentissimum Verrem Dijs hominibusq; invitis, absolvent aliqui judices; nunquam tamen vivus effugiet manus populi Rom. III Ver. num. 9.

Adventus Decemviri statuta lege Agraria. II. Agrar. numer. 44

Pontificum officium contra P. Clodium. Pro domo sua. numer. 2.

Cicero idcirco pro Pompeio sententiam dixit, quia secutura erat fames, & seditio Clodiana Ibid. num. 10.

Futurum imperium Clodij & furor, nisi Pompeius rei frumentariæ præfectus fuisset. Ibid. num. 24.

CAUSÆ. EFFICIENS.

Continuò Nævius suo motu bona Quinctij temere proscribit. Pro Quinctio. num 48.

Quæ Verris comites faciunt, censeri debet Verres fecisse; nam ipse est causa imperans, ac moralis. IV. Ver. num. 27.

Iisdem causis debent judices Rabirium absolvere, quibus illum defendit Cicero. Pro C. Rabir. num. 1.

Causa cur timeat Cicero in causa Dejotari. Pro Dejotaro, num. 1.

Finalis.

Finis seu consilium improbum Navij. *Pro Quinctio,* n. 42.

Magna & multa causa debent esse parric d'j, nulla fuit in Roscio, ergo hic patrem non occidit. Pro Roscio Amer. num. 37. & seq.

Cicero spe & emolumento colligit T. Roscium potius esse parricidam quàm Sex. Roscium. Ibid. num. 88.

Quo fine Cicero accuset Verrem. II. Ver. num. 2.

Speravit Verres pecunia se posse Ciceronem ac judices corrumpere: qua nunc spe frustratus, conatur in sequentem annum protrahere judicium suum, II. Ver. num. 4. & seq.

Cur Oppianicus occidere voluit Cluentium. Pro Cluen. numer. 45.

Oppianicus multas habuit causas corrumpendi judicii, Cluentius nullam. Ibid. num. 81.

Marius, & alij viri clarissimi spectant immortalitatem gloria. Pro C. Rab. num. 29.

Optimus quisque spectat immortale nomen. Pro Archia, num. 28.

Quare Cicero maluerit in exilium ire, quàm se vi defendere. Post redit. In Senat. num. 32.

Cæsar remoratur in Gallijs propter Remp. De Provinc Cons. num. 29.

Clodius multas habuit causas insidiandi Miloni, nullas habuit Milo. Pro Milone. num. 32.

Effecta,

Belli effecta. Pro lege Manil. num. 15.

Pacis effecta. II. Agrar. num. 9.

Fructus, ac delectatio Poëseos. Pro Archia. num. 12.

LOCVS EXTRINSECUS

Præjudicia.

Qvid censuerint judices Tarracinenses de parricidio. Pro Rosc. Amer. num. 64.

Cicero rogat judices, ne falsa invidia in judicio locum habeat, aut prajudicia causa veritatem labefactent. Pro Cluent. num. 4.

Scamnan-

Scamandro condemnato, certò Oppianicus erat condemnandus. Ibid. num. 55.

Auctoritas accusatoris Catonis nocere non debet L. Murenæ. Pro Murena. num 58.

Licet vivere illi, qui alterum interfecit. Pro Milone. numer. 7.

Re ipsa est bellum cum Antonio. VIII. Philip. num. 14.

Fama.

III. Verr. num. 1. *VII. Verr.* num. 44. Ibid. num. 100. *Pro Plancio.* num. 56.

Milo sparsos de se rumores fortiter tulit. Pro Milone. num. 64. & seq.

Tabulæ.

Chereæ tabulis fides negatur, ejusque adversarijs, quia in ijs nomen Roscij non adscripserat. Pro Rosc. Comœdo. num. 1. & seq.

Dissimilitudo tabularum adversariorum. Ibid. num. 6.

Lex de repetundis, quorum causa sit constituta. I. Verr. numer. 18.

Verres signa non emit, quia nusquam in tabulis suis, & Patris invenitur ista emptio. III. Verr. num. 60.

Verres legem Hieronicam evertit. V. Verr. num. 19.

Vis atque authoritas legum. Pro Cluent. num. 146.

Vim vi licet repellere. Pro Milone. num. 9.

Tormentum.

Sassia crudelissimè & iterata quæstione servos torquet. Pro Cluent. num. 176. & 181.

Veritatem quæstionum elevat ab adjunctis. Pro Sylla. numer. 78.

Quæstiones Appij de servis non sunt legitimæ. Pro Milone. num. 60.

Testes.

Cicero testem appellat Nævium, nihil ipsi deberi à Quinctio. Pro Quinct. num. 37.

Exclamatione ironica, & comparatione Africani reijcitur Capitonis testimonium in propria causa & crimine. Pro Rosc. Amer. num. 101.

Fannius à Flavio pecuniam abstulit, testimonio trium virorum, qui fide sunt digni. *Pro Rosc. Comœdo.* num. 42. & seq.

Probat Cicero auctoritate plurium testium se rogatum esse à Siculis, ut accusaret Verrem. I. *Verr.* num. 13. III. *Verr.* numer. 14.

Fraus Verris confirmatur testimonio multorum. IV. *Verr.* num. 23. Ibid. num. 80. Ibid num. 174.

Convincitur Verres avulsis testibus V. *Verr.* num. 175.

Multis testibus confirmatur facinus Verris, VI. *Verr.* numer. 91.

Sapientes Iudices Rom. non debent credere testibus inimicis, & cupidis, & à religione remotis Gallis; sed honestis civibus suis. *Pro Fonteio.* num 11. & seq.

Cicero testes contra Cacinnam ridet. *Pro Cacinna.* numer. 25.

Cicero Iudices appellat testes de integritate L. Flacci. *Pro L. Flacco.* num. 6.

Elevatur testium Græcorum fides, dissimili religione Romanorum. Ibid. num. 9.

Asclepiades testis reijcitur propter turpem vitam, & levitatem testimonij. Ibid. num. 34.

Item reijcitur Mæandrius. Ibid. num. 52

Falcidij testimonium eluditur. Ibid. n. 90.

Archias est adscriptus civis Heracliensis. *Pro Archia.* numer. 8.

Testes servos Clodiæ Cicero ridet. *Pro Cal.* num. 63. & seq. & 67.

Testes Græci mendaces audiri non debent. *Pro Rabir. Posth.* num. 35.

ARGUMENTATIONES.

Syllogismus.

Multa & magna debent esse causa parricidij; nullam accusator probare potuit in Roscio; ergo is patrem non occidit. *Pro R. sc. Amer.* num. 37. & seq.

Cui majori bono cædes fuit, is occidit; sed majori bono fuit T. Roscio; ergo. Ibid. num. 84. & seq.

Sapientis Iudicis est non credere inimicis, & cupidis, & à religione remotis testibus: tales sunt Galli: ergo. *Pro Fonteio.* n. 11. & seq.

Ratio-

Ratiocinatio.

Pro Quinctio. num. 48. *I. Verr.* num. 10.
Pro Murana. num. 13. *Pro Sylla.* num. 69.

Sorites.

Pro L. Flacco. num. 44.

Dilemma.

Pro Quinctio. num. 41. Ibid. num. 81.
Pro Rosc. Amer. num. 74. *I. Verr.* num. 31.

Aratores vel honoris causa, vel metu statuam Verri posuerunt: si prius, non oderunt; si posterius, sunt coacti pecunias dare. IV Verr. num. 149.

Simile subjicitur dilemma de Siculis IV. Verr. num. 155. Ib. num. 177.

Pro Cacinna. num. 83.
I. Catil. num. 18. *Pro Cœlio.* num. 52. & seq.
Pro Balbo. num. 13.
In L. Pisonem. num. 56. *Pro Marcello.* num. 22.

Inductio.

Debet esse vita integer, qui alterum sceleris accusat. V. Verr. num. 4.

Enumeratio partium.

Equites, Senatores, tribuni, scribæ, ingenui, libertini, servi student conservanda Reip. seu extinguendæ conjurationi Catilinariæ. IV. Catil num. 15.

Cicero post exilium rebus omnibus delectatur magis, quàm ante. Ad Quir. post Redit. num. 2.

Communi omnium consensu & maxima celebritate Cicero reportatur in patriam. Pro Domo Sua. num. 74.

Piso est omnibus odio. In L. Pison. num. 64.

Omnibus præter Antonium & Clodium placuit Ciceronis Consulatus. II. Philip. num. 11.

Antonius est à populo judicandus hostis, quia Senatus & Octavij Cæsaris, & Veteranorum militum, & D. Bruti, & Galliæ, & ipsorum Deorum præjudicio est hostis IV. Philip. n. 2 & seq.

Non potest esse pax inter Antonium & populum Romanum. VII. Philip. num. 21.

Exemplum.

Honestum est agros colere. *Pro Rosc. Amer.* num. 50.

Cajus Rabirius rectè arma sumpsit cum bonis civibus contra Saturninum. *Pro C. Rab.* num. 20. & seq.

Qui conjurant in patriam, habent mores & vitam isti crimini non repugnantem. *Pro Sylla.* num 70.

Multis Imperatoribus chari fuerunt Poetæ. *Pro Archia.* numer. 20.

Græci item Poetæ plurimos honores, ac præmia receperunt à multis Imperatoribus. Ibid. num. 24.

Optimus quisque imperator, seu philosophus, seu togatus laudis studio ducitur. Ibid. Num. 26

Laterensis repulsam passus, nihil amisit de existimatione. *Pro Plancio.* Num. 51.

Summi Imperatores multi nunquam dubitarunt civitate fœderatos donare. *Pro Balbo.* num. 45.

Licet vivere illi, qui hominem à se occisum fateatur. *Pro Milone*, num. 70.

A F F E C T U S

Amor.

Cicero studio sublevandæ Reip. accusat sceleratum Verrem. *I. Verr.* num. 6.

Cicero gloriatur se fide ac diligentia ad existimationem populi Rom. Iudiciorum turpitudinem sustulisse è Rep, devicto Verre. III. *Verr.* num. 19.

Cicero accusatione Verrina probavit fidem suam, studiumq́ erga Remp. neq́ dubitat nobilitatis invidiam subire. VII. *Verr.* num. 17. & 179.

Cicero testatur solo Reip. commodo se legem Maniliam tueri. *Pro lege Manil.* num. 69.

Cicero, se acrem & popularem in Rep. tuenda Consulem profitetur, contra Agrarios, I. *Agrar.* num. 23.

Cicero falsam aliquorum invidiam non timet dummodo Catilina eat in exilium. II. *Catil.* num. 15. *M. Tullij. Consulis charitas erga patriam.* IV. *Catil.* num. 1. *Pro Flacco.* n. 102.

Cicero gratus est populo Rom. suisq́ amicis pro beneficio accepto. *Ad Quirites post Redit.* num. 5. & 24.

Idem Cicero gratus est Senatui, *Post Reditum in Senat.* n. 1.

Et ami-

Et amicis Prætoribus, & Lentulo, & aliis. Ibid. Num. 21. & seq.

Amicitia inter Ciceronem & Pompeium. Pro domo sua. Numer. 27.

Patriæ salutem Cicero antepostuit charitati suorum omnium, à quibus summo dolore avulsus est. Ibid. Num. 95.

Cicero omnibus de se bene meritis vult quàm gratissimus videri, & esse. Pro Plancio. Num. 77. & seq.

Cicero fidem exsolvit Plancio; amantissimè complectitur, pro ejus salute deprecatur judices. Ibid Num. 101.

Si P. Sextius mittitur in exilium Cicero vult esse comes amici. Pro Sextio. Num. 145.

Cicero non potest non amare amicos Reip. inimicos non odisse. De Provinc. Consul. Num. 23.

Casu testatur Miloni amorem suum atque etiam omni dolore & officio. Pro Milone. Num. 100.

Charitas Ciceronis erga patriam. II. *Philipp.* Num. 188.

Gratus animus & studium Ciceronis in tuenda Rep. IV. *Philip.* Num. 16.

S. Sulpitius vitam postposuit auctoritati Reip. IX. *Philip.* Numer. 6. 8. 9.

Desiderium.

M. Tullius pro conjuratione Catilina à se extincta, desiderat gloriam & sempiternam Consulatus sui memoriam. III. *Catil.* Num. 26. & IV. *Catil.* Num. 23.

Optimus quisque seu Imperator seu Philosophus & ipse Cicero maximè laudis studio ducitur. Pro Archia Poët. Num. 26.

Populus Rom. desiderat libertatem, ac servitutem morte pejorem putat. X. *Philip.* Num. 19.

Odium.

Nævius non debitum, & pecunias, sed crudeliter vitam Quinctij appetit. Pro Quinctio. Num. 42. & seq.

Idem Nævius avarè, ac temerè proscribit bona sui propinqui, & socij, & amici. Ibid. Num. 76.

Idem improbè invadit bona Quinctij ante & contra edictum Prætoris. Ibid. num. 82.

Idem superbus, & voluptuarius, & maximè infestus homini rustico, ac innocenti. Ibid. num. 93.

Nefarium consilium accusandi Sex. Roscium parricidij. Pro Roscio Amer. Num. 28. & seq.

Capitonis perfidia in fallendis decem legatis. Ibid.num.109. & seq.

Crudelitas Chrysogoni, qui non fortunas modò, sed etiam vitam vult auferre calamitoso & innocenti Roscio. Ibid.num.144 & seq.

Audacia, amentia, impudentia scelerati Verris, qui in judicium venit. III. *Ver.* Num. 1. & seq.

Verres prodidit Consulem suum. Ibid.num.39.& seq.

Verres Apollinis Delij fanum spoliavit. Ibid num.47.

Furta ac Sacrilegia Verris clam apportata Romam, dissimili exemplo Imperatorum. Ibid.num.53.& seq.

Verres iniquo edicto privavit legitima hereditate filiam P. Annij mortui. Ibid num 112.

Verres legem Rupiliam contemnit. IV. *Verr.* Num. 40. & 43. & 46.

Iniquitas judicij Verris Ironia & incremento exposita. IV. *Ver.* Num. 76. & seq.

Anacephalaosis criminum & injuriarum, quas Verres & Apronius privatis hominibus fecerunt. V. *Ver.* Num. 64.

Verres Liparensem civitatem miserè diripuit. Ibid. num.85.

Verres contumeliâ affecit Senatorem. Ibid.num.95.

Solitudo agrorum, & vastatio Siciliæ propter avaritiam Verris. Ibid.num.124.& seq.

Alba Æmilius favet Verri. Ibid num.145.

Nullius se prætoris exemplo tueri potest Verres in Cella crimine. Ibid.num.205.& seq.

Sine Religione Verres à Segestanis tollit simulacrum Dianæ. VI. *Verr.* Num.78.

Verres ad statuam C. Marcelli alligat & cruciat Sopatrum. Ibid.num.86.

Verres captos Pyratas, & ipsum Archipiratam non in latomiis sed domi sua servavit, neque ferri securi jussit. V. *Verr.* Num. 66. & seq.

Verres crudeliter Navarcos interimit, & securi percuti jubet. Ibid.num 114.

Verres tria supplicia in cives Rom. exercuit. 1. virgarum, 2. carceris, 3 crucis. Ibid.num.139.142.157.& seq.

Sassia nefariè amat generum, & ipsi nubit. Pro Cluentio. n.12

Sassia mulier impia. Ibid.num.188.& 189.

Decem viri Capuam eligunt sedem tyrannidis, ac Imperij. I. *Agrar.* Num.18.

Cam-

Campani arrogantes, luxuriosi, Rom. Imperij hostes. II. *Agrar.* Num. 91. & seq.

Labienus dissimilis Ciceroni, & T. Gracchi iterum constituit civibus Rom. crudele perduellionis judicium. Pro C. Rabirio, Num. 11. & seq.

Catilina hostis patriæ. I. *Catil.* Num. 1.

Idem flagitiosus tum vita privata, tum publica conjuratione. Ibid. num. 13.

Voluptas Catilinæ in nefario bello contra patriam. Ibid. numer. 24.

Catilina, ejusque socij libidinosi, audaces, facinorosi. II. *Catil.* Num. 7.

Gabinius & Piso non Consules, sed latrones & proditores, scelerati, libidinosi, crudeles. Post Redit. in Senat. Num. 95. & seq.

Clodius sine religione dedicavit domum Ciceronis. Pro Domo Sua. Num. 104

Cicero excusat suam in Senatu iracundiam adversus Clodium, quem, uti Gabinium & Pisonem, non tam sua quàm Reip. ac Deorum causâ odit. De Harusp. Respons. Num. 1.

Clodius non consecravit domum Ciceronis. Ibid. num. 33.

Deterrimus est Clodius in parentes, in Deos, in patriam, in semetipsum. Ibid. num. 57.

Senatum, populumq; Rom. mutata veste pro Cicerone supplicantem superbè repudiavit Gabinius. Pro Sextio, Num. 26.

Idem Gabinius in exilium relegat Lamiam. Ibid. num. 29.

Cicero Vatinium odit æque, ac despicit. In Vatinium. Num. 1.

Vatinius auspicia neglexit dissimili Cæsaris, & novem collegarum, & omnium Tribunorum exemplo; imò voluit augur fieri, In Vatinium. Num. 13. & seq.

Vatinius Bibulum Consulem rapuit ad necem. Ibid. num. 21.

Cicero insectatur legationem Vatinij, non Senatus-consulto, sed sua ipsius lege arreptam. Ibid. num. 35.

Vatinius est odio omnibus. Ibid. num. 39.

Crudelitas Pisonis. in L. Pisonem. Num. 17.

Lætatur Cicero de supplicio & ignominia Gabinij, & Pisonis. Ibid. num. 45. & seq.

Piso triumphum contempsit, ut provinciam diriperet. Ibid. 56

Cicero optat & gaudet evenisse Pisoni pœnam scelerum. Ibidem num. 99.

Sext. Clodius cadaver P. Clodij noctu crudeliter expositum reliquit. Pro Milone. Num. 33.

Inhu-

Inhumanitas & crudelitas Tuberonis in accusando apud Cæsarem Ligario. Pro Ligario, Num. 11.

Antonius causa fuit belli civilis, cujus cladem Orator amplificat. II. *Philip*. Num. 53.

Vinolentia Antonij & vomitus in Senatu. Ibid. num. 63.

Lupercus Antonius magna lascivia & audacia Cæsari diadema supplex obtulit. Ibid. num. 84.

Crudelitas Dolabellæ & Antonii in cives Rom. XI. Philip. Num. 1. 5. 6. 7.

Ira.

Cicero puniri vult Verrem. VII. *Ver*. Num. 148.

Cicero movet populum ad ulciscendam injuriam nomini Rom. factam à Mithridate. *Pro Lege Manil* Num. 7.

Mentis cæcitate punitur à Dijs Clodius de Harusp. Respons. Num. 38.

Divina vi ac providentia occiditur Clodius. Pro Milone. Num. 84. & seq.

Mansuetudo.

Demissio Quinctij. Pro Quinctio. Num. 95.

Cicero fert adolescentem Torquatum. Pro Sylla. Num. 46.

Cicero errorem Posthumi fatetur, excusatque, ut Iudices reconciliet. Pro Rabir. Posthu. Num. 1.

Cicero totam Ligarij causam refert clementiæ Cæsaris. Pro Ligario. Num. 30.

Deprecatione Cicero placat Cæsarem, *Pro Deiotaro*. Num. 8.

Commiseratio.

Quadruplex injuria fit Reo Quinctio. Pro Quinctio. Num. 1. & seq.

Quinctius innocens, senex, inops, frugalis, rusticus, supplex ad genua adversarii iniqui, voluptarii, crudelis, superbi. Ib. num. 91

Sextius *Roscius innocens & calamitosus deprecatur vitam ab immani Chrysogono, cæteris fortunis ipsi concessis. Pro Roscio Amer*. Num. 144. & seq.

Philodamus cum filio condemnatur ad mortem. III. *Ver*. Numer. 75.

Producitur à Cicerone in conspectu judicum Atratus Iunij filius. Ibid. num. 151.

Antiochus *Rex. spoliatus vasis pretiosissimis jubetur à Verre excedere Siciliæ*. VI. *Ver*. Num. 67.

Simulacrum Dianæ à Verre aufertur Segestanis. Ib. num. 77.

Paren-

Parentes lugent & depracantur vincula ac miseram sortem innocentum filiorum. VII. *Ver.* Num. 107.

Parentes non modo celerem liberorum necem, sed ipsam sepulturam redimere oportet. Ibid. num. 117. & seq.

Cicero dolet in misera nece sociorum. Ibid. num. 122.

Tyndaritanorum apud judices Rom. querela de Tyranno Verre. Ibid. num. 123.

Luctus & squallor Dixionis, & Stenij. Ibid. Num. 127.

Civis Ro. virgis caditur, & in crucem agitur. Ib. num. 160.

Verres communis hostis populi Rom. fixit miseris civibus crucem in conspectu Italia. Ibid. num. 168.

Orator excitat judices ad misericordiam M. Fonteio tribuendam ob integritatem vita & generis nobilitatem, & militarem virtutem, & amicos Principes, & Vestalem sororem. Pro Fonteio. Num. 31.

Cluentius ob falsam invidiam commiseratione est dignus. Pro *Cluentio.* Num. 200.

L. Murana liberandus accusationis periculo propter integritatem vita, & parentes, & dignitatem Consulatus. Pro *Mura.* n. 86

Commiserationis affectus erga L. Flaccum propter merita, seu amorem in patriam, & ejus filiolum. Pro *Flacco.* Nu. 97. & seq.

Sylla Consulatu, & magno florentis fortuna splendore dejectus nova conjurationis infamia laborare non debet, sed judices erga hunc mansuetos esse oportet, quem crudeliter adversarij affligunt. Pro *Sylla.* Num. 88.

Cicero deprecatur pro salute Plancij. Pro *Plancio.* Num. 101.

Cicero judices commovet ad misericordiam tum à persona Sextij optimatis viri, tum à sua, quòd ab hoc amico homine restitutus sit in patriam. Pro *P. Sextio.* Num. 144.

Q. Metellus veneno tollitur. Pro *M. Calio.* Num 59.

Cicero misericordiam deprecatur adolescenti Cœlio per senectutem ac lacrymas parentis, per communem sensum caterorum parentum, per sua merita in Remp. Ibid. num. 79.

Cicero misericordiam judicum exposcit tum à persona Milonis, qui vir est fortis, & amans Reip. tum à sua, quia per Milonem sibi amicissimum revocatus est in patriam. Pro *Milone.* Num. 93.

Cicero totam Ligarij causam refert vel humanitati, vel clementia, vel misericordia Casaris. Pro *Ligario.* Num 30. & seq.

Cicero clementiam Casaris implorat pro Rege Deiotaro. Pro *Deiotaro.* Num 40.

Cicero mastus fuit prospecta Reip. ruina II. *Philip.* Num. 37.

Trebonius miserabili cade sublatus à Dolabella. XI. *Philip.* n. 7

Indig-

Indignatio.

Quinctius inferior opibus, non veritate causa, aut integritate vitæ rusticæ opprimitur à potentiore, & iniquiore Nævio. Pro Quinctio. Num. 59.

Indigna Chrysogoni postulatio, Pro Roscio Amer Num. 6. & seq.

T. Roscius insolenter invadit in prædia Sextij. Ibidem numer. 23.

Non permittitur, Sex. Roscio servos in quæstionem habere. Ib. num. 77.

Insolens potentia ac luxuria Chrysogoni. Ibid. num. 133. & 141.

Verres sublatis festis Marcellis Verrea instituit IV. *Verr.* nu. 51

Hortensius amat & defendit Verrem. V. *Verr.* Num. 8.

Verres pulcherrima signa furatus est. VI. *Verr.* Num. 7.

Verres aufert ab Antiocho Rege candelabrum Iovi Capitolino dicatum. Ibid. num 69. & seq.

Verres aufert monumentum P. Africani. Ibid num. 79.

Romana Classis præfecturam Verres mandat homini Syculo, & Syracusano quidem. VII. *Ver.* Num. 82.

Consul Cicero indignatur Rullum vendere sylvam Scantiam turpis quæstus causâ. I. *Agrar.* Num. 2.

Idem indignatur quibuscumque in locis vendi vectigalia populi Rom. II. *Agra.* Num. 54.

Perversa aliquorum opinio quasi crudeliter Cicero ejecerit Catilinam ex urbe. II. *Catil.* Num 14.

Lex Clodia de exilio Ciceronis lata est imperitè. Pro Domo Sua. Num. 48.

Domus Ciceronis, qui conservator urbis fuit, quasi perduellis ac scelerati civis eversa remanere non debet. Ibid. num. 100.

Indignatur Cicero turpe libertatis simulachrum in domo sua collocatum à Clodio. Ibid. Num. 111.

Cicero indignatur se à Gabinio, & Pisone expulsum fuisse. Pro Sextio. Num. 53.

Vatinius in epulo Q. Arij Atratus accubuit. In Vatinium, Num 30.

Piso nulla virtute factus Consul. In Pisonem. Num. 1.

In communi mœrore, & discessu Ciceronis lætatur, & epulatur Piso. Ibid. num. 21.

Indignatur Cicero suam exulis fortunam deprimi, res gestas, ac scelera Gabinij, & Pisonis extolli. Ibid. num 41.

Nepos

Nepos accusat avum, dominum servus. Pro *Deiotaro*. Num. 2

Castor, corrupto servo, in discrimen capitis avum adducit. Ibid. num 30.

Antonius parasitos de libidine consultat, de Rep. nihil ad avunculum suum refert. II. *Philip*. Num. 14.

Bona Cn. Pompeij *vendita & empta ab uno Antonio*, Ibid. 64

Eadem bona male vorata & consumpta. Ibid. num. 65.

Item horti, ac ædes Pompeij ab Antonio dispare domino occupata. Ibid. num. 68.

Vis, ac temulentia Antonij in domo Varronis. Ibid. num. 102.

Cicero indignatur Transalpinam Galliam Antonio decerni ab hujus amicis, contra Remp. V. *Philipp*. Num. 5.

Cicero indignatur, L. Antonio, quasi patrono populi, equestrem statuam inauratam esse erectam. VI. *Philip* Num. 12.

Cicero reprehendit Calenum *quòd Brutos oppugnet, Antonijs faveat*. X. *Philip*. Num. 3.

Invidia.

Cicero æmulatur eloquentiam Hortensii. *Pro Quinctio*. Num. 1. & 35. & 77.

Cicero in accusando Verre præfert sese Cœlio, *nec Hortensium reformidat*. I. *Verr*. Num. 20. 27. & seq.

Cicero ædilis acriter adversatur Hortensio Consuli, *qui cupiditate, & dominatione judiciorum, defendere putat Verrem*. II. *Verr*. Num. 33.

Cicero suam in obeundis magistratibus diligentiam, temperantiam, pietatem prædicat, confertque cum Verris negligentia, libidine, impietate. VII. *Verr*. Num. 35.

Cicero Hortensium monet, ut desistat ulterius Verrem defendere. Ibid. num. 173.

Spes.

Securitatem varie præstat Consul Tullius populo Rom. contra Catilinam *ejusque exercitum*. II. *Catil*. Num. 24 & seq.

Adjuncta judicij spem afferunt Ciceroni. *Pro Milone*. Num. 1.

Cicero causæ fiduciam collocat in Cæsare. *Pro Deiotaro*. Nu. 4.

Optima quæque pro Rep. expectat Cicero ab adolescente Octavio. V. *Philip*. Num. 5.

Confidentia.

Cicero magna fortitudine defendit Sex. Roscium. Pro *Roscio Amer*. Num. 10, 81.

Cicero non discessit in exilium mortis metu. Pro *Sextio*, Numer. 41. & seq.

Fortis

Fortis Senat us fortunam non extimescit, & sapiens libertati postponit vitam, aut pacem. XIII. *Philip.* num. 6.

Timor.

Bello Asiatico non solum Asia vectigalia, sed fortuna etiam civium Rom. periclitantur. Pro lege Manil. num. 17.

Lex Agraria populo Rom. timenda est, à regia decem virorum potestate emendi agros quos volent & deducendi colonias Capuam. I. Agrar. num. 6. & seq. 16. & seq.

Adventus decem-viri in Ægyptum venditam lege Agraria. II. Agrar. num. 44.

Campani arrogantes, & luxuriosi postea despicient Romanos, & aliquid sceleris molientur. Ibid. num. 95.

Catilina ejusque socij magis in urbe timendi quàm foris. II. Catil. num. 4.

Quantum immineat Reip. periculum à Catilina ejusque sociis, nisi L. Murana fuerit Consul. Pro Murana. num. 78.

Discordias Principum esse tollendas, monent Dij. De Harusp. Respons. num. 53.

Terret Cicero Pisonem non tam severitate judicij quàm conscientia scelerum In L. Pisonem. num. 94. & seq.

Cicero quinque affert timoris sui causas in causa Dejotari. Pro Dejotaro. num. 1.

Cicero terret imprudentem Antonium, suum, & Reip. hostem, simili exitu Catilinæ, & Clodij. II. *Philipp.* num. 7.

Cicero avocat Antonium ab armorum consilio, vel ipsi interitum minatur. Ibid. num. 112. & seq.

Cicero ab Antonianis timet & fama, & vita. XII. Philipp. num. 17. & seq.

Gaudium.

Cicero applaudit sibi & Reip. discessisse ex urbe Catilinam. II. Catil. num. 1.

Cicero post exilium gaudet magis patria, & rebus omnibus, quàm antè. Ad Quirites post Redit. num. 1.

Æmulatio.

Cicero hortatur M. Glabrionem Prætorem ad severitatem, integritatem, fidem, religionem, proposito Majorum exemplo. II. Ver. num. 51.

Cicero non dubitat nobilium virorum invidiam atque inimicitias suscipere exemplo M. Catonis, Pompeij, Fimbriæ, Marij,

Marij , *Cœlij*. VII. Verr. Numer. 179.

*Cicero Consul hortatur Rullum ad concordiam & dignitatem.*I. *Agrar.*Num.26.

Cicero hortatur Senatum ut Reip. prospiciat contra Catilinam.IV.*Catil.*Num.18.

*Cicero hortatur adolescentes ad Optimatum sectam. Pro Sextio.*Num.102.& Num 136.

Cicero amicissime commonet præsentem Dolabellam , ne ab honestate gloriæ, ac rerum gestarum dignitate aberret. I.*Philipp.* Num.29.

Absentem Antonium pariter hortatur à rebus gestis , & à Majorum exemplis, ut à civibus suis diligi malit quàm metui. Ibid.Num.31.

Cicero hortatur Antonium ad recte agendum proposita honestate virtutis & turpitudine vitij. II.*Philip.* Numer.115.

Cicero hortatur Senatum, ne, si fato quodam Cæsaris dominatum tulit, liber serviat scelerato latroni Antonio,*& ejus fratri.* III.*Philip.* Num.28.

Cicero hortatur populum ad libertatem defendendam contra Antonium *crudelem tyrannum.*IV *Philip.*Num.11.

Cicero admonet M. Lepidum ne se cum Antonio *conjungat, aut ad illum restituendum suam armis auctoritatem interponat.* XIII.*Philip.*Num. 14.& seq.

Pudor.

Impudentia T. Roscij qui cum accusatore sedeat. Pro Roscio. Num.95 & 104.

*Cicero hortatur Senatum, ut turpitudinem, atque infamiam judiciorum data jam occasione tollat.*II *Ver.*Num.42.& 50.

Cicero dissimili exemplo veterum Oratorum Crassi & Antonij reprehendit Hortensium impudentiam. IV. Verr. Numer. 191.

Impudentia Verris *qui famam, & periculum capitis negligit.* V.*Ver.* Num 131.& seq.

P.*Scipio adolescens patitur à* Verre *tolli monumentum* Africani.VI. *Ver.*Num.79.

Classis populi Rom. inops, & infirma, Præfecto Cleomene fugiens, partim capitur à piratis, partim in ipso portu Syracusano incenditur. VII.Ver.Num.91.

Pudor erit sapientes judices Rom. credidisse inimicis, & cupidis,

dis, & à religione remotis testibus quàm honestis civibus Rom. *Pro Fonteio.* Num. 22.

Cicero hortatur populum ad delendam infamiam bello Mithridatico susceptam, præsertim exemplo Majorum. Pro lege Manil. Num. 7. & 10.

Turpe esse judicibus condemnato Scamandro & Fabricio, Oppianicum absolvere. Pro Cluentio Num. 61.

Cicero hortatur Senatum, ut utatur occasione vincendi Antonij, proposita servitutis ignominia, quæ gravior sit honesta morte. III. *Philip.* Num 34.

Turpe est Senatui ad Antonium legatos mittere, quem nuperrimè hostem judicavit V. P*hilip.* Num. 2. & 25. & seq.

Item VII. *Philip* num. 13.

Si sit pax cum Antonio, fœda servitus erit. XII. *Philip.* numer. 16.

AMPLIFICATIONES.

Per congeriem locorum à consequentium frequentatione.

Augetur crimen Verris ex eo quòd Archipiratam domi suæ servarit, qui fugere, aut mori potuisset. VII. *Ver.* num. 76.

Officium sapientis, ac probi judicis. Pro Cluen. num. 159.

Concursatio decem-virorum & regia potestas. I. *Agrar.* numer. 8.

Quanti intersit Reip. sequenti anno L. Muranam Consulem *fieri.* Pro *Mura.* Num. 78.

Damna Reip. si per Pontifices quivis sine causa è patricio plebeius fieret. Pro *dome sua*, Num. 37.

Quæ facturus fuisset Antonius si Romam venisset. III. *Philip* Num. 6. & 27.

Nulla erit pax cum Antonio si in urbem venerit, sed servitutis periculum. XII. *Philip.* 13.

A contrariarum rerum conflictione.

Quinctius inops, frugalis, ac integer rusticus, abjectus: contrà, Nævius potens, & opulentus, luxuriosus, crudelis, superbus. *Pro Quinctio.* Num. 93.

Accusator Erutius sibi contradicit, pro Roscio Amer. Nu. 44.

Sam-

Amplificationum.

Saturius dicit repugnantia.Pro Roscio Comœd. Num.18.

Non est credibile Fannium esse fraudatum à Roscio. Pro Roscio Comœd. Num.21.

Quis Catilina,& ejus socij,quibus insidientur? II.*Catil.* Numer.1.

Antonius secum ipse argumentis pugnat. II.*Philip.* Num.17. & 30.

A causis & effectis conglobatis.

Proscriptio bonorum Quinctij acerbior ipsa bonorum,& famæ & vitæ jactura.Pro Quinctio. Num.46.

Vix credibile crimen parricidij.Pro Rosc.Amer. Num. 37.& seq.& 62.& seq.& 68.

Cur Verres venit in judicium. III.*Ver.*Num.7.

*Fructus poëseos & delectatio.Pro Archia.*num.16.

Clodius cum suo novo Pontifice conscientia, metuque Deorum territus,nullum solemne verbum potuit effari in consecranda domo Ciceronis,Pro domo sua;num.140.

*Non est Piso Consul.In Piso.*num.23.& seq.

*Clodius sæpe vim fecit,nunquam Milo. Pro Milone.*Num.37.

*Scelera Clodij conglobata.*Ibid.numer.73.

Ab adjunctis conglobatis.

*Roscius non habuit facultatem occidendi patrem. Pro Roscio Amer.*num.74.

Nuntius cædis cur tanta velocitate factus T.Roscio; Ibid. numer.96.& seq.

*Luxuria Verris ex conglobatis adjunctis itinerum & conviviorum.*VII.*Ver.*Num.26.& seq.

*Classis populi Ro.victa,& incensa à piratis.*Ibid.num.91.

*Cicero è Rostris primum dicit:pro lege Manil.*Num.1.

*Sassia nubit genero.Pro Cluentio.*num.15.

Sassia Romam proficiscitur,ut accuset,& perdat filium. Ibid. Num.192.

*Lex Clodia de exilio Ciceronis lata est per vim,furorem,crudelitatem.Pro domo sua.*Num.53.

Cœlius crimen auri non commisit:Pro Cœlio:52.

Celebritas reditus Ciceronis: *In L.Pisonem.* num.et.51.

Ab enumeratione partium.

Vita Verris flagitiosa , & singuli ejus magistratus nefarij. II. *Ver.* Num. 11.

Quacumque Cicero pergat via ad Antonium , sunt insidiæ. XII. *Philip.* Num. 23.

AMPLIFICATIO RERUM.
Per incrementum.

PRo *Roscio Amer.* Numer. 12. Ibid. 29. III. *Ver.* Numer. 44.

Iniquitas judicis Verris. IV. *Ver.* Num. 78. VI. *Ver.* Numer. 88.

Crudelitas Verris. VII. *Ver.* Num. 115.

Verres egit in crucem civem Rom. Ibidem numer. 169. & 170.

Perduellionis judicium, & civibus Rom. acerbissimum supplicium. Pro C. Rabir. Num. 16.

Liberalitas Cæsaris supra virtutes cæteras extollitur. Pro Rabir. posthu Num. 42.

Cicero ita militarem Cæsaris gloriam attollit , ut huic præferat clementiæ laudem pro Marcello. Num. 4.

Victorias Cæsaris , & bellicas laudes rursus extenuat Cicero præ virtute clementiæ. Ibid. num 8.

Vinolentia Antonij, & vomitus in Senatu. II. *Philip.* Numer. 63.

Per ratiocinationem.

Cicero laudat Sthenium, ut magis vituperet Verrem , qui illum iniquissime vexavit. IV. *Ver.* Num. 110.

Cicero auget pericula, damnaque populi Rom. ex bello pradonum, ut crescat militaris virtus Cn. Pompeij. Pro lege Manil. Num. 33.

Cicero amplificat furorem Antonij, ut divinius faciat consilium Octavij , quem etiam præfert Pompeio. V. *Philip.* Numer. 42.

Per

Per comparationem.

Majores Rom. & boni homines non nisi ex necessitate & considerate bona aliorum etiam inimicissimorum proscripserunt: Nævius temere, & continuò bona sui socij, & affinis & amici vendit. Pro Quinc. Num. 51.

Consilium quod duo Roscij ceperunt, dicto atque facto C. Fimbriæ simillimum. Pro Rosc. Amer. Num. 33.

Crudelitas Chrysogoni. Ibid. 146.

Honestius est injurias sociorum, quam suas ulcisci ab exemplo plurium virorum I. *Verr.* num. 63. & seq.

Furta ac sacrilegia legati Verris clam apportata Romam, dissimili exemplo Imperatorum. III. *Ver.* Num. 54.

Integritas M. Fonteij comparatione Scauri, Aquillij, Cottæ, Rutilij Pisonis: quos læsit occasio. Pro Fonteio. Num. 27.

Integritas ac temperantia Cn. Pompeij, comparatione aliorum Imperatorum. Pro lege Manil. Num. 38.

Ejus item felicitas. Ibid. 47.

Severitas in Catilinam exercenda. I. *Catil.* num. 3.

Dissimilis comparatio quinque bellorum civilium, & extinctæ conjurationis Catilinæ. III. *Catil.* Num. 24.

Beneficium quod accepit Cicero revocatus ab exilio. Ad Quirites post Redit. Num. 5. & *in Senatu.* Num. 2.

Reditus Ciceronis clarior ipso reditu Pompilij, Metelli, Marij. Ibid. num. 6.

Dissimilis profectio Pisonis in provinciam Consularem & discessus Ciceronis. In Pisonem. Num. 31.

Dissimilitudo item rerum gestarum. Ibid. num. 37.

Dissimilis reditus Ciceronis & Pisonis. Ib. num. 51.

Vtrum locus, comitatus, facultas, tempus, cæteraque adjuncta fuerint aptiora Clodio ad pugnandum, quàm Miloni. Pro Milone. Num. 54.

M. Antonius magis perniciosus Reip. quàm Rex Tarquinius, D. Brutus melius de Rep. meritus, quàm L. Brutus. III. *Philipp.* Num. 8.

Comparatio Antonij cum Hannibale & Catilina, aliisque populi Rom. hostibus. IV. *Philip.* Num. 14.

Bellum Antonij crudelissimum ob latrocinia. VIII. *Philip.* Num. 7.

FIGURÆ VERBORUM.

Repetitio.

PRo *Quinctio* Num.10.Ibid.num.82.
Pro Rosc. Amer. Num.13 Ibidem num.144.
I.*Verr.* Num.21 Ibid.num.38.
I.*Verr.* Num.5.Ibid.num.17.
Pro lege Manilia. Num 30.&31.Ibid.num.61. II. *Agrar.* numer.9.
I. *Catil.* Num.1.II. *Catil.* Num.7.
Pro Sylla. Num.26.

Complexio.

II. *Agrar.* Num.22. *Pro Milone.* Num. 60.

Conduplicatio.

I. *Verr.* Num.23.
I. *Catil.* Num.2.& 4.& 6.

Synonimia.

Pro Cluent. Num.41. I. *Catil.* num.10. II. *Catil.* num.1. III. *Catil.* num.1.

Polysyndeton.

Pro Quinctio num.3.

Gradatio.

Pro Quinctio. num.40. Ibid. Num.95. *Pro Rosc. Amer.* num 75.
Pro Rosc. Comœdo. num.8.

Dissolutio.

IV. *Verr.* Num.5.

Simi-

Similiter desinens.

III. *Verr*, num. 9.
I. *Agrar*, num. 23. *Pro domo sua*, num. 129.

Anthiteton.

Pro Quinctio, num. 92. *Pro Rosc. Amer*, num. 13. Ibid. num. 88. Ibid. num 145 III. *Verr*. Num. 3.
Pro Fonteio. Num. 22.
Pro lege Manilia. num. 10. Ibid. Num. 28. II. *Catil.* Numer. 25.
Post redit. in Senatu. num. 18.

FIGURÆ SENTENTIARUM.

Interrogatio.

Pro Quinctio. num. 79. *Pro Rosc. Amer*. num. 54. Ib. Num. 74. Ib. num. 145. *Pro Rosc. Comœdo*. num. 8.
I. *Verr*. Num. 21. Ibid. num. 27. Ibid. num. 33. Ibidem num. 45.
IV. *Verr*. num. 6. & 46. V. *Verr*. num. 169. VII. *Verr*. num. 73. Ibid. Num. 146.
Pro Cluentio. Numer. 62. Ibid. Num. 65. I. *Agrar*. Numer. 3.
I. *Catil*. Num. 1. & 7. *Pro Murena*. Num. 38. *Pro Sylla*. Numer. 44.
Pro domo sua. num. 56. Ibid. 77.
Pro Plancio. Num. 48.
Pro Sextio num. 47 *Pro Milone*. num. 38. 39.
Pro Ligario. num. 9.
II. Philip. num. 111. VII. *Philipp*. num. 11.

Subjectio.

Pro Quinctio. Num. 42.
Reprehenditur Nævius, quod bona sui propinqui, & socij, & amici proscripserit. Ibid. num. 52. Ibid. numer. 74. Ibid. numer. 82.
Causa parricidij removentur à persona Roscij. Pro Rosc. *Amer*. Num 39. & 41.

Pro Rosc. Comœdo. Num.22. Ibid. num.42.
IV. *Verr.* Num.147. Ibid. num.192.
V. *Ver.* Num.41. Ibid. num.70. Ibid Num.121.
Res gesta Pompeij. Pro lege Manil. Num.61.
I. *Catil.* Num.28.
Pro Sylla. Num.39.
Cur Cicero discesserit in exilium. *Pro domo sua.* Num.95.
Clodius non consecravit domum Ciceronis. De Harusp. respons. Num.33.
Stultè Antonius lacessit Ciceronem. II. *Philipp.* Num.2.

Prolepsis.

Cicero judicis benevolentiam captat timido Quinctio contra potentes adversarios. Pro Quinctio. Num.5.
Triplex prolepsis Nævij refutata. Pro Quinct. Num.39. & 41.
Pro Rosc. Amer. Num.1. & 5.
Cicero nobilitatem conciliat; unum Chrysogonum in invidiam vocat propter rapinas. Ibid num.137.
Quare Cicero accusare Verrem petit, qui hactenus plures defendit. I. *Verr.* Num. 1. Ibid. num. 40. IV. *Verr.* Num.26.
Refellitur Verris defensio seu prolepsis, & multorum testimonio. V. *Verr.* Num.175.
Verres non emit signa, sed furatus est. VI. *Verr.* Num.8.
Cicero prolepsim Hortensii manifestâ Verris avaritiâ refellit. VII. *Verr.* Num.22.
Non Sertorianos milites, sed liberos, etiam mercatores necavit Verres: quod multi testantur. Ibid num.150.
Catilina non debuit statim interfici à Cicerone, sed emitti ex urbe. II. *Catil* Num.3.
Non crudeliter Cicero ejecit Catilinam ex urbe. Ibidem numer. 12.
An summi viri duce naturâ, an humanitatis doctrinâ res magnas gesserint. Pro Archia. Num.15.
Cicero non discessit in exilium, metu mortis. Pro Sextio. Numer. 45.

Correctio.

Pro Quinctio. Num.7.
Pro Rosc. Amer. Num.134.

Pro Resc, Comœdo. num. 18.
VII. Verr. num. 108.
I. Catil. num. 22.

Dubitatio.

Navius in invidiam adducitur propter fraudem, malitiam. *Pro Quinct.* num. 56.
Pro Rosc. Amer. num. 28. Ibid. num. 124.
VI. Verr. num. 89. *VII. Verr.* num. 2. Ibid. num. 125. Ibid. num. 157.
Pro Cluent. num. 4.
II. Agraria. num. 2.
Cicero misericordiam captat Murenæ ab adjunctis exilij. Pro Mur. num. 88.
Cicero pro accusato Flacco ad judices confugit. Pro L. Flacco, num. 4.
Quibus causis cesserit Cicero è patria. Pro Sextio. numer. 42.

Communicatio.

Reprehenditur Navius, quòd bona Quinctij proscripserit. Pro Quinct. num. 53.
Reprimitur audacia T. Roscij, qui cum accusatore sedeat. Pro Rosc. Amer. num. 104.
Cicero dicendi facultatem, quam sibi non arrogat, requirit in Cæcilio, ut Verrem graviter, & copiosè possit accusare. I. Verr. num. 35. & seq.
Cicero judicibus proponit novo genere accusare Verrem. II. Verr. num. 32.
Ius ac dignitas civis Romani. VII. Verr. num. 165.
Actio interdicti necessaria fuit Cæcinnæ. Pro Cæcinna. numer. 35.
Cæcinna rectè dejectus dicitur de fundo. Ibid. num. 48.
C. Rabirius rectè arma sumpsit contra Saturnium. Pro C. Rabir. num. 21.
Temere, & impudenter Clodius domum Ciceronis consecravit. Pro domo sua. num. 132.
Non est imminuta Laterensis existimatio, quòd sodalis non est factus. Pro Plancio. num. 7.
Calenus Brutos oppugnat, Antonijs favet. X. Philip. n. 3.

Prosopopœia.

Nevius improbè, ac crudeliter opprimere vult judicio Quinctium, & spoliare fortunis ac vita. Pro Quinct. numero 47.

Nevius Scurra, nec vir bonus. Ibid. num. 55.

Pro Rosc. Amer. num. 32. Ibidem num. 58. Ibidem numero 145.

Veracitas & constantia Cluvij. Pro Rosc. Comœdo. num. 48. & seq.

Siculi volunt Ciceronem esse accusatorem Verris, nolunt Cæcilium. I. Verr. num. 19.

Hortensius petit Ciceronem non esse accusatorem Verris. Ib. num. 23.

Defunctus Malleolus exprobrat perfido & avaro Verri. III. Verr. num. 94.

Quid stolidè excogitet Verres. Ibid. num. 142.

Verres secum deliberat, an Cleomenem una cum Navarchis tollat, cui parcit. VII. Verr. num. 103.

Crudelitas lictoris. Ibid *num.* 117.

Tyndaritanorum querela de tyranno Verre. Ibid. num. 123.

Pater crimina exprobrat filio Verri. Ibid. num. 136.

Stalenus deliberat Oppianicum fallere, & condemnare. Pro Cluent. num. 70.

Oppianicus multas causas habebat corrumpendi judicij, Cluentius nullam. Pro Cluent. num. 81.

Patria obijcit Catilinæ flagitia, propter quæ hic discedere debeat. I. Catil. num. 18.

Populus pro sua voluntate præterit Laterensem, seu non ædilem creat. Pro Plancio. num. 12.

Cæcus Appius severè objurgat Clodiam impudicam mulierem, & adolescenti Cœlio familiarem. Pro Cœlio. num. 33.

Minimus frater urbanè avocat Clodiam sororem ab amore Cœlij Ibid. num. 36.

Comicus pater severus reprehendit Cœlium, hunc excusat alter mitis & clemens. Ibid. num. 37.

Milo gloriatur se occidisse Clodium sceleratum, ac perniciosum civem. Pro Milone. num. 73. & 78.

Nemo vellet P. Clodium reviviscere ut esset Prætor. Ibid. num. 80.

Milo commemorat non ingrata Reip. & Ciceroni sua merita, & susceptos labores. Ibid. num. 94.

Dialo-

Dialogismus.

Discutitur improbum ac crudele consilium Nævij. Pro Quinctio. num. 42.

Amplificatur iniqua postulatio Nævij & potens actio contra solitudinem, ac inopiam Quinctij. Pro Quinct. num. 72.

Qui Roscius Ciceronem edocet causam Quinctij , ut possit contra Hortensium dicere. Pro Quinct. num. 77.

Cicero ridet accusatorem Erutium , qui probare non potest quod dixit. Pro Rosc. Amer. num 54.

Comparatione T. Roscius arguitur potius esse cadis reus, quàm Sex Roscius. Ibid. num. 92. 93. 94.

Pro Roscio Comœdo. num. 32.

III. Verr. num. 66.

IV. Verr. num. 72.

Arator de edicto seu injuria Verris queritur. V. Verr. numero 25.

Pamphilius promittit pecunias Cybaritis , ne Verres scyphos suos auferat. VI. Verr. num. 32.

Parentes deprecantur miseram sortem liberorum. VII. Verr. num. 109.

Turpe esset judicibus condemnato Scamandro , & Fabricio Oppianicum absolvere. Pro Cluent. num. 61.

Stalenus Balbum fallit. Ibid. num. 71.

Non minis, aut timida inquisitione, sed blanditijs ac fiducia oportet agere Candidatum. Pro Murena. num. 44.

Publicanus Stoico Catoni supplex. Ibid. num. 62. Ibid. numer. 65.

Pro Sylla. num. 48.

Ferenda sunt sapienti comitia. Pro Plancio. num. 11.

Marcus Antonius contra acta Cæsaris, tertiam judicum Decuriam adjecit. I. Philip. num. 20.

Antonius de libidine parasitos, de Rep. non avunculum consultat. II. Philipp. num. 14.

Apostrophe.

Ad judicem Aquilium, ejusque assessores, ut contra vim , & gratiam tueantur veritatem causa P. Quinctij. Pro Quinct. num. 4.

Cicero

Cicero acriter invadit adversarium Hortensium, qui cupiditate, & dominatione judiciorum defendere putat Verrem. II. Verr. num. 33.

Cicero judices movet ad severitatem, & Verri nullum in judicio perfugium denuntiat. III. Verr. num. 81.

Cicero judices moves ad commiserationem in Navarchorum *nece. VII. Verr.* num. 122.

Pro Sextio. num. 45.

Pompeius sciens non fecit contra fœdera. Pro Balbo. numer. 13.

Deorum vi, ac providentia Clodius est occisus. Pro Milone. num. 86.

Ad Pansam, ut servitutem à Rep. avertat. XII. Philip. numer. 16.

Hypotyposis.

Ostenditur percussor Sex. Roscij. Pro Rosc. Amer. numero 98.

Pugna ac cædes in domo Philodami. III. Verr. num. 67.

Domus iniqui Prætoris Verris. Ibid. num. 137.

Improbitas C. Clodij cognitoris Stenij. *IV. Verr.* num. 108.

Simulachrum *Dianæ apud Segestanos. VI. Verr.* num. 74.

Conjicitur in carcerem Apollonius, dum se redimat. VII. Verr. num. 17.

Imperatoris Verris convivia nec sobria, nec pudica. Ibid. numer. 28.

Verres noctu crudelissimè exinanivit navem Piratarum captam. Ibid. num. 62.

Verres repentè comprehendi Navarchos jubet, quasi naves prodidissent. Ibid. num. 105.

Verres cædi jubet Virgis C. Servilium. Ibid. num. 139.

Cædi item jubet P. Gavium, civem Romanum. Ibid. num. 160.

Quæ mala conjurationem Catilinariam fuissent consecuta. IV Catil num. 11.

Quæ faciet Catilina, si sequenti anno deesse Consulem videat. Pro Murena. num. 85.

Tantùm non occiditur P. Sextius. Pro Sextio. num. 79.

Convivia Pisonis *sordida. In L. Pisonem.* num. 67.

Iter Antonij, seu lustratio Italiæ. II. Philip. num. 57.

Trebonius miserabiliter occisus, XI. Philip. num. 7.

Ethopœia.

Negligentia, atque fiducia Erutij in accusando Roscio. Pro Rosc. Amer. num. 59.

Capitonu perfidia in fallendis ad Syllam *legatis*, Ibid. num. 110.

Superbia Chrysogoni. Ibid. num. 135.

Callidas Fannij pro Rosc. Comœdo. num. 20.

Stoliditas Verris. III. Verr. num. 141.

Æstuat Verres, absolvatne innocentem Sopatrum, an pecuniosum condemnet. IV. Verr. num. 74.

Thimarchides homo furax, luxuriosus, & appositus administer Verris. Ibid. num. 134.

Apronius similis Verri, seu turpis, & vitijs omnibus coopertus. V. Verr. num. 22. & 31.

Luxuria Verris iter facientis. VII. Verr. num. 26.

Gallorum mina, ac terror. Pro Fonteio. num. 23.

Æbutius ineptus, ac stultus inter viros, inter mulieres peritus, & callidus. Pro Cacinna. num. 14.

Stalenus fraudulentus, ac mendax, & impudens. Pro Cluent. num. 67. & 70.

L. Quinctius vir turbulentus, & arrogans patronus. Ibid. num. 110.

Rullus inito magistratu severus. II. Agrar. num. 13.

Campanorum arrogantia, & studium erga suos Pratores. Ibid. num. 92.

Flagitiosus Catilina. II. Catil. num. 7.

Catilina socij, compti, delicati, libidinosi. Ibid. num. 21.

Calliditas Catilina. III. Catil. num. 16.

Sulpitius tristis, & remissior in petendo Consulatu, Catilina alacer. Pro Murena. num. 49.

Gabinius libidinosus, & crudelis in Ciceronem. Post Redit. in Senat. num. 12.

Similiter Piso agrestis, Epicureus, tardus, proditor. Ibidem & seq.

Gabinius & Piso Consules superbi, improbi, libidinosi. Pro P. Sextio. num. 17.

Gellius adolescens, petulans, & decoctor. Ibid. num. 110.

Vatinius vehemens, ferox que. in Vatinium. num. 4.

Varia, & multiplex natura Catilina Pro Cœlio. num. 12.

Perfidi, ac superbi Antoniani. XIII. Philip. num. 4.

Susten-

Sustentatio.

Pro Rosc. Amer. num. 2. *IV. Verr.* num. 108.
VII. Verr. num. 10. Ibid. num. 68.

Præteritio.

Pro Rosc. Amer. num. 75. *III. Verr.* num. 32. Ibid. num. 42. & seq. *IV. Verr.* num. 1. Ibid. num. 110.
Verre prætermisso, transit Cicero ad scelera Apronij. V. Verr. num. 58. & 59. & *VII.* num. 20.
Pro lege Manilia. num. 25. Ibid. num. 48.
Pro Cluent. num. 188.
I. Agrar. num. 21.
I. Catil. num. 14.
Post redit. in Senat. num. 20.
Pro P. Sextio. num. 7. Ibid. num. 13.
In Vatinium. num. 11.
De Provinc. Consular. num. 8.

Licentia.

I. Agrar. num. 23.
Pro Sylla. num. 33. & 34.
Pro domo sua. num. 99.
Fatetur Cicero se contra Cæsarem arma tulisse. Pro Ligar. numer. 6.

Concessio.

Pro Quinctio. num. 37. Ibid. num. 42. Ibid. num. 56.
Pro Rosc. Amer. num. 54. Ibid. num. 73.
Sextus Roscius sua omnia concedit Chrysogono, modo vitam non auferat. Ibid. num. 145.
Pro Rosc. Comœdo. num. 3.
III. Verr. num. 2. *IV. Verr.* num. 46. Ibid. num. 76. Ibid. n. 151. Ibid. num. 179.
VI. Verr. num. 10. *VII. Verr.* num. 4. Ibid. num. 11. Ibid. num. 19. Ibid. num. 44.
Pro Murana. num. 41.
Pro Plancio. num. 48.

Ironia.

Ironia.

Pro Quinctio.Num.19.Ibid.Num.80.

Ridetur Cacilius, qui fretus futili opera duorum subscriptorum, Appulei, & Allieni, accusare vult Verrem. I. *Verr.* Num.47.

Cicero insultat iniquo judici Verri.IV.*Verr.* Num.76. Ibid. num.154.

Est ingenium Verris novas res exeogitare, V. *Verr*, Numer.16.

Ridetur Hortensius,qui affirmat Verrem esse bonum Imperatorem.VII.*Verr*.Num.1.14.25.32.

Facetè ridetur Cepasii oratio.*Pro Cluent*.num.58.

Voluptas Manlij in castris Manlij, seu bello contra patriam. I.*Catil*.num.24.

Catilina socij compti, delicati, libidinosi. II. *Catil.* numer.22.

Cavillatur Cicero negotiationem Deciani, & ejus testimonium contra Flaccum.Pro Flacco.num.70.

Item à Deciano erepta Amynta pradia,& uxorem, & filium, Ibid num.72.

Religio Clodij.Pro domo sua.Num.104.

Cicero religiosum Clodium ridet. De Haruspicum respons. num. 8.

Responsum Pisonis.In L.Pisonem,num.14.

Piso è provincia sine triumpho redit.Ibid.Num.53.

Piso Epicureus triumphum non cupit.Ibid.num.56.

Piso docet, ac dehortatur Casarem non cupere triumphos, sed provincias expilare.Ibid.Num.59.

Piso non audebit ad Pompeij ludos accedere, vel convivium anteponet ludis.Ibid.Num.65.

Ridet Cicero quastiones de servis.*Pro Milone*.Num.60.

Cicero fingit se apud Casarem laborare de culpa Q. Ligarij. *Pro Ligar*.Num.1.

Cicero ridet Antonium,quod scriptum à se versum reprehenderit.II.*Philip*.Numer.20.

Levitas Antonij.Ibid.num.77.

Distributio.

Cicero affert distributione quatuor causas injuria, qua fit P. Quinctio. Pro Quinct. num 1.

Pro Rosc. Amer. num. 9.

Supplicium in parricidas sapienter à Romanis constitutum. Ibid. num. 71.

Causa cur T. Roscius occiderit Patrem Sex. Roscij. Ibidem num. 86.

Gravitas belli Asiatici. Pro Leg. Manil. num. 6.

Quatuor inesse debent. Ibid. n. 28.

Socia virtutes in Pompeio. Ibid n. 36.

Oratio accusatoris divisa in duas partes: quas itidem servat defensor Cicero. Pro Cluent. num. 1.

Post Redit. in Senat. num. 2.

Cicero quinque distribuit timoris sui causas in causa Deiotari. Pro Deiotaro. num. 1.

Deprecatio.

Iudicem obsecrat Quinctius contra adversariorum injurias. Pro Quinct. num. 10. & 98.

Pro Rosc. Amer. num. 11.

Cicero judices obtestatur, ne Chrysogoni crudelitatem ferant. Ibid. n. 150. & 154.

Cicero obtestatur judices ut insignem injuriam religioni Siculorum factam ulciscantur. VI. Verr. num. 113.

Cicero obtestatur Deos, Deasq; omnes, quos lasit Verres. VII. Verr. num. 183.

Orator postulat à judicibus, ne prajuditia veritatem causa labefactent. Pro Cluent. num. 6.

Cluentio falsa ex injuria laboranti imploratur misericordia judicum. Ibid. n. 200.

Deprecatio ad judices, & Deos pro salute Reip. Pro C. Rabir. num. 5.

Deprecatio ad judices pro salute L. Murana. num. 86.

Ciceronis deprecatio, ad Deos & ad Pontifices, ut suis adibus restituatur. Pro domo sua num. 144.

Cicero deprecatur judices pro Milone forti viro, & sibi, ac Reip. amico, Pro Milone, num. 93.

Casarem

Confutationum.

Cæsarem deprecatur Cicero in causa Deiotari. Pro Deiotaro. num, 8.

Epiphonema.

Pro Sextio. num. 86.

Exclamatio.

Pro Quinctio. num. 94.
Pro Rosc. Amer. num. 146.
III. Verr. num. 40.
Pro Cluentio. num 15. Ibid. num. 188.
I. Catil. num. 2. Ibid. num. 9.
II. Catil. num. 7. & 9.
Pro Flacco. num. 87. Ibid. num. 102.
Pro Sylla. num. 91.
Post redit, in Senat. num. 8.
Pro Flacco. num. 99. & 101.

CONFUTATIONES.

Negando.

Quinctius nihil debuit Nævio. Pro Quinct. num. 37.

Roscius Comœdus non fraudavit Fannium. Pro Rosc. Comœdo. num. 16.

Cæcilius non debet esse accusator Verris ob injurias à Verre acceptas, nec ob inimicitias, nec ob quæsturam. I. Verr. numero 52.

Cajus Verres non defendit Siciliam adversus fugitivos; sed M. Crassus. VII. Verr. num. 5.

Cicero non objicit Verri fortunæ, aut belli exitus, aut supplicium securis; sed avaritiam in instruenda classe, sed crudelitatem in necandis socijs. Ibid. num. 130.

Cluentius adolescenti Oppianico venenum non dedit, ab adjunctis. Pro Cluent. num. 167.

Quo metu, aut bono Cluentius Oppianicum necavisset? Ibid. num. 169. & seq.

Refellitur M. Cato, qui rectum esse negas, Ciceronem & Consulem, & legis ambitus latorem, & tam severè gesto Consulatu, causam L. Murænæ attingere. Pro Muræna. num. 3.

Refellitur Cato, qui dicit bellum Asiaticum esse cum mulierculis gestum. Ibid. num. 31.

Idem refellitur Cato, qui negat licuisse Murenæ habere obviam prodeuntes, & sectatores, & offerre spectacula, & prandia. Ibid, num. 67. & seq.

Cicero regium nomen à se removet sedulâ parendi cura, & labore servandi Remp. Pro Sylla. num. 25.

Amicè Cicero respondet Laterensi, se non mentitum causa Planci. Pro Plancio. num. 72.

Ostendit Cicero ex causis alijsque adjunctis Cœlium non parasse venenum Clodiæ. Pro M. Cœlio. num. 56. & 61.

Summus vir Pompeius contra fœdera nihil facere potuit, aut dicendus est potuisse. Pro Balbo. num. 13.

Deiotarus non saltavit ebrius. Pro Dejotaro. num. 26.

Negat Cicero se vitam accepisse ab Antonio. II. Philipp. numer. 5.

Redarguendo.

Triplici Ironica prolepsi refellitur Nævius. Pro Quinct. n. 39. & 41.

Variè redarguitur accusator Erutius, quia dubia argumenta affert, & inter se pugnantia, & levia, atque inepta. Pro Rosc. Amer. num. 39. 42. 44. 52. 58. 79. 82.

Refutatur prolepsis seu defensio Verris, qui dicit se ad utilitatem ærarij Decumas magni vendidisse, & pluris, quàm cæteri Prætores vendiderint. V. Verr. num. 40. & seq.

Verres non emit signa ab Heio Mamertino. VI. Verr. num. 8.

Q. Hortensius refellitur præjudicio. Pro leg. Manil. numer. 51.

Q. Catulus refellitur, mutato sapienter consilio Majorum, Senatus, populi, & auctoritate clarissimorum virorum. Ibid. num. 60. & seq.

Objecta à Labieno quinque crimina Orator leviter diluit. Pro C. Rabir. num. 6.

Lucius Muræna non fuit in Asia luxuriosus, nec est saltator maledicente Catone. Pro Muræna. num. 11.

Cincius non missus est ad Hispaniam ad eam perturbandam. Pro Sylla. num. 51.

Cicero quinque convicia Clodij refellit. Pro domo sua. numer. 3.

Objecta Plancio vitia, & patris asperius dictum refutat Cicero. Pro Plancio. num. 30.

Vatinius

Vatinius insulsè objicit Ciceroni discessum, qui tamen est gloriosus. In Vatinium. num. 6.

Secum item pugnat Vatinius, in dicendo contra Milonem, & Sextium testimonio. Ibid. num. 40.

Variè Cicero asperam, etsi disertam Herennij orationem eludit, præsertim quòd in genere vitia adolescentiæ, non in specie luxuriam M. Cœlij accusarit. Pro Cœlio. numero 25. & seq.

Pisoni non crudelitas displicet. In L. Pisonem numer. 14. & 17.

Licet vivere illi, qui hominem à se occisum fatetur. Pro Milone. num. 7.

Non modò non est credibile, sed ne suspiciosum quidem, Deiotarum Regem prudentem, ac probum esse insidiatum Cæsari. Pro Deiotaro. num. 15.

Inhumanus, & amens est Antonius, qui litteras quasdam objicit Ciceroni. II Philipp. num. 7.

Antonius secum ipse argumentis pugnat, cùm sepulturam objicit vitricosuo negatam. Ibid. num. 17. Ibidem numero 19.

Rursus Antonius dicit pugnantia, cum Cæsaris interfectores laudat, Ciceronem necis conscium vituperat. Ibidem numero 30.

Calenus pacis nomine servitutem velle videtur, pro cujus depulsione omnes arma capiunt, & improbos cives tollunt. VIII. Philip. num. 11.

Cicero non iracundè, sed vehementer & Reip. causa dissentit cum Caleno de interitu Clodij, de Bruto, de Massiliensibus. Ib. num. 16.

Elevando.

Cætera objecta T. Attij, ut de moribus Cluentij, levia sunt, ut de legibus; à quibus recessis Cluentius, regeri possunt in adversarium. Pro Cluent. num. 135. & seq.

Imprudentia Labieni, qui dum arma Rabirij accusat, simul & clarissimos viros condemnat. Pro C. *Rabir.* num. 25.

Refellitur S. Sulpitius, qui Ciceronem accusat oblitum amicitiæ, quòd contra se L. Murænam defendit. Pro Muræna. numer. 7.

Quid objicit Clodius potestatem esse extra ordinem Pom-

peio delatam, cum ipse Catoni extra ordinem bellum detulit adversus Ptolemaum Regem, idemque provincias, liberas decernit Gabinio, & Pisoni. Pro domo sua. Num. 20.

Cicero à sorore pungit Clodium. Ibid. Num. 92.

In Vatinium. Num. 9.

Antonius objicit Ciceroni salutaria Reip. arma, cum ipse perniciosa ceperit. II. *Philip.* Num. 19.

Lepidè Cicero objectam sibi Cæsaris necem detorquet in Antonium.

NARRATIONES.

Exponuntur fraudes, & quæstus Navij. Pro Quinct. Num. 11.

Exponitur cædes Sex. Roscij, & consilium adversariorum accusandi filium parricidij. Pro Rosc. Amer. Num. 15.

Quam Verres spem habuerit corrumpendi judicij. II. *Verr.* Numer. 16.

Verres Lampsaci filiam Philodami per vim rapere voluit; Philodamum, quòd ipsius libidinibus obstitisset, cum filio capite mulctandum curavit. III. *Verr.* Num. 63. & seq.

Verres iniquo edicto privavit legitima hæreditate filiam P. Annij, Ibid. Num. 104.

Privavit item M. Ligurem. Ibid. num. 125.

Idem Verres ab ade Castoris latrocinia incæpit; & pupillum Junium fortunis evertit. Ibid. num. 130.

Verres subornatis palæstritis, Heraclium diviti hæreditate spoliat. IV. *Verr.* Num 35.

Sopater ab inimicis suis apud C. Sacerdotem rei capitalis accusatus, & facilè eo judicio liberatus, iterum restitutus est reus apud Verrem, & iniquissimè condemnatus. Ibid. Num. 68.

Verres maxima cupiditate contrà jus hospitij, multa signa abstulit à Stenio, eumque absentem condemnavit. Ibid. Num. 82

Verres falsa sortitione, Theomnasto sacerdotium dedit. Ibid. num. 126.

Xeno, Polemarchus, Eubulides, Sostratus, Numerius, Nymphodorus, tantum exsolvere coguntur, quantum imperat Verres. V. Verr. Num. 55. & seq.

Apronius contumeliis cogit Lollium, ad suas pecunia leges, conditionesque venire. Ibid. num. 61.

A Pamphilo Verres ablaturus erat scyphos, nisi fratribus Cybaritis data fuisset pecunia. VI. Verr. Num. 32.

Capi-

Cupiditas, & furor Verris adversus Diodorum, à quo statim auferre non poterat toreumata. Ib num. 38.

Verres ab Haluntinis per Arthagathum deferri sibi omne cælatum argentum jubet magna perturbatione civitatis. Ibid. Numer. 51.

Antiochus Rex vasis pretiosissimis, & candelabro Iovi dicato spoliatur à fraudulento Verre. Ibid. num. 60.

A Segestanis simulachrum Dianæ Verres extorquet. Ibid. numer. 72.

Signum Mercurij à Tyndaritanis vi, & minis extortum, crudelissimè ad statuam C. Marcelli alligato, & cruciato Sopatro, Ibid. num. 84.

Apud Agrigentinos simulachrum Herculis demoliri noctu conatus est Verres. Ibid. 94.

Apollonium tamdiu Verres torsit in carcere dum se homo dives pecuniis redemit. VII. Verr. Num. 16.

Classis populi Rom. præfecto Cleomene, egens & infirma, partim fugiens capitur à piratis, partim incenditur, Ibid. Num. 85.

Cicero exponit vitam & crimina Oppianici, Pro Cluent. Numer. 11. 21. & seq.

Exponit Scamandri, & Fabricij præjudicia. Ibid. Num. 49. & seq.

Exponit corruptionem judici factam à Stalеno. Ibid. Num. 66

Qua ratione Tullius conjurationem Catilinæ detexit, ac reos comprehendit. III. Catil. Num. 3.

Quibus quasi gradibus Archias ad Romanæ civitatis honorem ascenderit. Pro Archia. Num. 4.

Insidiatus est Miloni Clodius, ex proposito ejus fine, & itinere & loco pugnæ. Pro Milone. Num. 24.

FINIS.

Ad majorem Dei gloriam.

SUMMA PRIVILEGII.

EGo infrascriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi à R. P. N. Generali JOANNE PAULO OLIVA ad id factâ, concedo Viduæ D. JOANNIS WIDENFELDT facultatem recudendi librum, qui inscribitur: Explanatio Rhetoricæ: nec non Analysis Rhetorica omnium Orationum M. T. Ciceronis, à P. MARTINO DU CYGNE compositum; eidemque jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut ipsâ invitâ librum hunc nemo deinceps recudere, nemo intra S. R. Imperii fines, & hæreditarias S. Cæs. Majest. provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & Sigillo munitas dedimus, Monasterii Westphaliæ Anno 1669. Die 2. Augusti.

MATTHIAS MERRHEM. mpp.